

Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

+ *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.

+ *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.

+ *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.

+ *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertati di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da `http://books.google.com`


Digitized by Google


Digitized by Google

<3662706891001

<3662706891001

Bayer. Staatsbibliothek

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Cfc.
4414.

Digitized by Google

CAROLI SCRIBANI

E SOCIETATE IESV

MEDICVS RELIGIOSVS

DE ANIMORVM MORBIS ET CVRATIONIBVS.



MONASTERII VVESTPHALIÆ,

Apud Michaelem Dalium.

ANNO M.D.C.XX.

Cum Sac. Cæs. Maiestatis Priuilegio.

Digitized by Google

IN PRÆNOBILIS BRABECKIORVM FAMILIÆ INSIGNIA.



Bayerische Staatsbibliothek München

I.

Nobilium oſtentant ſæpiſca Inſignia mores,
Quæq; latent animis condita pacta notant:
Quis Brabeckiadum manifeſtior arguet index
Pectora, quàm præſens arguit iſta ſtylus?
SPES & AMOR, caliq; FIDES innixa columnis,
Debentur Supero terna trophæa Patri:
Sed tribus hæc Vncis tria ſoluit nomina BRABECK,
Et trahitur cornu dente, trahitq; Deum.

II.

Terram home corpus habet, ſed mentem calitis auræ,
Terram illud, cælum hæc, pro ſtatione petit.
Quã graphicè in BRABECK vtrũq; abluditur Vncis,
Dum petit vna ſolum, pars petit vna polum.

Digitized by Google

ADMODVM REV^do, PRÆNOBILI,

ET AMPLISS^mo DOMINO,

D. ENGELBERTO à BRABECK,

CATHEDRALIVM ECCLESIARVM

MONASTERIENSIS ET SPIRENSIS

CANONICO,

VETERIS D. PAVLI

PRAEPOSITO,

SERENISS. PRINCIPI

FERDINANDO

ARCHIEPISCOPO ET ELECTORI

COLONIENSI,

EPISCOPO MONASTERIENSI,

VTRIVSQVE BAVARIÆ DVCI, &c.

à CONSILIIS,

DOMINO ET PATRONO SVO COLENDISS.

QVi se ad magna natos autumant Admodum Reu^de & Prænobi-

Digitized by Google

lis Domine magna āuent, ambitus rapiuntque interdum antequam concedantur, dumque ruptis legum repagulis, ferro dictatore, & insolentis victoriæ arbitrio cuncta expediunt, nimis inimica Rebuspubl. consilia præcipitant; victis pauenda, victori verò etiam pœnitenda. Multa hactenus tali catastrophe intercolluctantes populos fatali quodam æstu quassantur & gliscunt imperia, & pertæsa tranquillitatis regna mutuis funeribus & cladibus tabescunt, omnem medelam dedignata, nisi ensibus fatigatis, nisi sanguine ruinâque sepultis qui exitium aluerunt. Et tamen bella bellis, enses ensibus, phalanges phalangibus medicina sunt; cumque docta ratio succubuerit, sæpe vis & fortitudo militaris detumescentes animos robore, ingenio, stratagematis & bellica virtute quasi medica quadam ar-

tetriumphat. Et ne qua virtuti laus desit, hæc ipsissima est Nobilium gloria, quæ etiamnum per tot sæculorum traduces ad seram posteritatem manat ac pertinet, heroicarum mentium & fortiter ac præclarè factorum testis. Cum regnis simili quodam fato religiosorum familiæ quandoque fatiscunt: quæ initio quidem omni opinione maiores, de extrita vitiorum rubigine, de elomitis affectibus illustre trophæum statuebant, suo illo gubernandi modo vel ipsis regnis potiora: Verùm vbi Affectus post limina rectum potiri occeperint, & triumphatæ hactenus Cupidines ad negatas habenas, quasi per cuniculos, lentè subrepserint, erubescit inter distortos mores pietas, & euigoratus procliui mollitie atque ignauia animus, difficilia quæ pulchra exosus, sensim lentescit. Tantusque ipsam mo-

Digitized by Google

dicinarum tabernam morbus funeſtat, nedicam inceſtat, vt vix nedum medicam manum ferat, vel vno laudabilis, ſi contra præſides melioris notæ calcaneum leuare erubeſcat. Huic inimico malo, de tenuiculis & leuiculis quibuſque initijs protuberanti, & in atrox Catholicæ Reipublicę vlcus matureſcenti, ſaluberrimis conſiliis occurrit hoc libro R. P. Carolus Scribani, vir de palæſtra Catholica iuxtà ac literaria prolixè & optimè meritus: cui cùm ad deſideratum ſuum finem hoſce meos opitulares typos authorarem, debito obſequendi ſtudio Tuam Reuerendam admodum & Prænob. Dominationem huic libro Patronum iure ac meritò deſtinaui. Videbam enim ſedere Te ad gubernacula Reipub. quam pro tua ſingulari prudentia conſiliis quotidianaque ſollicitudine curãdam ſuſcepiſti; multis

Digitized by Google

tis patriæ incommodis medicam manum feliciter admouere: bonarum artium messem, quæ animorum medelę sunt, tua insigni liberalitate patriæ oppignorasse: pendere ab ore tuo Reuerendos & Prænobiles Collegas Tuos, nihilque Tibi ad Nestoris prudentiam, nisi triplicatam ætatem deesse. Ne igitur ab officio, debitaque obsequendi voluntate exerrarem, libellum hunc Medicum, nobiliori medico, & consultissimæ prudentiæ orsum, Tibi tanquam alteri Nestori nostræ Reipub. humiliter offero ac dedico. Non vt clarissimo tuo Nomini & nobilissimæ familiæ Brabeckianæ hac modica face lucem adferrẽ, sed vt sub tui Magnifici patrocinij tutelâ, plus existimationis Medico huic Religioso in vulgus accederet, & Tuo grauissimi Viri testimonio multi cederent, multique Te inhortante cupidiùs

Digitized by Google

voluerent, qui vitam moresque suos in exempla cæterorum trahi meminissent.. DEVS Reuerendam admodum & Prænobilem Dominationem Tuam diu sospitem velit. Monasterij è Typographia 26. Martij, ipso D. Ludgeri Proto-Episcopi Monasteriensis festo, Anno 1620.

Admodum Reuerendæ & Prænobilis Dominationis Tuæ

humillimus cliens

Michaël Dalius Typog.

AD

Digitized by Google

ADMODVM REVERENDO
DOMINO
AC PATRI
ANTONIO
DE VVINGHE,
ABBATI LÆTIENSI
ORDINIS S. BENEDICTI.



Popondi. non fallo fidem. & non Christianum tantùm, sed & Religiosum Medicum mitto, animorum morbos', damna, remedia narrantem. Ridebit aliquis ab hesterna schola, nupera arteria Medicum tironem. at mihi satis est, votis Tuis Tuorumque respondisse. Et nescio, an non maior, promptæ parentiæ, quàm prudentis imperij laus sit. etiam inscitiam ostentasse decuis, si imperaueris. & non clarior gloria, infantiam quàm eloquentiam prodidisse ad imperia? in illa, è solo obsequendi studio, sperari laus potest, contemptus ab infantia: in hac facilis obedientia est, quæ laudem imperat, nec magnum est, in amico

Digitized by Google

imperio ceruices ſubmiſiſſe gloriæ, magnũ eſt contemptui ſubmiſiſſe. hoc volui, illud non potui. laudem an merear, iudicij erit tui. Hoc dicam: parui, & imprudentiam prodidi. De morbis ſcripſi, non inexpertus morborum, remediorum ignarus. addidi tamen remedia: non quæ ægros alienos animos expleant, aut medeantur malis; ſed quæ ægræ ſcriptoris huius mẽti commoda arbitrabar. Et ſanè in morborum varia implicatione aliquid mihi largiendum, cùm morborum genus omne pectore hoc circumferam. deſiùs his obſeſſus, quàm audax de genu pugnantis Magni Macedonis, in Sudracarum oppido, clypeus, totam hoſtilium telorum ſiluam circumferens. vt non iniuriâ fides haberi poſſit morborum experientiſſimo, & ex ſe magiſtro, remedia ab aliis, ac magno in primis Claudio Aquauiua veriùs quàm à me didici: vt cui crudi adhuc ſtent morbi, certiora à Tua Tuorumque manu exſpectabo, è Bloſianis, non Galeni aphoriſmis. quod ſi feceris, & margines libelli huius, expertiſſima manu tua medicamentis oppleueris; næ ego fortunatus, qui pellendis his animæ meæ morbis, teſtata medicabula repererim,

cer-

Digitized by Google

certam valetudinem promittentia. Bea me hoc munere, & in omnem posteritatem habebis Tuum, nouo hoc Tibi munere æternùm pigneratum. Vno hoc volumine tres libros clausi. primus Superiorum morbos, secundus inferiorum, tertius vtrique communes amplectitur. Nemo indignetur. meos non alienos enarraui morbos. famæ huius dominus, famam prodegi. & quis vetet morbos suos omnium in circo oculis spectandos, emendandos, prębere? non erubesco ad aliorum aures, qui non erubui ad oculos magni Dei. nec pudet aperire, quod non puduit perpetrare. noxia enim verecundia est, quę malũ in interitum celat. felix confessio quæ in medelam mala prodit. hoc feci. & toto hoc volumine mentem legendam tradidi. nihil excuso. nec si velim, possem. *habeo* nimis oculatum testem & iudicem pectoris huius, morborum, vulnerum, quibus facia mens hæc Samaritanum exspectat, vinumque & oleum, è paterna manu, matris vberibus; vt & vini acrimonia saniem tergat, & oleum fundentia vbera demulceant. vt nouus homo, post vulnera, morbos, mortem rediuiuus; valentia mem-

Digitized by Google

bra, sanguinis, coloris, & succi boni plena, diuinæ gloriæ, proximorumque saluti sacrē. precibus hoc Tuis Tuorumque spero. nec difficile erit, è diuite Blosiana nube, in emarcidos hos animæ meæ campos fœcundum imbrem depluere, & è locuplete illius apotheca nobilissima medicamenta, valetudini in integrum restituendę depromere. Ita facite magni Patris magna soboles, dignissimi omnes tanti Parentis educatione; & calidis vestris ad Deum orationibus animæ huius morbos pellite, valetudinem reddite, ita æternum vos tueatur magnus Deus: spiritumque noui Eliæ vestri Blosij, in nouos vos Elisæos, dupla felici fœneratione diffundat.

AMICO

Digitized by Google

AMICO LECTORI.

MOrbos enarro. non quales annorum experientia doctus in alijs obseruaui, sed quales viri varijs retrò saculis eruditione ac pietate non postremi multis sparsim volumimibus, prorenata vulgarunt, qualesq; in vario Religiosorum aliorumq; hominum genere succrescere posse arbitrabantur. quæ omnia in vnum hunc librum, tanquam in vnum fasciculum conieci, quò promptiùs ad manum cùm essent mala, essent & remedia: neque tam mala cognoscerentur quæ sunt, quã quæ temporum prouisu, & Religionibus ad deuexam canitiem, tanquam ad capulare quoddam senium properantibus, subueniri possent. In futurorum ergo magis anteambulam precautionem, quàm in præsentium subsidium hæc scripsi. Sed neque in omnes cadere hæc mala possunt, neque eadem omnibus medicamenta admouenda. quædam hîc etiam inter curationes præscripta, quæ cũ nõ vltimarum Religionum institutionibus pugnant; qualia sunt locorum ac Superiorum mutationes. multa deinde quæ in solidum ignorata, vt sepositi designatiq; certi per annum dies solis spiritualibus animorum exercitationibus donandi, recollectiones, annua voto-

rum

Digitized by Google

rum renouationes, binaq3 per diem conſcientiarum diſquiſitiones, particulares etiam vitiorum virtutumúe diurnæ diſcuſſiones, aliaq3 generis huius non pauca. Enarrare tamen iſta volui, vt quibus hæc nõ ignota, prodeſſe poſſent in medelam; quæ imitari etiam poſſent, quibus in hanc diem ignorata. Nemo verò morborum numerum meretur. quantos Hippocrates, Galenus, aliíq3 medicorum, corporum morbos tradiderunt? quantiq3 ſuper hæc exurgunt indies, veteribus, omnibus adeò retrò ſæculis, ne nomine quidem cogniti? Non minores animorũ ſunt? adeo. plures etiam, quo latior in animo quàm in corpore campus, ac patentior area eſt. Iam vt nemo meritò reprehendit medicos, morborum in vario ſexu genera remediaq3 pertractantes, laudat potiùs; cùm in morborum nos cognitionem, fugam, medicationem manu quaſi ducant: nec quiſquam indignatur ſcribentibus, tanquam morborum ſuorum denuntiatoribus; amat magis, vt periculorum monitores. Sic neminem iure offendi poſſe arbitror, ſi animorum mala non tam quæ ſunt, quàm quæ ſubnaſci poſſunt, remediaq3 enarrauerim. nullorum hîc vulnera propalare animus fuit: ſed in fugam & tutelam, quæ ſuccreſcere tanquam in fœcundiſſimo zizaniarum ſolo, poſſent mala, deſignaui, & antidota venenis addidi. vt indignari nemo poßit, conatum

Digitized by Google

tum potiùs laudare; & doctoprudentiq3
mo, rudem hunc meum & imperitum, pol
rudire. quod totis animis voueo, repositu
neficium, quidquid à quocunque amico
subministratum fuerit. summa etiam pl
capita veriùs tetigi, ac malorum superfici
dam rasi, res per capillum veriùs trahens, q
to corpore pertractans. accedent docta ma
publico bono, gaudio meo, fusiùs hac certi
Spectanda dabunt. addent q3 è felici ingeni
ataq3 experientia sua plura in cognitio
medelam. quo magis venerabor colamq3 at
neficium memoria, centupla in cælis à De
bitione remetiendum.

Digitized by Google

SYLLABVS CAPITVM LIBRI PRIMI.

CAP. I. Ignoratio in Superiore muneris sui. fol. 1.
II. Ignoratio domesticarum rerum ac personarum. 7.
III. Ignoratio morborum subditorum suorũ. 14.
IV. Ignoratio spiritualiter medendi. 21.
V. Neglectus in curandis suorum morbis. 29.
VI. Impatientia in inferiorum curatione. 36.
VII. Acerbior correctio. 48.
VIII. Paternæ gubernationis neglectus. 51.
IX. Exigua cura interni spiritus. 60.
X. Remissio in gubernando. 66.
XI. Facilitas & indulgentia nimia. 75.
XII. Dissimulatio in suorum malis. 85.
XIII. Studium placendi sibi subditis. 92.
XIV. Nimia in suorum aliquem fiducia. 99.
XV. Priuatæ necessitudines & amicitiæ. 107.
XVI. Defectus boni exempli. 114.
XVII. Executionis defectus. 121.
XVIII. Disciplinæ neglectus. 126.
XIX. Neglectus valetudinis suorum. 137.
XX. Nimia in hospites parsimonia. 145.
XXI. Inutilium personarum admissio & retentio. 154.
XXII. Negligens institutio nouitiorum. 160.

LIBRI SECVNDI.

I. Auersio à Superioribus. 176.
II. Neglectus obseruantiæ erga Superiores. 183.

† Cu-

Digitized by Google

II. Curiosior inuestigatio imperfectionum. Superiorum. 736
III. Simulata & recta ignorantiæ explicatio & redditio. 189
IV. Curiositas in indagandis, quæ gubernationem tangunt. 903.
V. Obedientiæ neglectus. 202.
VI. Obedientia è solo metu profecta. 210.
VII. Excusationes. 217.
VIII. Intercessiones. 223.
IX. Laborum fuga, otij amor. 228.
X. Studiorum neglectus. 286.

LIBRI TERTII.

I. Orationis neglectus. 243.
II. Ariditas & in oratione distractio. 260.
III. Neglectus lectionis spiritualium librorũ 271.
IV. Examinis diurni neglectus, aut perfunctoria conscientiæ discussio. 278.
V. Tepiditas in ijs quæ spiritum tangunt. 290.
VI Mortificationis neglectus, 313.
VII Regularum etiam minimarum neglectus. 320.
VIII. Silentij transgressio. 331.
IX Aberratio ab instituto in rebus pijs. 341.
X. Auersio aut vniuersim ab instituto, aut ab aliquibus instituti proprijs, 348.
XI. Aemulationes etiam in rebus piis, & instituti propriis. 354.
XII. Amor sui, 360.
XIII. Dictorum factorumq; suorum commendatio,

Digitized by Google

tio, reliquorum damnatio. 375.
XIV. Ambitio, ſpecioſorum munium proſecutio, viliorum fuga & contemptus. 383.
XV. Delectus munium & locorum. 392.
XVI. Nimia in vnam alteramue nationem propenſio. 400.
XVII. Nimię cum vno alterouę familiaritates. 410.
XVIII. Familiaritas & gratia quęſita externorum, Principumque virorum. 417.
XIX. Affectus in parentes, in ſanguine iũctos, 429.
XX. Commendationes ad Eccleſiaſticas aut ſęculares dignitates & munia. 436.
XXI. Paupertatis neglectus, 443
XXII. Singularia in cibo, potu, veſtitu, reliquiſque corporis commodis, 453.
XXIII. Neglectus munditiei & modeſtiæ religioſæ. 459.
XXIV. Sæculares mores, riſus, ioci, minuſue religioſæ recreationes. 467.
XXV. Conuiuiorum frequentia. 476.
XXVI. Munerum acceptatio & largitio. 489.
XXVII. Adulatio. 497.
XXVIII. Politica agendi ratio. 505.
XXIX. Aulici mores. 520.
XXX. Clancularia agendi ratio. 527.
XXXI. Simulatæ amicitiæ, occulta odia. 534.
XXXII. Secretorum violatio. 540.
XXXIII. Infidus animus, alieni explorator & delator. 547.
XXXIV. Ingratus animus beneficiorũ immemor. 557

XXXV. Ni-

Digitized by Google

XXXV. Nimia ad externa diffusio. 565.
XXXVI. Castitatis neglectus. 575.
XXXVII. Nimia fiducia sui in rebus agendis, feminarumque consuetudine. 583.
XXXVIII. Feminarum familiaritas quocunque prætextu, confessionum, instructionum spiritualium, boni temporalis, ægritudinum. 592.
XXXIX. Frequentes & prolixæ feminarum confessiones. 606.
XL. Feminarum visitationes. 614.
XLI. Sociorum fuga & vitatio. 621.
XLII. Indeliberata agendorum resolutio & executio. 632.
XLIII. Diffidentia. 644.
XLIV. Dissensiones. 651.
XLV. Detractiones. 664.
XLVI. Delationes è suspicionibus natæ. 675.
XLVII. Credulitas nimia in delationibus. 683.
XLVIII. Nimiæ commendationes & depressiones, 689.
XLIX. Apprehensiones & suspiciones, 696.
L. Pusillanimitas. 709.
LI. Impatientia in aduersis. 727.

FINIS.

CEN-

Digitized by Google

CENSVRA.

Hic liber, medicus animæ, affectionumq; curator, ab Admodum R.P. Carolo Scribani Societatis IESV per Flandro-belgicam Præpoſito Prouinciali conſcriptus, virtutes inſerens, vitia extirpans, digniſsimus eſt, qui typis excudatur, vt Religioſus quiſque eum præ manibus, & ob oculos ſemper habeat Quod cenſui 9. Nouembris, anno 1617.

Egbertus Spitholdius S.T.L. Canonicus & Plebanus Antuerpienſis.

PRIVILEGIVM CAESAREVM.

EGo Ioannes Copperus Societatis IESV ad Rhenum Præpoſitus Prouincialis, iuxta Sacrę Cæſ. Maieſt. Priuilegium Societati noſtræ conceſſum, Michaëli Dalio Typographo Monaſterienſi facultatem concedo recudendi *Medicum Religioſum* R P. *Caroli Scribani* noſtræ Societatis Presbyteri. Fuldæ 21. Februarij, Anno 1620.

Ioannes Copperus.

Digitized by Google

LIBER PRIMVS.

SVPERIORVM MORBI ET CVRATIONES.

CAPVT I.

Ignoratio in Superiore muneris sui.

HINC ingens illud malum, cùm Superior non tam constitutionum, regularum, ordinationumque instituti sui, quàm iudicio suo gubernationem moderatur: vt non tam vocationis suæ, quàm nouæ congregationis & Religionis institutio meritò videatur, è Superioris placitis nata. Variæ ex his principijs consuetudines nascuntur, liberior in non paucis, in alijs rigidior disciplina; in magnis sæpe grauibusq;,

Digitized by Google

& à quibus Religionis nomen bonum pendet, laxior plerumque; in minimis noueque ferè excogitatis ſtrictior ſeueriorque; vt iam à primæuo ſpiritu & vocatione vix aliud præter inane nomen reliquum ſit: cùm quæcunque in ſpeciem pia bonaque amplectimur tanquam inſtituti propria. Grauis error eoque magis, quò ſub pietatis prætextu teneriores animas, ſimplicioreſque aliorſum ab inſtituto pellit.

Sanè vt non omnium morbis eadem medicamenta, nec omnium valetudini eadem victus potuſque ratio; ita nec omnium vocationi eadem vitæ genera, aut pietatis exercitia muniaque conueniunt. Sancte ſunt variarum Religionum exercitationes, ſed non omnes omnibus Spiritu ſancto dictatore præſcriptæ aut imperatæ ſunt. Sua cuiq; Religioni ſunt munia, ſui termini, quos egredi non ſit conſultum.

Et certè labetur ſæpè Superior, qui inſtituti ſui, muneriſque ſibi impoſiti ignarus, ſuo iudicio propoſitas difficultates decernet, & in grauiſſima ſe Religionemque diſcrimina conijciet, incertuſque ſæpe rerum, du-

Digitized by Google

dubius hærebit, ſollicitumque anxiumque pectus trahet; nec ſe explicabit ſine inſigni iactura nominis etiam ſui, ſalutiſque aliorum; mirabiturque ſe eò deductum, vt per præcipitia ſalus ipſi ſperanda ſit, cùm conſueto ſe itinere excluſum viderit, ſeroque, & non profutura pœnitentia errorem ſuum ingemiſcet, conſequeturque vt aut imperiti, aut fatui, aut temerarij, aut improbi nomen obtineat, audietque non rarò hoſtis Religionis, qui eam placitis è cerebro ſuo fabricatis, in alienam à veteri ſemitam conetur impellere.

Et ſanè cùm nihil ſtolidius ſit, quã ignoratæ artis ſcientiam profiteri, vt ſi quis curationum ignarus medicum ſe venditet; ita omnium ſtolidiſſimum eſt, Religionem, quã ignores, præ te ferre. Neque enim in vno errore ſtabit hoc malum: error enim vnus errorem trahet, donec ad inextricabilem errorum labyrinthum deducatur, è quo ſe extricare nulla arte aut prudentia queat. Hinc eſt illud Gregorij: In Paſt. part. 1. capit. primo. *Nulla ars doceri præſumitur, niſi intenta meditatione priùs diſcatur. ab imperitis ergo*

Digitized by Google

paſtoribus magiſterium paſtorale ſuſcipitur in magna temeritate, quoniam ars artium eſt regimen animarum.

Plurimum deinde illi de ſapientiæ opinione decedet. atque hinc auctoritas illi apud ſuos minor, minorque veneratio erit: nec rarò erubeſcet, cùm rogatus hallucinabitur, aut ab inferioribus errorem ſuum diſcet, non ſine inſigni ignorantiæ ſuæ rubore.

Et quid vniuerſim ſperari ab eo boni poſſit, qui ignarus impoſiti ſibi muneris eſt? quomodo illud, nomenque ſuum tuebitur, alijs imperabit, dubitantibus conſulet, labantes eriget, ægris medebitur, afflictos ſolabitur, proſpiciet tempori, præcauebit damna, irruentibus ſe malis opponet, aut propulſabit noxia, cùm ferè ab hoc nocitura potiùs metuenda, quàm profutura ſperanda ſint? & ſi quid feliciter euenerit, fortuitis magis caſibus, quàm certæ ſcientiæ tribuendum ſit?

Iam quid expectare prudenter ab eo poſſumus? nihilo plus quàm ab imperito nauclero ſecundum curſum, ab ignaro auriga fe-

Digitized by Google

felicem ac inoffensum progressum, ab imperito medico valetudinem bonam, ab indocto architecto, penicillo, calamo, doctum, elegans, eruditum opus.

Et certè quicunque muneris sui scientia destituitur, etiam prudentia agendarum rerum regula destitui necessum est: qua qui caret, quantis necessariò se difficultatibus induat nemo non videt. vnde fit, vt nihil certo consilio ac ratione; omniaque dubio euentu peragantur. perimentia proinde sæpè pro salutaribus, noxia pro profuturis, venena pro medicamentis propinantur. & cùm cõtraria ferè contrarijs curentur, amica hîc amicis præbentur mala, tãquam si in fomentum, non in malorum depulsionem remedia porrigantur. Neque enim potest muneris sui ignarus, personarum, temporum, locorum, rerum, in omni prudenti gubernatione necessariarum rationem habere: sed de errore in errorem necesse est illum labi. Quo fit vt infortunatissimum ferè exitum sortiatur, cùm tam fatuis mereque fortuitis consilijs agatur.

Digitized by Google

Remedia.

EX instituti accurata cognitione petenda. hæc verò ex frequenti constitutionum, regularum, tam communium, quàm singulorum officialium, ordinationum, instructionum, historiæque instituti lectione paranda.

Iuuabit plurimùm conferentiarum frequens de rebus instituti proprijs iteratio: deque ijs maximè, quæ aut nocitura in primis, aut profutura videbuntur: de praxi etiam & executione rerum ad Religionis integritatem potissimùm necessariarum.

Proderit etiam frequenter cum ijs agere, qui aut longa rerum experientia, aut assidua lectione instituti vt peritissimi, ita amantissimi sunt, illorumque sibi vitam imitandam proponere qui in omni virtutum genere, institutique ac primæui spiritus amore, omni ætate floruerunt.

Magis etiam si in dies singulos, aut sanè alternos, seponat horam vnam, aut sanè mediam: qua & singulorum subditorum sibi of-

Digitized by Google

officia, conditiones, mores, propensiones, virtutes, vitia, animique morbos & curationes, & impositi sibi muneris partes omnes, seriò secum tacitus perscrutetur: quid nimirum res, quid concreditæ sibi personæ deposcant. quibus tueri augerique res domestica; quibus foueri prouocarique primæuus Religionis spiritus; quibus pro instituti ratione promoueri proximorum salus possit. quorum omnium sedula ac non perfunctoria cogitatio, magnum Superiori lumen præbebit, ac in commissi sibi muneris cognitionem inducet.

CAPVT II.

Ignoratio domesticarum rerum, ac personarum.

HInc ingentes agendarum rerum imprudentiæ nascuntur, & graues in gubernatione errores, quos nullo remedio corrigas, damnáque non in vnam alteramue personam, sed in corpus vniuersum decurrentia; cùm aut committuntur munia,

Digitized by Google

quibus non possunt, aut res deliguntur noxiæ.

Neque quisquam prudenter præesse potest, aut præcauere nocitura, aut profutura deligere, cui non domestica omnia personæq; perspectæ fuerint: errores enim ex hac ignoratione necessum sequi grauissimos, cùm prioribus dissentanea sępe imperentur, aut sanè minùs commoda, aut mutuo pugnantia.

Ille securè procedit, nec facilè pœnitenda committit, quem nihil domesticarum rerum fugit, & non magno negotio deuitat mala, & prouidet nocituris, ac præoccupat etiam antequam veniant, quem nullæ domesticæ res latent; aut certè remedia illi prõpta & ad manum sunt, qui & suorum in hãc aut illam partem propensas voluntates, vires, eruditionem, ingenia, mores, domesticasque res omnes perspectas habet. Neque enim ille de facili committet aut non committenda, aut quibus non tutò potuit: scit res personis, personas rebus metiri. contrà qui hæc ignorauerit, in ingentia sæpe discrimina suos conijciet, nomenque bonum cor-

Digitized by Google

corporis totius: vt qui ad indignationes, æmulationes, potum, arrogantiam, carnem propenſo ea imponet, quæ quaſi apprehenſa manu trahunt ad illa, ad quæ natura non modò ducebat, ſed reluctantes etiam potenti trahebat impulſu, quaſi ſi quis præcipitio proximum, & tantùm non prolabentem protrudat. Bene de hac re Proſper. de vita contemp. lib. 2. cap. 2. *Præpoſiti ſpeculatores ſunt, quia ſpeculantur actus hominum, & qualiter quiſque viuat diligenter explorant: quos bonos probauerint, honorando confirmant; quos deprehenderint vitioſos, arguentes.* & Chryſoſtomus de ſacerdotio: *Multa paſtori opus eſt diligentia: ſexcentis etiam, vt ita dicam, oculis, vt recte vndique humani animi habitum circumſpicere poſſit.*

Certè vel minima etiam ignoraſſe grauium in gubernatione errorum cauſa eſt, ille prudenter præeſſe poteſt, quem nullæ domeſticæ res latent. magnæ illæ aut paruæ ſint, plurimum ad prudentem gubernationem conferunt: cùm minimæ etiam aliæ atque aliæ intercurrentes circumſtantiæ, alia atque alia conſilia depoſcant; maximæque ſæpè res, & à quibus plurimorum ſalus feli-

Digitized by Google

céſque infelicéſque exitus, à minimorum cognitione pendeant. Nihil ergo illum fugiat cui commiſſa aliorum gubernatio, ſi ſapienter præeſſe velit. nec aliorum tantùm induſtriæ verbíſque, ſolíſque auribus ſuis fidat, oculos admoueat certiſſimos rerum teſtes, ac propè falli neſcios. vnde fiet vt domeſticos omnes ſerios ſedulóſque concreditorum ſibi officiorum adminiſtratores conſequatur, cùm ſcient ſua omnia perſpecta Superiori eſſe, nec falli illius aut circumueniri diligentiam poſſe. Quæ res incredibile eſt quàm leui negotio omnes in officio contineat. cùm ita natura comparatum ſit, vt niſi filialem aliquem metum amori in gubernando admoueris, non magna de felici prudentíque gubernatione ſperare poſſis. amari in imperio magnum eſt. Sed ferè indulgentia amorem comitatur. iũge filialem timorem, & prudentis imperij leges explueris. ac licet ſua ſit amori veneratio, niſi altera à timore veneratio accedat, non poſtrema obſequendi promptitudo labaſcet, plurimúmque de imperij felicitate decedet.

Perſonarum etiam ignoratio in immania præ-

Digitized by Google

præcipitia Superiorem adiget. Quid enim tutò ignoto committet? aut quam rem prudenter illi credet, cuius vitam, mores, animorum propensiones ignorat? non ad singula propè imperia trepidabit suorum ignarus, déque incerto dubióq; perpetuò euentu sollicitus? cui deinde fidet, cùm ignoto fidere stolidum sit, & ipse suorum ignoratione laboret? solus exequi omnia non potest; ignotis sua Religioníque sapienter credere non potest, externis domestica committere non expedit: quò se vertet inter hæc constitutus Superior? nisi vt anxiam semper mentem trahat, aut fortuitis omnia euentibus committat. in vtroque miser. nam aut semper timere, aut omnia fortuitis permittere miserrimum & infelicissimum vitæ genus est, quod infortunato plurimùm exitu clauditur.

Remedia.

VIgilans Superiorum cura, & in omnem partem intētio, vt omnino nihil illum fugiat. Consequetur hoc magna & intenta

Digitized by Google

ſuorum obſeruatione, diligenti examine redditionis conſcientiæ; aliorum etiam, maximè qui iudicio & ſolertia valent, auditione, ſententiarumque inueſtigatione. iudiciorum enim variorum diſquiſitio in magnam inducet Superiorem ſuorum cognitionem.

Conandum deinde, vt ea ferè per ſe Superior peragat, quæ magnam adferre notitiam ſolent; qualia ſunt

Litterarum omnium, ſiue illæ mittantur, ſiue ad ſuos dentur, accurata lectio.

Omnium qui ad portam euocant, cognitio, ne externorum quiſquam, quantum frequentia, & loci ratio permittit, Superiore inſcio, quenquam conueniat.

Ne ad vllius externi ædes, non conſcio antè Superiore, quiſquam accedat.

Ne extra conſueta tempora ad templum euocentur inconſulto Superiore.

Credi non poteſt quàm ingenti rerum harum cognitio Superiori, in omnem benè gubernandæ familiæ rationem excubanti, præſidio ſit. Non magna quis hæc arbitrabitur; ſed ea tamen ſunt, à quibus omnis prudens

Digitized by Google

dens gubernatio dependet, quibuſque neglectis, propè impoſſibile eſt, prudentem gubernationē poſſe ſubſiſtere, quibuſque ſtantibus, facilis omnis gubernatio eſt.

Idem inuenies in omni repub. regno, militia; quorum ſalus in rerum perſonarumque accurata cognitione vniuerſa vertitur. quæ res ſemper coëgit ſummos Reges, & prudentia, & rerum geſtarum gloria claros, ad largiſſimas etiam pecuniarum profuſiones in hoſtium conſilijs dignoſcendis. At verò non minùs neceſſariam eſſe domeſticorum ſubditorumque cognitionem, quàm externorum conſiliorum, nemo non videt; cùm ab hōrum ignoratione, aut perſpecta ſcientia, plus etiam reipubl. bonum, quàm ab hoſtili dependeat. Vt enim ſemper periculoſiora domeſtica mala, quàm externa ſunt; domeſticum ferrum & venena, quàm hoſtilia: ita cognitio illorum magis etiam neceſſaria eſt, minoreque damno inimica, quàm domeſtica conſilia ignorantur.

Curabit deinde Superior, vt omnium ſibi ſubditorum officialium, muniumque ſingulorum, accuratam cognitionem habeat.

Digitized by Google

Obeat ipſe ſæpè domum, ac infimorum etiam non ratò colluſtret operas, locáque muneribus illorum accommodata: temporarias etiam domus ſuæ rationes penitus perſpectas habeat, vt nihil illum earum fugiat, datíque acceptíque rationes omnes ipſe diſpiciat ac memoriæ imprimat, vt & iudicium de ijs ferre, & proſpicere tempori poſſit.

Nemo facilè credat, quantum intentus ſic in omnem partem Superioris oculus & domeſticos in officio contineat, & damna præcaueat, & profuturis proſpiciat, ac Superiorem quaſi iuris ſui faciat, ac extra quandam ſuorum tutelam ponat.

CAPVT III.

Ignoratio morborum ſubditorum ſuorum.

EX qua prouenit, vt aut malis adhibere remedia non poſſint, aut non adhibeant idonea, aut etiam contraria, plurimóſque in variorum munium impoſitione, vl-

Digitized by Google

vtro, ignarique periculis obijciant vocationis & animarum. nam quæ remedia in morborum ignoratione sperari possint, nisi fortuita, ægros plurimùm perimentia? profutura animi rum, aut interemptura, prout fortuitò casus tulerit.

Proficiscitur hæc in Superiore ignoratio è suorum neglectu, & ignaua quadam commissorũ sibi cura, ex ingenti animi tepore, ac languore spiritus, è pusillanimitate & animi deiectione, & è quodam muneris sui frigore; *dum* res nec seriò tractat, nec zelo in eas fertur, & superficie quadam contentus, non descendit ad interiora; quasi satis sit præfuisse.

Nascitur non rarò eadem ex non ritè reddita conscientiæ ratione. fit hoc, cùm minùs confidenter inferiores Superioribus sese aperiunt, vel quia duriores illos nacti sunt, vel quia minùs secretos, vel quia laborũ fugientes, & à quibus auxilia desperent.

Neque vltima ignorationis huius causa è varia Superiorum occupatione nascitur; vt cùm adeo grauibus, tamque varijs distinentur, vt totos illos alia negotia occupent: qui-

Digitized by Google

quibus obruti, nec respirandi tempus habẽt, nec eis ratio suorum cognitioni incumbendi suppetit; cum nimirum vel ordinarijs concionibus vacant, vel toti scriptionibus inhęrent, vel externorum saluti, consilijsque dandis obruuntur, vel inualetudine deniq; perpetua detinentur: quæ nisi in viros perpetuò sibi præsentes, quique oculos inter medias negotiorum aliarumq; occupationum moles, in domesticos sibique concreditos, intentos semper teneant, inciderint; periculum omnino est, ne densissima suorum ignoratione laborent.

Et quam curationem morbis suorum adhibebunt tales, quibus ipsa ægritudo, ægritudinumque causæ in solidum ignoratæ sunt? pericula, damnaque, & valida morborum incrementa veriùs metuenda sunt, quã noxiorum à talibus mitigationes aut depulsiones sperandæ. Neque enim quicquam ignoratione morbi grauius, magisque meritò metuendum in curatione accidere potest, neque quod præsentiùs mortem acceleret.

Re-

Digitized by Google

Remedia.

VT in medico inualetudinem cognouisse propè curasse; ita ignorasse, ægrũ propè peremisse est. Prima proinde omnis p[illegible] medici cura est, morbum, causſas, incrementa, statum intellexisse: è quibus medicationis spem non magno negotio concipiat, periculaque depellat. neque sanè longè petenda remedia: quæ ferè cuique experto ad manum sunt. Mali cognitio difficillima est. Hanc qui consecutus fuerit, facilem sibi ad reliqua viam sternet. Idem vsu venire solet in animorum morbis, cognouisse propè curasse est, imò sola non rarò explicatione fugantur morbi, vt verè Cassian. Coll. 2. ca. 10. *Illico vt patefacta fuerit cogitatio maligna, marcescit.* Nec difficile est Superiori viro humanarum rerũ experto, cognita depellere, aut anteuertere quæ nouit mala: vt tota ferè curationis spes metusque à morbi cognitione aut ignoratione pendeat.

Hanc cognitionem partim seria longaque obseruatione suorum, partim aliorum de-

Digitized by Google

denuntiationibus, partim ægri confessione discet Superior: nam & ipse intentum in omnem partem oculum habebit, mores, verba, socios, consuetudinem, propensionésq; obseruabit, maximè recreationum tempore, videbítque in quæ se profundat, quorum familiaritate ac narrationibus delectetur. pronioréne in cibum, potum, continétiam, mulierum consuetudinem, sæculi an religiosos mores, in fabulas aut serias piasúe sermocinationes. Ferè enim in illis inlatentia pectoribus vitia se ac virtutes produnt. index animi oratio est.

E socijs deinde maturioribus facilè reliquorum mores intelliget. neque enim in adeò mutuè innexo contubernio, latere diu bona maláque possunt: cùm omnium plerumque oculis auribúsque intima quæque obijciantur. ad quæ si accedat ægri ipsius sincera, tanquam patri ac medico retectio, nulla difficultate, cuicunque etiam grauissimo occurri malo potest.

Prima proinde Superioris cura erit, suos paternis monitis factísque, ad malorum tempestatúmque quibus premuntur ac ia-

Digitized by Google

iactantur nudas explicationes excitare: vt & aperire audeant, & patris veríque ac condolentis medici manum experiantur. Semel enim amicam dexteram, maternáque in Superiore vbera experti, faciles proníque ad omnem ęgritudinis confessionem decurrent. quòd vbi Superior consecutus fuerit, ludus illi gubernatio erit: ingens enim ex hac mutua fiducię ostentatione amor nascitur. cùm vix fieri possit, vt qui paternum in se Superioris animum senserit, non prono profusóque in ipsum pectore feratur. neque quidquam promptius est, quàm ad illius medici opem confugere, à cuius benigna doctáque manu remedia accepimus. Patrem proinde se & medicum exhibeat Superior, & vltro fatentem, maláque sua ingenti fiducia explicantem inferiorem experietur, & facilem ad curationem viam reperiet: cùm & obsequentem ægrum suum habebit, & mali vim magnitudinémque intelliget. Paterna proinde in omnes adhibenda sollicitudo, quam etiam subditi persentiscant, quò facilius morborum quibus iactantur genera, in Superioris, tanquam patris, ac

Digitized by Google

ac benigniſſimæ matris ac medici, ſinum deponant.

Maior autem in Superioribus paternorum affectuum oſtentatio, ſi in eos fuerit, qui fidentiùs ſe ſuaque omnia, ægritudinumque genera aperuerint, occaſionem cauſſamq; ſinceræ retectionis reliquis præbebit.

Examinanda etiam ſeriò conſtitutio inferiorum, quales antè fuerint, quales in præſentiarum ſint, quos morbos aliquando paſſi, quæ medicamenta adhibita, quo ſucceſſu.

Secreti demum infracta obſeruatio, omnium eorum, quæ filiali à ſubditis affectu, apud Superiorem tanquam verum animarum parentem repoſita ſunt, plurimùm hîc valebit. Dici non poteſt, quantam hæc res confidentiam excitet, prouocetque inferiores, ad vniuerſos, quibus iactantur, morbos, cum quadam etiam animi voluptate retegendos.

CAPVT IV.

Ignoratio ſpiritualiter medendi.

Ex

Digitized by Google

EX qua quàm ingentia & meritò timenda mala proficiſcantur, nemo paullo prudentior non videat. Nam quamuis magna pars ſperatæ valetudinis à morborum cognitione pendeat; curationis tamẽ ignoratio, medicamentorumque inſcitia, inter prima ægrum perimentia adnumeranda ſunt. qua qui tenetur, nõ rarò nocitura propinabit, exaſperabit malum, irritabit, non tollet noxios humores, interitúmque accelerabit.

Atque hinc mœrores naſcuntur, & graues in ægro melancholiæ, cùm ſentit malis quibus opprimitur, non remedia, ſed malignitatem prouocantia adhiberi, quare imperitiam medici ſui damnat, malaque ex illa nata inclementéſque illius manu, & medẽdi ignaras deteſtatur. nam licet fòrs ab animo clementis medici & patris proficiſcantur, ſi ab imperito & mederi neſcio veniant, à tyranni potiùs & iudicis quàm patris prouenire arbitrabitur. vnde faſtidia naſcuntur, & nauſeãtis animæ infelix tepor, gemitus & lacrymæ, & dura imo ducta ſuſpiria, oblocutionúmque paſſim ac querimoniarum in-

ingentes acerui, medicum ſuum accuſantes, nec tam inſcitiam in illo, quàm hoſtilem animum damnantes.

Quid? quòd creſcant in ægro mala, cum ex vno plurimùm errore enaſcantur alij, morbiq́ue è morbo, tanquam è fœcunda fontis vnius vena varij torrentes, proſiliant: vt conſultius ſit ægritudinem vniuerſam ignauo aut hoſtili etiã animo neglectam iacuiſſe, quàm ignaram medendi manum admouiſſe: minuſq́ue peccet qui exuto omni patris affectu, ſeueri vbique iudicis dexteram, ferrumq́ue & ignem adhibet, quàm qui medicationis imperitus fortuita, & in incertum caſura, aut obſtura admouet. Contingit enim non infrequẽter vt imperitia medici, leuiſſimus morbus & paruo medicabilis, ad malorum extrema ægrum deducat: & qui ſibi, naturæq́ue benignitati relictus, ſola nonnunquam mora curari poterat, inſcitiâ medici in vltimam deſperationẽ protrudatur. tãtum in omnẽ partem peritia imperitiaq́ue valent; vt mors vitaq́; in prudentis imprudentiſq́ue medici manu poſita ſit. Quanti viuerent ſi indoctum medendi in-

Digitized by Google

incidissent? quanti in Religione omni æuo stetissent, si medendi peritum Superiorē nacti fuissent? ceciderunt, non tam mali magnitudine, quàm indocta illius manu. Quāti in ipsa miseram sibique alijsque vitam trahunt, nec mentis tantùm, sed & corporis viribus prostrati iacent, ingloria morte ingloriam vitam signantes, sola imprudenti Superioris medicatione, omni spe melioris valetudinis deiecti? ita in corpus etiam animo medendi imperitia transit. cùm illius ferè mala in corporum se ægritūdines profundant, & hæ ex illis, tanquam è matris vtero nascantur. Hinc non rarò videmus in omnē vitam, lentam plurimos animam, in corpore mille morbis oppresso, trahentes: quos vna Superioris medendi peritia leui attactu, sub morborum initium, curare poterat. accessit imperita manus, & efferauit malum, & euertit quidquid erat spei valetudinis bonæ, & ad nulla ætate aut arte medicanda ægrum suum deduxit. Nam licet peritior postmodum accedat manus, eò tamen non infrequenter malum deductum est, vnde ad meliora reuocari nulla prudētia aut dexteritate

pos-

Digitized by Google

possit. principes nimirum partes insedit malum, & potissima quæque depastus est morbus, vt à nulla quantumuis docta manu sperari prudenter remedia possint.

Remedia.

E Serio diligentíque meditationum studio, piorúmq; librorum frequentata lectione, vsúque rerum experientiáque peritia paranda. Optimus ferè ille est, quiex se magister plurima tulit, de genu non semel pugnauit, hostémque post liuores, vulnera, sanguinem, toto tulit corpore, ab arena & sanguine animos mutuatus: quíque exemplo suo didicit non eadem omnibus pugnarum & victoriæ genera præscribenda esse: alia enim atque alia pro varia hominum conditione documenta tradenda sunt. faciet hoc peritissimè, qui ex se didicit curationū genera ex morborum diuersitate pensanda, sed & pro ratione constitutionum, ac temporum etiam discrimine aliarúmq; circumstantiarum, medicamentorum genera adhibenda. Neque enim eadem omni tempo-

re,

Digitized by Google

re, loco, omnique ætati, & constitutionibus, aut omnibus singulisque omnia conueniunt. Iam varia morborum qualitas varia etiam curationum genera postulat; cùm è varijs circumstantijs medendi ratio pẽdeat, illæ autem innumeræ propè sint. Necessum proinde Superiorem virum esse prudentem, prouidum, singula circumspectantem, disquirentem ægritudinum causas, morbum ipsum, ægri constitutionem, quæ etiam in eo sperari, quæ timeri possint. Prudenter in hanc sententiam post Nazianzenum Gregorius in proleg. Past. par. 3. *Non vna eademq; exhortatio cunctis congruit, quia non cunctos par morum qualitas astringit. Sæpè namque aliis officiunt, quæ aliis prosunt: quia & plerumque herbæ quæ hæc animalia enutriunt, alia occidunt; & lenis sibilus equos mitigat, catulos instigat; & meditamentum quod hunc morbum imminuit, alteri vires iungit; & panis qui vitam fortium roborat, parvulorum necat.* Vt meritò inclamet in Past. par. 1. cap. 1. *Ars est artium regimen pastorale. quis autem cogitationum vulnera occultiora esse nesciat vulneribus viscerum? & tamen sæpè qui nunquam primalia præcepta cognouerunt, cordis*

Digitized by Google

ſe medicos profiteri non metuunt: dum qui pigmentorum vim neſciunt, videri medici carnis erubeſcunt.

Quid? quòd & ipſe, in quo verſatur, locus, domeſticiq́ue, & contubernales aliquid adferant momenti iuſtæq́ue conſiderationis, vt omnia omnino Superioribus in remediorum applicationibus accuratè expendenda, nihilque indiſcuſſum relinquendum ſit: & ſæpe à tenuiſſimis rebus remedia petenda ſunt. à locorum enim, ſociorum, Superioris, muneris mutatione, alijſq́ue longè his inferioribus, magna aliquando ſperari poſſunt. plurimùm verò intereſt, temporis rationem habere, conſtitutioniſq́ue ægrientis animi; ne turbata, nec ſatis compoſita mente, aut etiamnum exaſperata, curatio admoueatur. Componet illius priùs animũ Superior, furoreſq́ue primos, efferataſq́ue procurſiones vt ignarus præteriet: at vbi depulſis Aquilonib. reſederint animo fluctus, quibus iactabatur, manum admouebit paternã, licet iudicis poſtea opus foret; in qua tamen nunquam patris perſonam exuet: vt dum æger patitur iudicem, ſentiat patrem; pluſ-

Digitized by Google

pluſque adeò ſemper medicamenta habeãt patris, quàm iudicis, etiam cùm iudicis nomen induendum erit.

Proderit etiam in primis magnos viros audiſſe, aut legiſſe, qui ſuo, aut aliorum exemplo edocti, varia vt morborum, ita curationum genera norunt. Habemus hîc monentem Chryſoſt. hom. 5. ad pop. Ant. *Contraria contrarijs curare medicorum filij iubent. ex crapula ergo nata eſt febris? inedia morbum corrigunt. ex triſtitia quis infirmus eſt? lætitiam huic aptam medicinam eſſe ducunt. Sic & in animæ ægritudinibus fieri oportet. Iram torpor excitauit? induſtria hanc repellamus.* Habemus Gregorium homil. 32. in Euang. *Cæleſtis medicus ſingulis quibuſque vitiis obuiantia adhibet medicamenta. Nam ſicut arte medicinæ, calida frigidis, frigida calidis curantur: ita Deus noſter contraria oppoſuit medicamenta peccatis, vt lubricis continentiam; tenacibus largitatem; iracundis manſuetudinem; elatis præciperet humilitatem.*

Frequens deinde ac diligens per diem conſideratio plurimum momenti adferet, qua dum commiſſum ſibi gregem ſeriò Superior voluit, variaque in ſingulis morborũ

Digitized by Google

genera, varias etiam medelarum excogitat formas, nullis aut induſtrijs aut laboribus parcit, quò ægrienti ſubueniat, morbum leuet, monitis, precibus, lacrymis; durioribus etiam, ſi morbi genus duriora poſtulat: ad quæ tamen nonniſi mitioribus tentatis, & neceſſitate coactus deſcendat, memor ſe eſſe patrem.

Animos inſuper ad curationem neceſſum adferre magnos, qui nec magnitudine, nec morborum difficultate terreãtur: vt ingenti in Deum ſpe fretus, nuſquam de ægroto deſperet Superior. fruſtra enim medicinam cogitat, qui illam à deſperatione inchoauit. Audere, victoriæ initium eſt.

In ſpiritalis denique medicamenti præſcriptione conandum, vt quà ſuauitate ac benignitate, quà varijs in affectum amoremque prouocantibus æger medico concilietur, amareque incipiat, fidemque dictis adhibere. Sic fiet, vt morbi magnitudinem indicanti fidem adhibeat, & medicamenta, licet acerbiora, lubens admittat; maximè cùm ſibi perſuaſerit, ab amore hæc nata.

CA-

Digitized by Google

CAPVT V.

Neglectus in curandis ſuorum morbis.

NAſcitur hic ex ignauo quodam Superiorum tepore, dum aut promouendi inſtituti, aut propagandæ Dei gloriæ, aut ſaluris ac profectionis ſubditorum zelo carent.

Ex emendationis quadam deſperatione, dum aut robori ſuo diffidunt, aut de ſuorum virtute deſperant, aut difficultatibus territi, manum curationibus admouere formidāt: qua benignitatis ſpecie nihil crudelius inueniri poteſt. augentur enim & recrudeſcunt per interualla morbi, & extremis periculis proximus eſt qui patitur. bene Sapiens Pro. 19. *Erudi filium tuum, ne deſperes.* & alibi Prou. 29. *Correctio tribuit ſapientiam.*

Quòd remedia in omnibus molliora, & extremam tantùm cutem tangentia admoueant, nuſquam verò ad malorum radices manum mittant, contenti pālliata quadam medicatione, imitantes eos qui exteriori ſti-

Digitized by Google

bio & purpuriſſa intus latentem fœditatem contegunt, quiq̃ cãdído linteo, nulla alia medicatione obuoluunt vlcera, non cogitantes eruptura illa aliquando maiori dãno, aut vicinâ quęque ac intima demum corporis peſtilenti ſanie ſua in ſimilem malignitatem pellectura.

Hinc fit primò, vt inferiores dum non perſentiſcunt mala, quibus in dies magis magiſq; immerguntur, labantur in deterius, & antè lapſum, quàm periculum aut præcipitium ſentiant, ſera poſt ruinam medicatione.

Secundò, vt perſuadeant etiam ſibi inferiores, bene ſecum agi, & regia ſe incedere via, cùm videãt nulla Superiorum accedere monita, cõmuni illa perſuaſione ducti, qua pleriq; arbitrãtur ea à Superioribus probari, quæ non improbãtur; nec morbos iam eſſe, quibus nulla medicamenta admota, ſed ſigna aut veſtigia valetudinis bonæ.

Et non iam patres, ſed hoſtes tales eſſe, nemo non videat, qui cogitauerit ex hoc Superiorum neglectu, quæ priùs leui medicationis attactu curari poterãt, ita increſcere mala,

Digitized by Google

la, vt ferro & ignibus postmodum opus sit; & qui initio sui sine dolore, ac quasi inter somni delicias curari morbi poterant, mora ipsa exasperatos, omnem paternam manum magnitudine sua vincentes, non nisi iudicis vstione & sectione medicari posse. Hinc illi inter dura hæc medicamenta, eiulatus & lacrymæ, Superiorum suorum neglectum, barbaramque in nimia clementia indulgentiam accusantes. Sanè tales plurimis exitio fuêre, & desertæ auctores vocationis; neque enim ad extrema hæc malorum venissent, si vigili cura morborum principijs seriò Superiores inuigilassent, & in semine suo, aut tenero adhuc frutice, paternis zizania manibus ab agro Dominico auertissent: at vbi incuria excrescere illa in validas arbores passi sunt, non nisi à securibus & flamma remedia speranda sunt.

Atque hinc magnorum sæpè ingeniorum, non sine ingenti Religionis damno, excidia nata sunt: quæ quo maiora sunt, eo ferè validiùs admittunt noxia, imbibuntque altiùs & potentiùs; credas in fœcundum solum semina iacta fœneraria redhibitione. quib. si

Digitized by Google

manum admoueris, dum adhuc herbescunt zizania, semenque bonum pro maligno inseueris; nullo negotio & illa viceris, & centupla fœneratione Domini aream horreaq; beabis.

Et mihi ferè hi Superiores similes videntur ijs qui oceani tempestates, dum adhuc minantur; & eminus fluctus denuntiant, cõtemnunt, nec antè de portu fugaque cogitant quàm vbi irata intumuisse maria, iraſq; fremituſq; suos vomentia senserint; cùm hîc tanquam sideribus collisuri iaculantur & excutiunt, ibi immani hiatu vado tanquam sepulcro reconditurі præcipitant ratem; scopulis nimirum illisi, de salute & fuga meditantur, tabulam circumspectantes, dum frustra iam portum littoraque neglecta sperãt. antè oportuit, neglexerunt: rationem reddituri Domino commissi sibi gregis, animásque pro animabus suorum posituri, seueriſsima aliquãdo Iudicis sententia feriendi. ita monet Prosper. de vita contem. li. 1. c. 20. *Superior sanctè viuere debet propter exemplum: certus quòd ei nihil sua iustitia suffragetur, de cuius manu anima pereuntis exigitur. & quid ei proderit, non pu-*

Digitized by Google

puniri ſuo, qui puniendus eſt alieno peccato?

Remedia.

ASeria Superioris in omnem partem intenti vigilantia petenda ſunt; nulli parcendo, quà monendo, quà blandè ſuauitérque vulneris morborúmque loca pertractando, leniendo, fouendo: grauiora & acriora, ſi qua neceſſitas exigat, medicamenta adhibendo; nuſquam malis indormiendo, aut tenuitatem vulneris negligendo: certus à minimis initijs ad ſumma deueniri, & à tenuiſſimi vnguis fricta ad mortem properari. Bern. in ſermone de S. Ioan. Baptiſt. *Nemo vitia palpet, peccata diſſimulet nemo. nemo dicat, Nunquid cuſtos fratris mei ego ſum? eſt enim conſentire, ſilere cùm arguere poſſis: & ſcimus quia ſimilis pœna facientes maneat & conſentientes.* Bene Proſper. lib. 3. de vita contemp. c. 23. *Si peccantem video, & non ſolùm non arguo, ſed etiam ei peccanti conſentio, participem me eius damnationis efficio: & in omnibus peccantibus pecco, quando eos quos ſcio peccaſſe vel peccare, quadã crudelis animi malignitate non increpo.* In Superiore maximè hoc locum habet, qui non ſolius caritatis, ſed iuſtitiæ legibus ad ſuorũ monitionẽ

Digitized by Google

& correctionem tenetur. quo grauiorem etiam vindicem Domini manũ vereri meritò debet. Hinc illud Augustini de Ciuit. lib. 1. c. 9. *Quæ in re non vtiq; parem, sed longè grauiorem habent causſam, quibus per Prophetam dicitur: Ille quidem in peccato ſuo morietur, ſanguinem autem eius de manu ſpeculatoris requiram. Ad hoc enim ſpeculatores, hoc eſt populorum præpoſiti, conſtituti ſunt in Eccleſiis, vt non parcant obiurgãdo peccata.*

Illud interim in curationibus caueat, ne à potentioribus illas ordiatur, cùm à lenioribus remediatio inchoãda ſit. quòd ſi quando, vt in obduratis morbis euenire ſolet, ad grauiora remedia decurrendum fuerit, meminerit illud Augustini ad Bonifac. *Moleſtus eſt medicus furenti phrenetico, & pater indiſciplinato filio; ille ligando, iſte cadendo, ſed ambo diligendo. Si autem iſtos negligant, & perire permittant: iſta potiùs falſa manſuetudo crudelis eſt.* & Gregorij in regiſtro. *Qui non corrigit reſecanda, committit: & facientis culpam habet qui quod poteſt corrigere, negligit emendare.* Sanè ſi patrem in omni ſuorum correptione Superior ſe oſtenderit, non grauatè de manu patris etiam vſtiones perferet filius, certus à paterna manu ignes ab amore naſci ad quos non niſi in

Digitized by Google

extremis, & poſt mitiſſima tentata decurret. vbi viderit mali magnitudinẽ minora vincere, deſcẽdet inuitus ad maiora: deſcendet tamen, cùm melius ſit per hæc filium viuere quàm ſine his perire.

Pari deinde cum ſubdito conatu radicibus extirpandis manum admoueat, paternè tamen ſemper, nec niſi in extremis malis iudicis perſonam induat. certè, Proſ. ſup. c. 23. *ſi nõ exiactantia, ſed ex miſericordia, & cum quadam pietate compatientis animi caſtigamus, & illi nos ſentiant non minùs peccatis ſuis moueri, quàm noſtris; aut in bonum ſtatum reformati, nobiſcum Deo gratias ãgent; aut ſi adhuc eos in peccato tenet peccandi dulcedo, & ſalutem ſuam nobis cura eſſe cernentes, malum reddere pro bono voluerint, malle debemus eorum inimicitias, qui noluerint emẽdari, contrahere, quàm Dei offenſam, dum peccantes palpamus, incurrere.*

Frequẽtes deinde ſuas ad Deum preces iaculetur, lacrymas pœnitẽtijs miſceat, orationes etiã ſuorum, tacito tamẽ nomine, maximè in morbis grauioribus, indicat; maioreq; ſemper cura & conatu internis animorum, quã corporum ìnualetudinibus incumbat.

Digitized by Google

CAPVT VI.

Impatientia in Inferiorum curatione.

QVæ res ad extrema morbum impellit, illiditq; afflictam hanc ratem, tentationum fluctibus quaſſatam, in breuia & ſcopulos, aut inextricabile periclitanti profundum.

Et ſanè non eſt prudentis medici, deſperare de ægritudine, nec deſtituere ægrotum, etiam cum extremo ſpiritu luctantem; cùm non ignoret ſalutem etiam, tantùm non ab vltimo ſpiritu non rarò redditam. Et nautæ quoties inter cæli maríſque minas, naufragio etiam iam facto, colliſa naui, totóque oceano fluctuante, tabulâ ſalutem repererunt? Quominùs decet Superiorem laboribus ſuccumbere: etiam de genu pro filio pugnabit, ſi pater eſt; corpúſque vitámque pro filij ſalute obijciet. nam ſudorem lacrymáſque ſpargere, vulgare eſt: ſanguinem proinde lubens profundet, ſi qua neceſſitas occupauerit, quando nimirum in illum locum de-

Digitized by Google

deductam rem viderit, vt aut per eundem filio, aut sanguis parenti fundendus sit: eoque magis, quo periclitantis de salute filij sollicitudo omni meritò patri vitâ carior esse debet. ab hac enim temporaria, & non multò pòst peritura, à filij spirituali vita, aut morte, æterna pendent.

Quòd si oculos Superior ad se reflexerit, morbosque, quibus aliquando iactatus, aut iactari etiamnum posset, votaque sua, quibus illis leuari calidè exoptauit, maximè malis sæuientibus, & extrema minitantibus, medicamentaque ad quæ non frigidè respexit; facilè poterit, exẽplo suo doctus, ingenti non tantùm commiseratione, omni indignatione seposita, sed & prompto alacriqúe animo benignam facilemque curationi manum admouere: memor votorum suorum, regulaque illa communi ductus, qua monemur ea & sollicitudine, & amoris ac benignitatis ostentatione, curam ægrientium habere, qua similibus malis pressi, nostri ab aliis haberi volumus.

Iuuabit etiam illa cogitatio, quòd nihil stolidius omnium iudicio reperiatur, quàm

Digitized by Google

cùm medicus paterque ægroto indignatur filio, & pro medicamento asperiora propinat verba. Quis enim non arbitretur, non patrium hoc, sed barbarũ esse pectus, quod in mediis febrium ardoribus, malisque precordia exedentibus, pro consolatione & medela, exardescit in ægrum filium? quasi non expleat feritatem illius morbi sæuitia, nec satis indignationi suæ litatum sit, nisi morbi asperitatem asperioribus etiam verbis augeat. Idem accidit Superioribus, qui interna febri iactato filio minas & indignantia verba pro medicamento propinant: quò enim hęc spectant, nisi vt crescat morbus, & precipitio proximum filium vltro impellat pater, qui eripere poterat?

Et Superiorum hæc in suorum morbis indignatio, nihil est aliud, quàm ingens mali exasperatio: nam ferè ad extrema ex hac prosiliunt; & quod leui attactu, mollibusq; frictionibus curari malum poterat, ignibus & securibus tentatur.

Accedit, impatientiam animum conturbare, prospectumque salutarium medicamentorum auferre; obuia proinde, ac for-

Digitized by Google

fortuito oblata arripiuntur, nocitura plurimum magis quàm profutura; conſequiturque non rarò medendi ſalutiſque quædam deſperatio, & ex hac totius curationis neglectus. Hinc eſt illud Sapientis Prou. 33. *Impatiens operabitur ſtultitiam.* Et Pro. 14. *Qui patiens eſt multa gubernatur prudentia; qui autem impatiens eſt, exaltat ſtultitiam ſuam.* Et Prou. 15. *Vir iracundus prouocat rixas, qui autem patiens eſt, mitigat ſuſcitatas.*

Sequuntur inde graues in inferioribus animorum à Superioribus alienationes, indignationes, oblocutiones, detractiones, animus ad imperata inuoluntarius, ad ſpiritalia nauſeabundus, torporque ſpiritus totius, mœrores denique ac melancholiæ graues, ad certum interitum ducentes.

Ingens denique diffidentia naſcitur, & cùm de parentis affectu deſperent, iudiciſque aduerſentur, ante immoriantur malis, quàm vt ea indignabundo iudici, imprudenti medico, inclementi patri aperiant: Bonau. de 6. alis c. 5. *neq; enim audent ei neceſſitatẽ ſuam aperire,* niſi in vltima deſperatione, cùm omnẽ manum medicã malum ſuperat, cùm

Digitized by Google

cùm nihil iam ſupereſt, præter mortem certam miſerrimamque.

Audiant verò duriores hi Superiores in ſuorum malis, grauiter querentem Dominum: Ezec. 34. *Quod infirmum fuit non conſolidaſtis, quod ægrotum nõ ſanaſtis, quod confractum eſt non alligaſtis, quod obiectum eſt non reduxiſtis, quod perierat non quæſiſtis: ſed cum auſteritate imperabatis eis, & cum potentia.* Audiant monentem: Num. 11. *Porta illos in ſinu tuo, ſicut portare ſolet nutrix infantulum.* Audeant etiam D. Bernardum Ser. 23. ſup. Cant. *Vt quid grauatis iugum veſtrũ ſuper ceruices diſcipulorum, quorum vos potiùs iugum portare debetis? ponite onera, producite vbera, pectora lacte pingueſcant.* Et Bona. de 6. alis, c. 5. cùm *ſit proprium officium, paſtoris docere virtutes, ſi vitioſos negligit, quos docebit? ſi medicus fugit ægrotos, quos curabit? ſi fortis tiro declinat impetentes ſe, quomodo aſſequetur triumphum gloriæ? ſi negotiator negligit merces in quibus magna lucretur, quomodo poterit ditari?*

Remedia.

GLoriæ conſideratio, quam è filij ereptione Superior apud Deum hominesque

Digitized by Google

neſque ſperare poſſit ac debet.

Obligationis, qua inferiori, tanquam filio parens, obſtringitur; cuius cura illi à Domino demendata, cuiuſque animam à Superiore ſeuerè Deus exiget.

Vtilitatis, laborantis filij, & corporis vniuerſi ex illius curatione, ſperatæ.

Gratitudinis conſideratio, perpetuaque periculis erepti grata memoria & recordatio.

Quòd ſi ad ſe oculos Superior reflexerit, ad morbos, delictáque ſua; perfacile ei erit, indignationem ponere, impatientiam exuere, clementiam & longanimitatem induere. ſi enim iuſta alioqui dignaque in illum indignatione vſus fuiſſet Deus, quoties grauior aliqua offenſio interceſſit, in quib. non iam ignibus arderet? Vtatur proinde in delictis morbíſque ſuorũ ea moderatione, patientia, benignitate, quam à parente & iudice Deo ſuo expectat: memor elegantis in hac re ſententiæ Auguſtini, hom. 4. inter 50. *Bonitas facit amabilem diſciplinam, & diſciplina efficit inculpabilem bonitatem. bonitas ſine diſciplina delictorum mater eſt: & diſciplina*

ſine

Digitized by Google

ſine bonitate triſtis quædam amaritudo viuendi. ſcientiam autem ſibi poſtulat Dauid, vt nouerit ſapienter diſtinguere qui ſint termini bonitatis, & quam debeat habere diſciplina menſuram: ne fortè aut nimiæ remiſſionis vitio bonitas inconſulta fœdetur, aut diſciplina durior ipſa ſui auſteritate crudeleſcat. Memor etiam illius Sapientis Pro. 19. *Vir iracundus prouocat rixas, & qui ad indignandum facilis eſt, erit ad peccandum procliuior.* Quare modeſtè, Bona, de 6. alis, cap. 5. *maturè & benignè ad ſingula reſpondeat, & impetum feruoris reprimat, ne in voce aut vultu, ſeu moribus impatientiam oſtendat. tunc enim magis proficit per patientiam, & tandem deuincit, quos impetuosè agendo prouocaret. teſte Sapiente.* (Pro. 15. *Reſponſio mollis frangit iram, ſermo durus ſuſcitat furorem.*) *vix enim commotio commotione ſedatur. Impatientia enim Prælati & Superioris confundit quæ promouere poterat bona.*

CAPVT VII.

Aserbior correctio.

Diui

Diui Gregorij Magni moral. libr. 20. ca. 3. verba sunt: *Qui praest, ea se circa subditos mensura moderetur: quatenus & arridens timeri debeat, & iratus amari; vt eum nec nimia laetitia vilem reddat, nec immoderata seueritas odiosum. saepe enim subiectos frangimus, dum plus iusto vigorem iustitiae tenemus: qui profectò vigor iam iustitiae non erit, si se sub iusto moderamine non custodit.* vt benè Iuo Epi. 82. *Immoderatus rigor disciplinae quos corripit non corrigit, sed in laqueum diaboli praecipitanter impellit.* qui si frequentetur, obdurescit subditorum animus, callumque seueritoribus factis monitisque obducit: in consuetudinem deinde ac tanquam in naturam acrimonia vertitur, totusque homo denso quasi sopore aut nebula inuoluitur, vt nec profutura quidē videat.

Speratus deinde fructus omnis perit, dū subditi sibi persuadent, ex indignatione quadam animi, perturbatione, alienatione, aut adnato quopiam aut accersito odio monita nasci potiùs, quàm ex commiserantis, aut patris, aut benigni medici affectu, aut emendationis aut perfectionis studio.

Exurgit deinde melioris spei, aut rei, aut

aut amoris loco, exacerbatio, & à Superioribus vehementior alienatio, querimoniis, obloquutionibus, ac non rarò etiam detractionibus permista.

Vilescit denique Superior apud suos; plurimúmque illi de nominis æstimatione decedit, non apud suos tantùm sed & apud alios. neque enim imperiosior sæuiórque illa ratio domesticis limitibus continetur; decurrit per regna, nec rarò ad externos. quæ res non leuiter propagationi diuinæ gloriæ, religionis, ac proximorum saluti impedimento est. Semel enim concepta de Superiore opinio vbi inualuit, exscindi vix potest; vt iam non nisi cum muneris abdicatione deponi possit.

Et quid à tali Superiore sperari potest, omnium ab illo suorum animis alienatis? Sanè coacta imperia diu stare non possunt. minùs etiam incrementa sumere. illa ætatem sentiunt, diuitéque crescunt augmento, quæ amore ac beneuolentia continentur.

Et in coactis, seruorum ac mancipiorum more, imperantis oculo deseruient; mens im-

Digitized by Google

imperia auerſabitur: ac ſi clàm eſſe res poſſunt, negliguntur. ſin ſæuiora imperia cogant, cum faſtidio peraguntur, & tanquam de ſuperficie imperata raduntur, nec vltra extremam præceptorum cutem itur.

Accedit, pudore poſito, effrons iam animus, cuius teneram frontem acrior correctio indurauit, & depudere docuit, verecũdia omni exuta; nec vltrà, publicè an palàm increpes, colorem mutabit; ſtabit interritus, ſaxo quàm homini ſimilior; & ferè ſeipſum in duritiem animat; credes cataphractum, & armis vndique cinctum: ita aduerſus acriora imperia firmauit pectus. incudem arbitreris, malleis densè ſubactam, & repercutientem verbera, adeóque & verbere duriorem, quaſi ab illo robur mutuetur.

Et grauis in Superiore error eſt, ab vſtulantibus medicationem inchoare. à mitioribus curatio inſtituenda eſt, nec ad illa veniendum, niſi vis mali molliora reſpuat: actum etiam cautè & prudenter adignes aut nouaculam eundum: vt ſentiat æger, non voluntate medici, ſed mali neceſſitate ad illa

la trahi. conandumque quantum fieri poteſt, vt ipſe æger non illibenter acriora patiatur; non quòd hæc amet, ſed quòd ſalutem, quam videt ſine his non poſſe parari, deſideret. quod vbi Superior tanquam medicus perſuaſerit, non magno negotio vltro incurret in dūriora, ferrumq; & ignes ſi non amabit, feret tamen ſaluti conſequèndæ.

Verùm magna opus dexteritate & efficacia, potentique perſuaſione; ac niſi patris ſenſerit manum, non domini, aut fæuientis iudicis, nequidquam ſudabitur. quòd ſi verum parētem ſenſerit, induet filij affectum, nec quidquam illi iam atrox, quod à veri patris ſibi venire perſuaſerit dextra; ac plus etiam ab amica huius manu amabit verbera, quàm acriora à iudice verba, aut ab amarulento vultu indignantia monita, imò quàm ab indignabundo ore ementita oſcula.

Vnde in omni correctione primò ſe amare, patrem eſſe, nec aliud quàm filij ſalutem velle, inuitum deinde ad duriora venire oſtendat; excitetq; in ſubdito filialem affectum, & confidentiæ magnę fortes im-

Digitized by Google

imprimat aculeos: operam ſuam ſpondeat, commiſereatur laboranti: quòd ſi lacrymas ille profuderit; miſceat, ſi poteſt, ſuas: ac quaſi conſilium petens, roget, quod ægro in tanto malo remedium occurrat: addat deinde aliquid de ſuo: ac ſi maiora ille propönat, moderetur & mitiget, & non magno labore rem omnem ad felicem exitum deducet. Bene in hanc ſententiam Auguſtinus in c. 6. epiſt. ad Galat. *Nunquam alieni peccati obiurgandi ſuſcipiendum eſt negotium, niſi cùm interni interrogationibus examinantes noſtram cõſcientiam, liquidò nobis coram Deo reſponderimus, dilectione nos facere. quidquid enim lacerato animo dixeris, punientis eſt impetus, non charitas corrigentis. Dilige & dic quod voles. nullo modo maledictum erit, quod ſpecie maledicti ſonuerit, ſi memineris ſenſeriſq; te in gladio verbi Dei liberatorẽ hominis eſſe velle ab obſidione vitiorum.* & alibi: de ſerm. Dom. in monte. *Piè cauteq; vigilandũ eſt, vt cùm aliquẽ reprehendere vel obiurgare nos neceſsitas coëgerit, primùm cogitemus, vtrum tale ſit vitium, quod nunquã habuimus, vel quo iã caremus. ſi nunquã habuimus, cogitemus & nos eſſe homines, & habere potuiſſe: ſi verò habuimus, & non*

Digitized by Google

habemus, tangat memoriam communis fragilitas, vt illam reprehensionem aut obiurgationem non odium sed misericordia præcedat: si autem cogitantes nosmetipsos inuenerimus in eo esse vitio, in quo est ille, quem reprehendere parabamus; non reprehendamus, neque obiurgemus, sed tamen congemiscamus, & non illum ad obtemperandum nobis, sed ad pariter cauendum inuitemus.

Remedia.

MOnemur à Magno Gregorio: Moral. lib. 13. cap. 12. *Sunt nonnulli ita districti, vt omnem etiam mansuetudinem benignitatis amittant: & sunt nonnulli ita mansueti, vt perdãt districti iura regiminis. vnde cunctis rectoribus vtraque summopere sunt tenenda, vt nec in disciplinæ vigore benignitatem mansuetudinis, nec rursum in mansuetudine districtionem deserant disciplinæ: quatenus nec à compassione pietatis obdurescant, cùm contumaces corrigunt; nec disciplinæ vigorem molliant, cùm infirmorum animos consolantur. regat ergo disciplinæ vigor mansuetudinem, & mansuetudo ornet vigorem, & sic alterum commendetur ex altero, vt nec vigor sit rigidus, nec mãsuetudo dissoluta.* Et alibi: Pastor. par. 2. c. 6.

Ne-

Digitized by Google

Necesse est vt quisquis sanandis vulneribus præest, in vino (Samaritani exemplo) *morsum doloris adhibeat, in oleo mollitiem pietatis: quatenus per vinum mundentur putrida, per oleum foueantur sananda. Miscenda ergo est lenitas cum seueritate, faciendum quoddam temperamentum ex vtroque, vt neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate soluantur. sit itaque amor, sed non emolliens: sit rigor, sed non exasperans: sit zelus, sed non immoderatè sæuiens: sit pietas, sed non plus quàm expediat parcens: vt dum se in arce regiminis iustitia clementiaq; permisceant, is qui præest corda subditorum & terrendo demulceat, & tamen terroris reuerentiam demulcẽdo constringat.* & antè: *Curandum vt rectorem subditis & matrem pietas, & patrem exhibeat disciplina: atque inter hæc sollicita circumspectione prouidendum, ne aut districtio rigida, aut pietas sit remissa.*

Proderit in hac re frequentata hæc cogitatio; Memento regere, vt regi voles; nec quidquam in alio experire, quod in pari delicto in te nolles. Sepone personam iudicis, indue patris; amari malis, quàm timeri; neque quidquam metu peragas, quod amore possis, memor verborum Prosperi sent. 163.

Digitized by Google

tali in se Superiorem affectu duci; frustra filialem erga se suditorum amorem affectumque sperabit. vt certissima in inferioribus affectum regula è Superiorum affectu petenda sit: qui si per omnia patrius sit; filialem etiam in subditis expectet. si sæcularem, politicum & despoticum dominatum sapiat; similem in subdito affectum speret; famulitiamque potiùs obsequentiam, quàm filialem; mandatorumque executionem à timore magis, quàm ab amore natam. nam cùm in Superiore non sentiat inferior patris animum, sed domini, fit vt seruilem, non filialem affectum reponat.

Atque hinc quanta nascantur incommoda & difficultates, nemo paulo prudentior non videat. Suboriuntur enim vtrimq; diffidentiæ, & dum solo exteriùs placendi studio subditus ad imperata rapitur, superficie potiùs tenus mandata exequitur: ac si celari facta sua posse putat, aliorsum potiùs, & ad ea, quæ à Superioris voluntate alieniſſima sunt, ducitur.

Sequuntur deinde vtrobique pro re nata suspiciones variæ, animorum alienationes,

Digitized by Google

nes, murmurationes, tecta vtrinque consi-
lia, ac simulationibus omnia plena. Quòd si
pergat Superior in hoc neglectu, neglectum
in inferioribus excitabit obseruantiæ ac ve-
nerationis in se debitæ. neq; enim hæc spe-
rari potest, filiali amore à paternæ guberna-
tionis neglectu extincto. Exurgunt deinde
solertissimæ in inferioribus, minimorum ac
abditissimorum in Superiore defectuum in-
uestigationes; carpendi nimirum ac repre-
hendendi in eo quem auersantur studio,
prouocati. ita quæ beneuolentia, patriusque
amor ac profusio, natusque ex his affectus
tegere solet mala, indignatio auersioque è
paterno neglectu, ac gubernandi duritie na-
ta, palàm aperit, & omnium oculis obijcit,
adeoque & in virtutibus ipsis improbanda
numerat. ita subdola & ingeniosa omnis a-
lienatio est, in laudibus damnanda reperit
decurriturque tandem in apertum oblocu-
tionum ac detractionum campum: nec vs-
quam, nec vlli altissimè etiam defossæ re-
parcitur; ac nec apud exteros quidem ac Re-
ligionis hostes. milleque excogitantur & in-
ueniuntur modi, iugum à paterno imperio

Digitized by Google

alienum excutiendi. bonis artibus non licet, decurritur ad malas: cùm satis sit dominum excussisse. nam cùm sentiant se filiorum loco non haberi, non agnoscunt Superiorem patrem. & cùm dominum nolint; noménque hoc omne auersentur, vt qui in paternam se vltronea traditione tutelam, non in hominis imperia coniecerint; fit vt nullum molitionum finem faciant, donec se alienis in Superiore à paterna gubernatione legibus exemerint.

Denique frustra apertam conscientiæ detectionem sperabit Superior talis. ignorabit suorum morbos, labeturque grauiter in spiritualium medicamentorum applicatione, in personarum designatione, in munium distributione, ac in vniuersa cõmissi sibi gregis cura. nam cùm interioris hominis ac cõscientiæ nuda quædam sinceraq; in subdito explicatio filialem confidentiam præsupponat, hæc verò paternum in Superiore affectum; fit vt, si hoc Superior careat, nullis persuasionibus induci inferior possit, vt se tanquam patri filius aperiat, cuius patrium in se affectum non experitur. & cùm semper vere-

rea-

Digitized by Google

reatur iudicem, aut dominum, non facilè se æger vt patri, aut medico explicabit: teget potiùs omnia, & se animamque in perimentia discrimina conijciet, quàm vt in Superiore, iudici ac domino, vulnera & quibus iactatur pericula aperiat.

Nascitur verò hic paternę gubernationis neglectus, aut ex ambitiosa dominandi libidine; aut è mentis quodam fastu, dictorũ factorumque suorum augusta æstimatione, aliorum contemptu & neglectu; aut ab innata quadá asperitate, morositate, fastidio, ac nauseantis animi tædio, dum nil alienum placet, displicent omnia, eoque magis quo magis domestica; aut ab animo humanarum miseriarum immemore, menteq; commoueri nescia, & malorum in se ignara, aut cæco amore sui rerumque suarum abrepta. vt omnino optandum sit inferiori, Superiorem consequi probatum per omnia, qui & mala tulerit, & sub aduersantibus ingemuerit, de genu pugnauerit, mixtumque puluere sanguinem fuderit, remediaque ex se didicerit, factus ex seipso medicus, dux & magister; quo compati, mederi, anteuertere

Digitized by Google

mala, occurrere venientibus, aut illata pellere sciat: quique è malis periculisque suis reliquos meriatur: qui nihil putet esse negligendum, nulli securè indormiendum, nullumque quocunque etiam ex cespite insurgentem hostem contemnendum, certus à minimis ingentia damna dari, regnorumq; etiam validissimorum interitum à minimorum contemptu & neglectu nata; maioraque adeò à minimis illata damna, quo ferè magis neglecta: cùm pulso timore mala crescunt, ac nimiùm securos sui inopinatos opprimunt.

Remedia.

FRequens in Superiore cogitatio, paterni in omnes affectus Dei. vt ad illius formã & imitationem paternam in sibi commissos gubernationem instituat; maximè cùm cogitauerit, præesse se illis, quos cælestis Pater in filios sibi adoptauit, coheredes vnigeniti Filij sui, quæ dignatio meritò vnumquemque Superiorem in paternum affectũ excitabit, omni despotico deposito, ac quasi in exilium acto.

Suo

Digitized by Google

Suo deinde se Superior pede metiatur, videatque quales in se Superiorum suorum affectus optet, patrios an despoticos: excitetque in se tales, quales aliorum in se desiderabit. Certissima hæc bonæ ac religiosæ gubernationis regula est, qua fortiter sibi serioque proposita, non facilè Superior à recto aberrabit.

Amari velit, non timeri; cogitetq; imperata ab amore nata, ab amore peracta, diuturniora, sinceriora, tutiora, pacatiora, & laude etiam digniora esse.

Perpendat secum frequenter, quanto filialis amor seruili timori præponderet: illum verò sperari non posse, nisi ipse priùs paternum in suos affectum induat.

Iuuerit etiam in primis, si vltronea & non rogata beneficia, ac sollicitudinem in suorũ necessitatibus impendat, idque infirmitatis potissimùm tempore, siue ab animo illa, siue à corpore profecta fuerit. paternè compatiendo, remedia malis præscribendo, vltro compellando, excitando, ac in spem meliorum prouocando, opem suam operamque pollicendo, medicum in corporum mor-

Digitized by Google

ſine bonitate triſtis quædam amaritudo viuendi. ſcientiam autem ſibi poſtulat Dauid, vt nouerit ſapienter diſtinguere qui ſint termini bonitatis, & quam debeat habere diſciplina menſuram: ne fortè aut nimiæ remiſſionis vitio bonitas inconſulta fœdetur, aut diſciplina durior ipſa ſui auſteritate crudeleſcat. Memor etiam illius Sapientis Pro. 19. *Vir iracundus prouocat rixas, & qui ad indignandum facilis eſt, erit ad peccandum procliuior.* Quare modeſtè, Bona. de 6. alis, cap. 5. *maturè & benignè ad ſingula reſpondeat, & impetum feruoris reprimat, ne in voce aut vultu, ſeu moribus impatientiam oſtendat. tunc enim magis proficit per patientiam, & tandem deuincit, quos impetuosè agendo prouocaret. teſte Sapiente.* (Pro. 15. Reſponſio mollis frangit iram, ſermo durus ſuſcitat furorem.) *vix enim commotio commotione ſedatur. Impatientia enim Prælati & Superioris confundit quæ promouere poterat bona.*

CAPVT VII.

Aserbior correctio.

Diui

Digitized by Google

Diui Gregorij Magni moral. libr. 20. ca. 3. verba sunt: *Qui praest, ea se circa subditos mensura moderetur: quatenus & arridens timeri debeat, & iratus amari; vt eum nec nimia laetitia vilem reddat, nec immoderata seueritas odiosum. sæpe enim subiectos frangimus, dum plus iusto vigorem iustitiæ tenemus: qui profectò vigor iam iustitiæ non erit, si se sub iusto moderamine non custodit.* vt benè Iuo Epi. 82. *Immoderatus rigor disciplinæ quos corripit non corrigit, sed in laqueum diaboli præcipitanter impellit.* qui si frequentetur, obdurescit subditorum animus, callumque seueritoribus factis monitisque obducit: in consuetudinem deinde ac tanquam in naturam acrimonia vertitur, totusque homo denso quasi sopore aut nebula inuoluitur, vt nec profutura quidē videat.

Speratus deinde fructus omnis perit, dū subditi sibi persuadent, ex indignatione quadam animi, perturbatione, alienatione, aut adnato quopiam aut accersito odio monita nasci potiùs, quàm ex commiserantis, aut patris, aut benigni medici affectu, aut emendationis aut perfectionis studio.

Exurgit deinde melioris spei, aut rei, aut

Digitized by Google

aut amoris loco, exacerbatio, & à Superioribus vehementior alienatio, querimoniis, obloquutionibus, ac non rarò etiam detractionibus permista.

Vilescit denique Superior apud suos; plurimúmque illi de nominis æstimatione decedit, non apud suos tantùm sed & apud alios. neque enim imperiosior sæuiórque illa ratio domesticis limitibus continetur; decurrit per regna, nec rarò ad externos. quæ res non leuiter propagationi diuinæ gloriæ, religionis, ac proximorum saluti impedimento est. Semel enim concepta de Superiore opinio vbi inualuit, exscindi vix potest; vt iam non nisi cum muneris abdicatione deponi possit.

Et quid à tali Superiore sperari potest, omnium ab illo suorum animis alienatis? Sanè coacta imperia diu stare non possunt. minùs etiam incrementa sumere. illa ætatem sentiunt, diuitéque crescunt augmento, quæ amore ac beneuolentia continentur.

Et in coactis, seruorum ac mancipiorum more, imperantis oculo deseruient; mens im-

Digitized by Google

imperia auersabitur: ac si clàm esse res possunt, negliguntur. sin sæuiora imperia cogant, cum fastidio peraguntur, & tanquam de superficie imperata raduntur, nec vltra extremam præceptorum cutem itur.

Accedit, pudore posito, effrons iam animus, cuius teneram frontem acrior correctio indurauit, & depudere docuit, verecũdia omni exuta; nec vltrà, publicè an palàm increpes, colorem mutabit; stabit interritus, saxo quàm homini similior; & ferè seipsum in duritiem animat; credes cataphractum, & armis vndique cinctum: ita aduersus acriora imperia firmauit pectus. incudem arbitreris, malleis densè subactam, & repercutientem verbera, adeóque & verbere duriorem, quasi ab illo robur mutuetur.

Et grauis in Superiore error est, ab vstulantibus medicationem inchoare. à mitioribus curatio instituenda est, nec ad illa veniendum, nisi vis mali molliora respuat: actum etiam cautè & prudenter ad ignes aũt nouaculam eundum: vt sentiat æger, non voluntate medici, sed mali necessitate ad il-

la

la trahi. conandumque quantum fieri poteſt, vt ipſe æger non illibenter acriora patiatur; non quòd hæc amet, ſed quòd ſalutem, quam videt ſine his non poſſe parari, deſideret. quod vbi Superior tanquam medicus perſuaſerit, non magno negotio vltro incurret in duriora, ferrumq; & ignes ſi non amabit, feret tamen ſaluti conſequèndæ.

Verùm magna opus dexteritate & efficacia, potentique perſuaſione; ac niſi patris ſenſerit manum, non domini, aut fæuientis iudicis, nequidquam ſudabitur. quòd ſi verum parẽtem ſenſerit, induet filij affectum, nec quidquam illi iam atrox, quod à veri patris ſibi venire perſuaſerit dextra; ac plus etiam ab amica huius manu amabit verbera, quàm acriora à iudice verba, aut ab amarulento vultu indignantia monita, imò quàm ab indignabundo ore mentita oſcula.

Vnde in omni correctione primò ſe amare, patrem eſſe, nec aliud quàm filij ſalutem velle, inuitum deinde ad duriora venire oſtendat; excitetq; in ſubdito filialem affectum, & confidentiæ magnę fortes im-

Digitized by Google

imprimat aculeos: operam ſuam ſpondeat, commiſereatur laboranti: quòd ſi lacrymas ille profuderit, miſceat, ſi poteſt, ſuas: ac quaſi conſilium petens, roget, quod ægro in tanto malo remedium occurrat: addat deinde aliquid de ſuo: ac ſi maiora ille propönat, moderetur & mitiget, & non magno labore rem omnem ad felicem exitum deducet. Bene in hanc ſententiam Auguſtinus in c. 6. epiſt. ad Galat. *Nunquam alieni peccati obiurgandi ſuſcipiendum eſt negotium, niſi cùm interni interrogationibus examines noſtram cõſcientiam, liquidò nobis coram Deo reſponderimus, dilectione nos facere. quidquid enim lacerato animo dixeris, punientis eſt impetus, non charitas corrigentis. Dilige & dic quod voles. nullo modo maledictum erit, quod ſpecie maledicti ſonuerit, ſi meminerit & ſenſerit ſe in gladio verbi Dei liberatorẽ hominis eſſe velle ab obſidione vitiorum.* & alibi: de ſerm. Dom. in monte. *Piè cauteq; vigilandũ eſt, vt cùm aliquẽ reprehendere vel obiurgare nos neceſſitas coëgerit, primùm cogitemus, vtrum tale ſit vitium, quod nunquã habuimus, vel quo iã caremus, & nunquã habuimus, cogitemus & nos eſſe homines, & habere potuiſſe: ſi verò habuimus, & non*

hab

habemus, tangat memoriam communis fragilitas, vt illam reprehensionem aut obiurgationem non odium sed misericordia praecedat: si autem cogitantes nosmetipsos inuenerimus in eo esse vitio, in quo est ille, quem reprehendere parabamus; non reprehendamus, neque obiurgemus, sed tamen congemiscamus, & non illum ad obtemperandum nobis, sed ad pariter cauendum inuitemus.

Remedia.

MOnemur à Magno Gregorio: Moral. lib. 13. cap. 12. *Sunt nonnulli ita districti, vt omnem etiam mansuetudinem benignitatis amittant: & sunt nonnulli ita mansueti, vt perdãt districti iura regiminis. vnde cunctis rectoribus vtraque summopere sunt tenenda, vt nec in disciplinæ vigore benignitatem mansuetudinis, nec rursum in mansuetudine districtionem deserant disciplinæ: quatenus nec à compassione pietatis obdurescant, cùm contumaces corrigunt; nec disciplinæ vigorem molliant, cùm infirmorum animos consolantur. regat ergo disciplinæ vigor mansuetudinem, & mansuetudo ornet vigorem, & sic alterum commendetur ex altero, vt nec vigor sit rigidus, nec mãsuetudo dissoluta.* Et alibi: Pastor. par. 2. c. 6.

Ne-

Digitized by Google

Neceſſe eſt vt quiſquis ſanandis vulneribus præeſt, in vino (Samaritani exemplo) *morſum doloris adhibeat, in oleo mollitiem pietatis: quatenus per vinum mundentur putrida, per oleum foueantur ſananda. Miſcenda ergo eſt lenitas cum ſeueritate, faciendum quoddam temperamentum ex vtroque, vt neque multa aſperitate exulcerentur ſubditi, neque nimia benignitate ſoluantur. ſit itaque amor, ſed non emolliens: ſit rigor, ſed non exaſperans: ſit zelus, ſed non immoderatè ſæuiens: ſit pietas, ſed non plus quàm expediat parcens: vt dum ſe in arce regiminis iuſtitia clementiaq; permiſceant, is qui præeſt corda ſubditorum & terrendo demulceat, & tamen terroris reuerentiam demulcẽdo conſtringat.* & antè: *Curandum vt rectorem ſubditis & matrem pietas, & patrem exhibeat diſciplina: atque inter hæc ſollicita circumſpectione prouidendum, ne aut diſtrictio rigida, aut pietas ſit remiſſa.*

Proderit in hac re frequentata hæc cogitatio; Memento regere, vt regi voles; nec quidquam in alio experire, quod in pari delicto in te nolles. Sepone perſonam iudicis, indue patris; amari malis, quàm timeri; neque quidquam metu peragas, quod amore poſſis, memor verborum Proſperi ſent. 163.

Digitized by Google

In domo iusti etiam qui imperant, eis seruiunt, qui bus videntur imperare. quia non dominandi cupidi tate imperant, sed officio consulendi: nec principan di superbia, sed prouidendi beneficentia. Benè Isi dorus lib. 5. de sum. bono. *Qui delinquentes superbo vel odioso animo corrigit, non emendat se percutit. quidquid enim proterue vel indignans i nimus protulerit, obiurgantis furor est, non dilect corrigentis.*

Iuuabit diligens personarum & morbo rum consideratio, prudentium medicoru more; neque enim omnium conditio mo busque eadem medicamenta admittit. grauissimus error illorum est, qui in om populo, persona, ętate, morbo, tempore, e dem medicamenta adhibenda censent. nia enim quidam maximo admittunt fr ctu, dura noxio ferè euentu hauriunt; pot tioribus alij exstimulandi sunt, mollia co temnunt, adeoque exasperatur his suauib malum & irritatur, frustraneo ac nocitu etiam euentu.

Magna proinde cautione, ac prouida his circumspectione opus est: minus tam uniuersim delictũ est in mitioribus, quã acr

acrioribus peccare: & facilior in illis venia, & promptior emendatio est. quòd si quem viderit conatum superandis malis adhibere, manum illi porrigat qualem lapso sibi aut labenti porrigi vellet, memor Sapientis Ecccli. 8. *Ne spernas hominem auertentem se à peccato: neque improperes ei. memento quoniam omnes in correptione sumus.* & Apostoli ad Galat. 1. *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tenteris.* talem nimirum, teste Bonauentura de 6. alis, c. 7. *satisfactionem imponite, per quam agnoscat pondus reatus sui; ita tamen clementer, sicut tibimet velles alium cõpati, si tali peccato delinqueres.*

CAPVT VIII.

Paternæ gubernationis neglectus.

ILlam nisi Superior quà verbis & externa beneuolentiæ ostentatione, quà rebus potissimùm ipsis ex sincero, non simulato paterno affectu natis, ostenderit, ita vt inferior reipsa patrium in se Superioris animum persentiscat, sibique penitus persuadeat,

Digitized by Google

tali in se Superiorem affectu duci; frustra filialem erga se suditorum amorem affectumque sperabit. vt certissima in inferioribus affectum regula è Superiorum affectu petenda sit: qui si per omnia patrius sit; filialem etiam in subditis expectet. si sæcularem, politicum & despoticum dominatum sapiat; similem in subdito affectum speret; famuliciamque potiùs obsequentiam, quàm filialem; mandatorumque executionem à timore magis, quàm ab amore natam. nam cùm in Superiore non sentiat inferior patris animum, sed domini, fit vt seruilem, non filialem affectum reponat.

Atque hinc quanta nascantur incommoda & difficultates, nemo paulo prudentior non videat. Suboriuntur enim vtrimq; diffidentiæ, & dum solo exteriùs placendi studio subditus ad imperata rapitur, superficie potiùs tenus mandata exequitur: ac si celari facta sua posse putat, aliorsum potiùs, & ad ea, quæ à Superioris voluntate alieniſſima sunt, ducitur.

Sequuntur deinde vtrobique pro re nata suspiciones variæ, animorum alienationes,

Digitized by Google

nes, murmurationes, tecta vtrinque consi-
lia, ac simulationibus omnia plena. Quòd si
pergat Superior in hoc neglectu, neglectum
in inferioribus excitabit obseruantiæ ac ve-
nerationis in se debitæ. neq; enim hæc spe-
rari potest, filiali amore à paternæ guberna-
tionis neglectu extincto. Exurgunt deinde
solertissimæ in inferioribus, minimorum ac
abditissimorum in Superiore defectuum in-
uestigationes; carpendi nimirum ac repre-
hendendi in eo quem auersantur studio,
prouocati. ita quæ beneuolentia, patriusque
amor ac profusio, natusque ex his affectus
tegere solet mala, indignatio auersioque è
paterno neglectu, ac gubernandi duritie na-
ta, palàm aperit, & omnium oculis obijcit,
adeoque & in virtutibus ipsis improbanda
numerat. ita subdola & ingeniosa omnis a-
lienatio est, in laudibus damnanda reperit.
decurriturque tandem in apertum oblocu-
tionum ac detractionum campum: nec vs-
quam, nec vlli altissimè etiam defossæ rei
parcitur; ac nec apud exteros quidem ac Re-
ligionis hostes. milleque excogitantur & in-
ueniuntur modi, iugum à paterno imperio

Digitized by Google

alienum excutiendi. bonis artibus non licet decurritur ad malas: cùm satis sit dominum excussisse. nam cùm sentiant se filiorum loco non haberi, non agnoscunt Superiorem patrem. & cùm dominum nolint; nomén que hoc omne auersentur, vt qui in patern nam se vltronea traditione tutelam, non in hominis imperia coniecerint; fit vt nullum molitionum finem faciant, donec se alieni in Superiore à paterna gubernatione legibus exemerint.

Denique frustra apertam conscientiæ se-tectionem sperabit Superior talis. ignorabit suorum morbos, labeturque grauiter in spiritualium medicamentorum applicatione, in personarum designatione, in munium distributione, ac in vniuersa cõmissi sibi gregis cura. nam cùm interioris hominis ac cõscientiæ nuda quædam sinceraq; in subdito explicatio filialem confidentiam præsupponat, hæc verò paternum in Superiore affectum; fit vt, si hoc Superior careat, nullis persuasionibus induci inferior possit, vt se tanquam patri filius aperiat, cuius patrium in se affectum non experitur. & cùm semper ve-

rea-

Digitized by Google

reatur iudicem, aut dominum, non facilè se æger vt patri, aut medico explicabit: teget potiùs omnia, & se animamque in perimentia discrimina conijciet, quàm vt in Superiore, iudici ac domino, vulnera & quibus iactatur pericula aperiat.

Nascitur verò hic paternę gubernationis neglectus, aut ex ambitiosa dominandi libidine; aut è mentis quodam fastu, dictorũ factorumque suorum augusta æstimatione, aliorum contemptu & neglectu; aut ab innata quadã asperitate, morositate, fastidio, ac nauseantis animi tædio, dum nil alienum placet, displicent omnia, eoque magis quo magis domestica; aut ab animo humanarum miseriarum immemore, menteq; commoueri nescia, & malorum in se ignara, aut cæco amore sui rerumque suarum abrepta. vt omnino optandum sit inferiori, Superiorem consequi probatum per omnia, qui & mala tulerit, & sub aduersantibus ingemuerit, de genu pugnauerit, mixtumque puluere sanguinem fuderit, remediaque ex se didicerit, factus ex seipso medicus, dux & magister; quo compati, mederi, anteuertere

Digitized by Google

mala, occurrere venientibus, aut illata pe
lere ſciat: quiſque è malis periculiſque ſuis r
liquos metiatur: qui nihil putet eſſe neg
gendum, nulli ſecurè indormiendum, nu
lumque quocunque etiam ex ceſpite inſu
gentem hoſtem contemnendum, certu
minimis ingentia damna dari, regnorum
etiam validiſſimorum interitum à minim
rum contemptu & neglectu nata; maio
que adeò à minimis illata damna, quo fe
magis neglecta: cùm pulſo timore mala cr
cunt, ac nimiùm ſecuros ſui inopinatos o
primunt.

Remedia.

FRequens in Superiore cogitatio, pate
in omnes affectus Dei. vt ad illius for
& imitationem paternam in ſibi comm
ſos gubernationem inſtituat; maximè cu
cogitauerit, præeſſe ſe illis, quos cæleſtis
ter in filios ſibi adoptauit, coheredes vni
niti Filij ſui, quæ dignatio meritò vnu
quemque Superiorem in paternum affe
excitabit, omni deſpotico depoſito, ac qu
in exilium acto.

Digitized by Google

Suo deinde se Superior pede metiatur, videatque quales in se Superiorum suorum affectus optet, patrios an despoticos: excitetque in se tales, quales aliorum in se desiderabit. Certissima hæc bonæ ac religiosæ gubernationis regula est, qua fortiter sibi serioque proposita, non facilè Superior à recto aberrabit.

Amari velit, non timeri; cogitetq; imperata ab amore nata, ab amore peracta, diuturniora, sinceriora, tutiora, pacatiora, & laude etiam digniora esse.

Perpendat secum frequenter, quanto filialis amor seruili timori præponderet: illum verò sperari non posse, nisi ipse priùs paternum in suos affectum induat.

Iuuerit etiam in primis, si vltronea & non rogata beneficia, ac sollicitudinem in suorũ necessitatibus impendat, idque infirmitatis potissimùm tempore, siue ab animo illa, siue à corpore profecta fuerit. paternè compatiendo, remedia malis præscribendo, vltro compellando, excitando, ac in spem meliorum prouocando, opem suam operamque pollicendo, medicum in corporum mor-

Digitized by Google

bis consulendo, in omnem demum fiduci
am, spemque paterni in se affectus inferior
excitando. doleat cum dolente, commise
reatur patienti, ac in omnem se formam ver
tat, vt suorum saluti consulat; cogitetque s
non tantùm patrem, sed & pro rerum exi
gentia matrem; vt etiam vbera norit præbe
re sitientibus, mellaque vinaque ijs, qui a
maro ac tristi sunt corde: nec quicquam om
nino intentatum relinquat, quod patrius, a
deoque & matris suggerere in carissimorum
filiorum ægritudine affectus solet. multa
patrum matrumque exemplo perferat,
quamdiu infirmitas ægrum filium tenet; nec
facilè ad grauiores admonitiones accedat,
quamdiu malum sæuit. febrisque siue illa
animi siue corporis languentem filium
possidet. pulso malo, tum demum seria, sed
paterna tamen, si necessum, monitione a-
gat: ita vt sentiat subditus, à paterno, non ab
indignabundo & despotico affectu monita
nasci.

Bon. de 6. alis, cap. 4. *Quòd si admonitiones paternæ, & benignæ instructiones frustra fuerint adhibitæ, imitandi erunt periti medici, qui non ex*

odio,

Digitized by Google

odio, sed amore ferrum & ignes, aliaq; remedia insuauia ægrotis adhibent.

Imitetur denide in suorum malis Apostolum Bonau. suprà, cap. 4 *pro Corinthiis semper gratias agentem, pro Ephesiis genua flectentem, pro Philippensibus omnibus semper in cunctis orationibus cum gaudio deprecantem, pro Colossensibus non cessantem postulare & orare, Thessalonicensium memoriam facientem in orationibus sine intermissione, atque cum eodem Paulo dicat:* Gal. 2. *Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus.* sic enim fiet, vt in quam volet partem ac virtutem suos ducat: maximè si præcat ipse exemplo, ac dux facti fuerit. neque durum erit filio patrem sequi, & generoso, nec degenere calcatu, æmulaque quadam laude, anteambula illius vestigia premere, vt vel solo etiã rubore secuturus sit filius si patrem agnouerit, paternúmque in se pectus ac sollicitudinem expertus fuerit. neque enim credi potest quantum in omnem partem intentus patris animus, ac de filij profectu ac salute sollicitus, possit, quantum ad ardua quæque audenda calcar addat, & incitamentum præbeat.

Digitized by Google

CAPVT IX.

Exiguatur interni spiritus.

HInc paulatim succrescunt zizania, & dum cultura negligitur, siluescit ager, spinisque ac sentibus repletur; fæcundusque antè gratusque Domino, sterilescit; & quæ vuas solebat, labruscas vinea profert.

Nascuntur deinde pro spiritualibus sæcularia, & quæ priùs super niuem dealbata erat anima, nunc densa nocte tegitur: inuoluiturque tetra ac inimica spiritualibus nube, quæ fulgoris sui radios longè antè lacerat; multorum bono variè spargebat. sermo illi priùs, dum super grege suo excubabat Superior, cælestis, diuinarumq; rerum grauidum pectus diuina profundebat; nunc illius neglectu, nil nisi nocitura, & sæculum suum sonantia promit.

Tepescit inde Religiosus, & pro ardoribus, nausea quædam succedit spiritualium rerum, nec vltrà suauem sibi optatumque cibum amplectitur anima; magis etiam fastidit ac spernit, & toxica illi videntur, mortequc

que acerbiora, quibus antè ingenti plenus gaudio lætus pascebatur.

Et vt nulla ferè re alia quàm culturæ neglectu perit ager, ita nulla re alia magis quã interni cultus neglectu Religiosus. Cùm enim natura proni ad zizania simus, vt nihil præter tribulos, solis ignibus natos, relicta sibi natura proferat; fit, vt nisi assidua cultura, diligénsque in omnem partem studium accesserit, frustra horreo Dominico reponẽdam messem speres. Quin adeò, nisi perpetuetur labor, hîc putando, ibi vellendo, alibi radicitus excaudicando, ferróque etiam & ignibus non rarò sæuiendo; suffocabitur quidquid melioris seminis superieceris, miraberisque indolebisque serò, nihil messi, aut horreo seponendum relictum esse.

Deterius etiam est, quando non tantùm negligitur interni spiritus cura, sed contrarijs etiam nocituris distinetur, aut sæculariũ occupationum anxia sollicitudine tantùm non insepelitur animus, vt erigere ad superna, aut inflectere ad interna se nõ possit, mole aut tempore sæpe ipso excluſus, vt in desuetudinem planè interni cultus veniat.

Digitized by Google

ſic enim fit, vt etiam dum volet, omni conatu ad ſpiritus culturam ſe attollere nequeat, negotijs tanquam molaribus aut rupibus oppreſſus: quæ vbi totum inſederunt hominem, vertuntur quaſi in naturam, & domeſtica fiunt, nec expellendi poteſtas reliqua: imò cùm vna ferè ex alia occupatio ac negotiatio naſcatur, ac velut in denſo nemore arbores mutuo implicentur, aut tanquam hedera parieti, ſic animis innodetur, nulla aut arte aut induſtria repellas.

Deterius etiam, cùm ex aſſuetudine ſæcularium rerum, delectatio quædam ſubnaſcitur, quæ ipſa magnitudine ac multitudine ſua ſi creſcat, fruſtra cæleſtia cogitabis. oblectatione enim rerum humanarum animus captus, non metitur æterna, nec ceruices ad futura circumfert, nec ad illum perennem cælorum ſolem perpetua negotiorum nube nebuláque cinctus, oculos deflectit: inhæret nimirum terræ, aſſuetus illi; omnémque cogitationem ſuam, & quidquid habet virium, profundit in ſæculum, vt nullum ſuperſit interno ſpiritui robur, quod omne põdere ſuo & oppreſſerunt & euigorarũt res alię:

Digitized by Google

neque duobus in ſolidum ſe dare mens humana, niſi ſingulari Dei munere, poteſt.

Iam ea externarum internarúmque rerum pugna eſt, vt perquam difficilè mutuo ſocientur, ac ferè altera alteram pellat, nec in vno ſtabulare ſoleant pectore. Quòd ſi quis contendat poſſe: ingens ſanè illud neceſſum eſt eſſe & roboꝛe, & vaſtitate ſua nobile. quod perrarò in hac vita conceſſum eſt homini, & è millibus vix vni aut alteri. Tam enim ex aduerſo pugnantibus, & quæ ferè totum hominem depoſcunt, incumbere, arduum omnino eſt, & quod humanas propè vires excedit. quantum enim plus vni conceſſeris, tantum alteri ademeris. creſcunt ſæcularia? decreſcunt ſpiritualia, auctibúſque illorum hæc minuuntur: ménſque tota ab illis obſeſſa, vix cæleſtibus locum dare poteſt. non poſſumus nimirum ſimul mammonæ ſeruire & Deo. alter deſtituendus eſt. partiri obſequia dominorum diſparitas non permittit. nec inimica ſigna aduerſantia in vna ſacramenta concedunt. vni qui ſe ſacrauit, alterius hoſtilitatem profeſſus eſt. Dabit proinde ſe Religioſus Deo, diuiníſq; ſe totũ

man-

Digitized by Google

mancipabit, cuius rei potissima cura à Superioris vigili studio dependet; à quo commissi sibi gregis rationem deposcet Deus, animásque sanguinémque suorum, salutémque interitúmque illi in primis asscribet, vt à cuius seria ac in omnem partem intenta excubatione, aut neglectu, tota ferè subditorum salus pendeat.

Remedia.

SEria in Superioribus inuigilatio in Spiritalem profectum suorum, diligénsque obseruatio singulorum, quem quisque ex orationibus fructum, quem ex mortificationis studio referat; quàm seriò singuli his incumbant; quo ardore ac zelo in proximorum salutem ferantur; quem in virtutibus progressum faciant.

Accurata conscientiæ & non perfunctoria redditio, vt se totum aperiat inferior, quò nihil internarum rerum Superiorem lateat. inlatentia pericula, meritò metuenda damna cognoscat, quò temperare moderaríque externarum rerum curam possit, sciátque quibus illæ tutò, ac minori spiritus detrimen-

Digitized by Google

mento committi posſint. quam ille cognitionem nulla è re certiùs, quàm ex inferioris ſincera retectione cognoſcet.

Moderatio domeſticarum recreationum, maximè in ijs quę ſæcularitatem ſapiunt, aut minùs religioſam conſuetudinem ac modeſtiam.

Remotio ac reſectio ſæcularium negotiorum, quæ ſpiritum atterere ſolent, languorémque torporémque inducere. ſeponat proinde, quãtum licet, externa, quiſquis interna amat. ſi ab obedientia ad illa agatur, quantum poteſt temporis animo ſuffuretur & Deo, non poteſt horas integras? poteſt medias. negantur mediæ? detruſtare ex his modica poteſt. Neque vllę tam denſæ ac implexæ occupationes ſunt, quæ frequentibus ad Deum aſpirationibus iter claudant. etiam in medio foro, inter roſtra & forenſes actiones euolare ad cælum mens poteſt. libera nimirum ſuſpiria ſunt: nec vllis cõpedibus, aut agendarum rerum molibus impediuntur: nulla hæc tyrannis aut exercitus intercludere poſſunt. quibus ſi aſſueuerit animus & familiares ſibi aſpirationes fecerit, etiam

in-

Digitized by Google

inter sæculi huius asperrima, coniuncta mẽs viuet Deo. Quòd si neglexerit salutaribus hisce mentem pascere, mirabitur non multo pòst exangue pectus, emedullatum cor, vitalibus suis destitutum: seróque ingemiscet, & retrò respiciet, aut ad meliora manum protendet, ingenti vndique mole oppressus.

CAPVT X.

Remissio in gubernando.

NEque enim satis est, mala vitare: nam & seruus sciens voluntarem domini sui & non faciens, plagis vapulabit multis & ferè ab eiusmodi Superioris remissione omnia mala nascũtur. vniuersa enim religiosa disciplina labascit: qua cadente, tanquam reserato vitiorum aditu, omnia simul subintrant mala. nam cùm natura proni in libertatem ferè trahamur; si desit obseruator, cẽsor, monitor, spontè in nocitura toto impetu voluimur, & iam licere arbitramur, quod Superiorum indulgentia permittitur.

Quid? quòd non repressa vitia virtutis nomen sortiantur, abeúntque tandem illa in

in naturam, cùm familiaria ac domeſtica facta fuerint. ſeróque Superior medicinam cogitat, cùm vniuerſum hominẽ domúmque ægritudo occupauit; quod in Superiorum ignaua clementia fieri conſueuit. Quare ſi aut naturæ quadam facilitate, aut noxijs illis opinionibus Superior ductus, quibus quidam arbitrantur omnia omnibus concedenda, nulli petita neganda, nunquã peccari poſſe clementiâ, nulla remiſſionis delicta eſſe, ſola beneuolentia ſubditos in officio continendos; metum omnem, increpationes, monita grauiora ſeueriaque abeſſe à religioſa domo debere; ſolius benigniſſimæ matris, ac de ſinu & vbere lactantis ac ludentis perſonam induendam, numquam maturioris patris, minùs etiam iudicis; minas proinde pœnaſque ab hac domo ablegandas; quare ad quod quis vltro non properet ac propendeat, numquam cõpellendum, ſed neque generoſioribus in quacumque ægritudine medicamentis vtendum, conſultiuſq; eſſe ægrũ inter dulcia & mellea perire, quàm per ignem & ferrũ conualeſcere: ſi his inquam Superior tanquam certis

gu-

Digitized by Google

gubernationis regulis inhæserit, vniuersam religiosam domum euertet, peccabitque in ipso bonæ gubernationis limine. neq; quidquam ad reuellenda omnia religiosa firmamenta potentius reperiri potest; quodque certiùs cum omnium religiosarum familiarum institutione pugnet. sperare enim singulos suopte ingenio virtutum semitam decursuros, nec ad dextram aut sinistram declinaturos, nulliſque incitamentis tanquam calcaribus impellendos, nullis cohortationibus grauioribus metumque incutientibus, ab omni omnino rectæ gubernationis regula aberrasse est. quò enim in omni Religione regulæ, constitutiones, monita, & aligatæ transgressoribus pœnæ, si singula singulis permittenda, si nullius vultus contristandus, nemo mœrore afficiendus, nihil negandum roganti? imò quò Superior, & obedientia tota? neque enim aut Superioribus opus est, si cuiuscumque propensionibus obsequendum est; aut obedientiæ locus est, si omnium desideria Superiores expleãt, permittantque singulis, quod cuiusque voluntas, aut pronus in quamcunque rem animus

Digitized by Google

mus ſuaſerit: quin magis Superiores inferioribus obtemperant, & illorum in his veriùs, quàm horum obedientia eſt.

Accedit, quòd hęc Superiorum remiſſio, affinis interminatoriæ nauſeantis Domini ſententiæ ſit, '*quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo*, vt faſtidire illum videamus languorem hunc, & tanquam nauſeantis à tepore fœdiſſimi vomitus protrimentum: eo magis, quo nocentior hæc Superiorum quã inferiorum remiſſio ſit; cùm illorum eat in exemplum, obambulet regna, ac in poſteritatem etiam virus ſuum iaculetur. quo fit, vt quidquid delictorum ex hac remiſſione ortum fuerit, in Superioris caput redundet. Hinc eſt illud Gregorij Paſt. p. 3. c. 23. Admonendi ſunt, *ne dum nimis humanam pacem deſiderant, prauos hominum mores nequaquam redarguant; & conſentiendo peruerſis, ab auctoris ſui ſe pace diſiungant: ne dum humana foris iurgia metuunt, interni fœderis diſcuſſione feriantur.*

Nolo tamen in Superiore nimium rigorem, nolo perpetuam ſeueritatem, vultum contractum, imperia ſæculum redolentia: amorem volo & ex amore imperia nata: hîc

pa-

Digitized by Google

complent, vrbesque totas peruagantur, plurimumque apud externos de sanctimoniæ ac probitatis æstimatione detrahitur: à quibus initijs sperata animarum salus corruit, quam veneratio & auctoritas, & conceptæ probitatis opinio ferè tutatur & prouehit.

Petrus Chryso. in epist. *Hæc est illa remissio per quam vnus edificat parietem, & alius linit, per quam laudatur peccator in desideriis animæ suæ: imò per hanc canes muti non valentes latrare per consensus vniformitatem, faciem & similitudinem peccatorum assumunt, sicut scriptum est, Vsquequò iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum sumitis?*

Remedia.

FRequens recordatio commissi sibi à Domino gregis, seueræque exactionis concreditæ sibi villicationis.

Incommodorum, quæ ex hac remissione nascũtur, apud animum suum commemoratio, vt illorum magnitudine territus magis seriam excitatámque gubernandi rationem induat. De Heli D. Leo Epist. 76. *Maluit eorum delicta tolerando, diuinæ iustitiæ vnà cum*

Digitized by Google

cum filiis ſententiam experiri, propterea quod ſegni indulgentia diſſimulauit plectere peccatores.

Fortis tenaxque inſtituti obſeruatio, frequenſque in ſe prouocatio amoris vocationis ſuæ: ſic enim fiet, vt cùm ſeipſum tanquam diſcuſſo ſomno excitauerit, aut tanquam depulſo frigore in amorem inſtituti ſui inflammauerit; nihil omittat illorum, quæ ad Religionem ſartam tectam ſeruandam neceſſaria ſunt, in omnem bene agendæ rei occaſionem intentus. Neque difficile eſt, ad quæ amamus potēter ferri, & generoſo auſu difficilia quęque tranſuolare, nulla magnitudine terreri, nullius vultum pertimeſcere, nec ferrum nec ignem perhorreſcere, quando propoſito ſibi fini neceſſaria ſunt, ducuntq; ad rem amatam, nec alia via ad illam. Excitet verò ſe Domini verbis: 2. Para. 15. *Confortamini, & non diſſoluantur manus veſtræ: erit enim merces operi veſtro.* Bona. de 6. alis, cap. 5. *Iſtæ manus Prælati ſunt inſtantia in agendo, & patientia in ſufferendo, quod grauat. quæ ſi non diſſoluantur per deſidiam, ſeu intolerantiam, merces æterna ei cumulatur.*

Diligens regularum omniumque conſti-

d

Digitized by Google

ſtitutionum obſeruatio. faciet hoc omnis vocationis ſuæ amator, cui vigor & inſtitututi valetudo bona cordi eſt, qui lacertos illius, robora, coloremque ſanguinemque totiuſque corporis habitudinem bonam amat. cumque illa in animi remiſſione ſtare non poſſit, excutiet torporem hunc, vigiliq; cura in exactam illarum obſeruationem incumbet, nullis etiam acribus medicamentis parcendo, quando tuendæ valetudini neceſſaria ſunt.

Proderit etiam, ſi tacitus ſecum ſæpè cogitauerit, in omnibus omnino rebus humanis, niſi aſſidua cura indefeſſumque ſtudium interceſſerit, labaſcere quidquid magnum. videmus hoc in hortorum, nemorum, vinearum, agrorum cultu. quoties in illis noxia euellenda, putanda. quoties ferro opus & duriore manu? quoties à radicibus ſæuiendum? nec ſumma tantùm arborum ſecãda, quin & euertẽda ſurſum deorſum omnia, viſceraq; rimanda, ſi quod fors nocituram abditum latet fibris, ſi quæ ſteriliras defixa inhæret terris. ſed & ab ignibus fæcunditas petitur, & ſterile ſolum flamma fęcundatur.

vſ-

Digitized by Google

vſque adeò ſæuiſſe prodeſt. Idem in animorum hortis vſu venire diſcet, quiſquis euẽta rerum maiorumque exempla ſerius inueſtigator luſtrauerit.

Neque interim deſperabit aut concidet animo Superior, ſi non omnia è voto ipſius ſucceſſerint. Neque enim *mirum, ſi non omnes conatus animarum rectoris non proficiant in omnibus, cùm nec Dei operatio proficiat in omnibus ad ſalutem ipſorum. Omnia enim quæ ſeminantur non conualeſcunt, & qui theſauros effodiunt, libenter multam terram eruderant, vt modicum auri vel argenti reperiant. Animare verò debet rectorem ad laboris tolerantiam, quòd non minus meretur in illis qui deficiant, quàm in his qui maximè proficiunt.* Plus *laborat doctor in indocili, quàm in docili diſcipulo, & ideo apud iuſtum æſtimatorem laboris, plus meretur. In terra ſterili & ſaxoſa agricola plus laborat, & ſi fructus paucior, ſed fructus maior. Et qua difficiliùs elaborantur, ſæpe cariùs venduntur.*

CAPVT XI.

Facilitas, & indulgentia nimia.

Digitized by Google

DVM à recto bonoque, & instituti regula se patiuntur Superiores abduci; idque aut innata quadam morum lenitate, aut difficultatibus victi, aut molestiarum fuga, aut monitorum fastidio; aut quòd blandi facilesque haberi velint, aut denique; omnibus placendi studio: quas res omne Religionis robur exedere, nemo non videt.

Neque enim deerunt vnquam optimarum legum transgressores, qui si viderint Superiorum conniuentiâ impunè omnia peragi, ad deteriora paulatim descendent, ad ea nimirum quæ ferro & ignibus indigeant. quod vbi accidit, merita cadit in Superiores querimonia, qui cum nullo negotio principiis obstare possent, maluerunt quæuis etiam permittere, ne quem suorum leui offensionis metu terrerent, aut à se auerterent; quos postmodum eo patiuntur grauiores aduersarios, quo acrioribus in inueteratis malis eruendis, remediis opus est.

Et sanè non est hic amor, odium verius est, & hostile, non patrium pectus; cùm quæ non magno negotio posset in filiorũ morbis pellere, crudeli indulgentia ferrum iubet

bet expectare: dum dilata curatione computreſcit membrum,& ſola iam ſectione & ignibus mederi malo poteſt. Sanè qui amat, qui pater eſt, initijs medetur, peccantem filium corripit, non parcit. parcere odiſſe eſt, corripere amaſſe eſt. Hinc illud in exemplũ omnibus Superioribus: Prou. 3. *Quem diligit Dominus, corripit, & quaſi pater in filio cõplacet ſibi.* Apud Apoſtolum Heb. 12. *Quem enim diligit* Dominus, *caſtigat: flagellat autem omnem filium quem recipit. In diſciplina perſeuerate. tanquam filiis offert ſe vobis Deus: quis enim filius quẽ non corripit pater? quòd ſi extra diſciplinam eſtis, cuius participes facti ſunt omnes, ergo adulteri, & non filij eſtis. omnis autem diſciplina in præſenti quidem videtur non eſſe gaudij, ſed mœroris: poſtea autem fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddet iuſtitiæ. Propter quod remiſſas manus & ſoluta genua erigite, & greſſus rectos facite pedibus veſtris, vt non claudicans quis erret, magis autem ſanetur.* Quæ ſi negligant Superiores, nec ſe veros patres, nec inferiores filiorum loco habent, nec imitatores Dei ſunt, qui de ſeipſo Apoc. 3. *Ego quos amo, arguo & caſtigo*; vt apud Dominum arguiſſe & caſtigaſſe, ama

Digitized by Google

non amasse, adeoque odisse sit. Hinc est illud Bon. de 6 alis cap. 7. *Qui parcit virgæ, odit filium, hoc est, qui sub specie pietatis peccantem non corrigit animam eius, ad interitum mittit.*

Neque quidquam in Religione malorum est, quod ex hac Superiorum indulgentia non nascatur, & magnis vbique auctibus ingentia incrementa non sumat. omnia enim vitia sub hac arbore tanquâ matre succrescunt, pullulantque ab hoc semel sparso iactoque ignauo semine. Nam cùm natura ferè proni ad vitia simus, si desit qui huic animarum horto seriam sollicitamque manum admoueat, veteris hominis reliquationes eruderet, surgentia euellat zizania, putationi incumbat, fœcundioribus melioribusque syluestria inoculet, noxiorumq; fruticum, aridorumque radices ipsas excaudicet; syluescet, & in miricas exurget.

Iam cùm indulgentem vndequaque Superiorem viderit inferior, quid nisi malo malum adnectat? probare fors arbitrabitur, cùm non improbet. in Superiore enim non improbasse, probasse videri potest; vt qui damna cùm possit nõ fugit, amasse videatur; qui

Digitized by Google

qui nocitura non deteſtatur, laudaſſe cenſeatur. omnia proinde quæ eueniunt aut ſubnaſcuntur mala, vni Superiorum indulgentiæ meritò adſcribi poſſunt.

Familiare verò in primis eſt, ex hac indulgentia tanquam è ſemine ac radice, pullulaſcere mutuas æmulationes, animorum alienationes, murmurationes & obloquia, ſæculares mores, detractiones, laborum fugam, regularum omnium neglectum, ſpiritus teporem, ac mentis quoddam frigus ac gelu; orationis omniumque propè ſpiritualium rerum nauſeam, ac quendam quaſi cæleſtium & ſpiritualium vomitum. nam ſperare vt cùm quemque ſibi reliqueris, ſinguli in ſolidarum virtutum ſtudium incumbant, fatuæ cuiuſdam fiduciæ eſt; maximè in iunioribus, quibus non exigua etiamnum vitiorum inhærent veſtigia, aut necdum in integrum domitis ijs ac conſepultis; aut è tenera adhuc cicatrice, nouum è non vehemẽti frictione, imò nõ rarò è neglectu ſolo, vulnus timeri poteſt: adeoq; cinerib. adhuc tectus ignis, veriùs quã extinctus eſt, qui indulgentia hac, & Superioris conniuentia ac

Digitized by Google

alienum excutiendi. bonis artibus non licet, decurritur ad malas: cùm satis sit dominum excussisse. nam cùm sentiant se filiorum loco non haberi, non agnoscunt Superiorem patrem. & cùm dominum nolint; nomén-que hoc omne auersentur, vt qui in paternam se vltronea traditione tutelam, non in hominis imperia coniecerint; fit vt nullum molitionum finem faciant, donec se alienis in Superiore à paterna gubernatione legibus exemerint.

Denique frustra apertam conscientiæ se-ctionem sperabit Superior talis. ignorabit suorum morbos, labeturque grauiter in spi-ritualium medicamentorum applicatione, in personarum designatione, in munium di-stributione, ac in vniuersa cõmissi sibi gre-gis cura. nam cùm interioris hominis ac cõ-scientiæ nuda quædam sinceraq; in subdito explicatio filialem confidentiam præsuppo-nat, hæc verò paternum in Superiore affe-ctum; fit vt, si hoc Superior careat, nullis per-suasionibus induci inferior possit, vt se tan-quam patri filius aperiat, cuius patrium in se affectum non experitur. & cùm semper ve-

rea-

Digitized by Google

reatur iudicem, aut dominum, non facilè se æger vt patri, aut medico explicabit: teget potiùs omnia, & se animamque in perimentia discrimina conijciet, quàm vt in Superiore, iudici ac domino, vulnera & quibus iactatur pericula aperiat.

Nascitur verò hic paternę gubernationis neglectus, aut ex ambitiosa dominandi libidine; aut è mentis quodam fastu, dictorũ factorumque suorum augusta æstimatione, aliorum contemptu & neglectu; aut ab innata quadã asperitate, morositate, fastidio, ac nauseantis animi tædio, dum nil alienum placet, displicent omnia, eoque magis quo magis domestica; aut ab animo humanarum miseriarum immemore, menteq; commoueri nescia, & malorum in se ignara, aut cæco amore sui rerumque suarum abrepta. vt omnino optandum sit inferiori, Superiorem consequi probatum per omnia, qui & mala tulerit, & sub aduersantibus ingemuerit, de genu pugnauerit, mixtumque puluere sanguinem fuderit, remediaque ex se didicerit, factus ex seipso medicus, dux & magister; quo compati, mederi, anteuertere

Digitized by Google

mala, occurrere venientibus, aut illata pellere sciat: quique è malis periculisque suis reliquos meriatur: qui nihil putet esse negligendum, nulli securè indormiendum, nullumque quocunque etiam ex cespite insurgentem hostem contemnendum, certus à minimis ingentia damna dari, regnorumq; etiam validissimorum interitum à minimorum contemptu & neglectu nata; maioraque adeò à minimis illata damna, quo ferè magis neglecta: cùm pulso timore mala crescunt, ac nimiùm securos sui inopinatos opprimunt.

Remedia.

FRequens in Superiore cogitatio, paterni in omnes affectus Dei. vt ad illius formã & imitationem paternam in sibi commissos gubernationem instituat; maximè cùm cogitauerit, præesse se illis, quos cæleſtis Pater in filios sibi adoptauit, coheredes vnigeniti Filij sui, quæ dignatio meritò vnumquemque Superiorem in paternum affectũ excitabit, omni despotico deposito, ac quasi in exilium acto.

Suo

Suo deinde se Superior pede metiatur, videatque quales in se Superiorum suorum affectus optet, patrios an despoticos: excitetque in se tales, quales aliorum in se desiderabit. Certissima hæc bonæ ac religiosæ gubernationis regula est, qua fortiter sibi serioque proposita, non facilè Superior à recto aberrabit.

Amari velit, non timeri; cogitetq; imperata ab amore nata, ab amore peracta, diuturniora, sinceriora, tutiora, pacatiora, & laude etiam digniora esse.

Perpendat secum frequenter, quanto filialis amor seruili timori præponderet: illum verò sperari non posse, nisi ipse priùs paternum in suos affectum induat.

Iuuerit etiam in primis, si vltronea & non rogata beneficia, ac sollicitudinem in suorũ necessitatibus impendat, idque infirmitatis potissimùm tempore, siue ab animo illa, siue à corpore profecta fuerit. paternè compatiendo, remedia malis præscribendo, vltro compellando, excitando, ac in spem meliorum prouocando, opem suam operamque pollicendo, medicum in corporum mor-

Digitized by Google

bis consulendo, in omnem demum fiduciam, spemque paterni in se affectus inferiorē excitando. doleat cum dolente, commiseretur patienti, ac in omnem se formam vertat, vt suorum saluti consulat; cogitetque se non tantùm patrem, sed & pro rerum exigentia matrem; vt etiam vbera norit præbere sitientibus, mellaque vinaque ijs, qui amaro ac tristi sunt corde: nec quicquam omnino intentatum relinquat, quod patrius, adeoque & matris suggerere in carissimorum filiorum ægritudine affectus solet. multa patrum matrumque exemplo perferat, quamdiu infirmitas ægrum filium tenet; nec facilè ad grauiores admonitiones accedat, quamdiu malum sæuit, febrisque siue illa animi siue corporis languentem filium possidet. pulso malo, tum demum seria, sed paterna tamen, si necessum, monitione agitata vt sentiat subditus, à paterno, non ab indignabundo & despotico affectu monita nasci.

Bon. de 6. alis, cap. 4. *Quòd si admonitiones paternæ, & benignæ instructiones frustra fuerint adhibitæ, imitandi erunt periti medici, qui non ex*

odio,

Digitized by Google

odio, sed amore ferrum & ignes, aliaq; remedia insuauia ægrotis adhibent.

Imitetur denide in suorum malis Apostolum Bonau. suprà, cap. 4 *pro Corinthiis semper gratias agentem, pro Ephesiis genua flectentem, pro Philippensibus omnibus semper in cunctis orationibus cum gaudio deprecantem, pro Colossensibus non cessantem postulare & orare, Thessalonicensium memoriam facientem in orationibus sine intermissione, atque cum eodem Paulo dicat:* Gal. 2. *Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus.* sic enim fiet, vt in quam volet partem ac virtutem suos ducat: maximè si præcat ipse exemplo, ac dux facti fuerit. neque durum erit filio patrem sequi, & generoso, nec degenere calcatu, æmulaque quadam laude, anteambula illius vestigia premere, vt vel solo etiã rubore secuturus sit filius si patrem agnouerit, paternúmque in se pectus ac sollicitudinem expertus fuerit. neque enim credi potest quantum in omnem partem intentus patris animus, ac de filij profectu ac salute sollicitus, possit, quantum ad ardua quæque audenda calcar addat, & incitamentum præbeat.

Digitized by Google

CAPVT IX.

Exiguatura interni spiritus.

HInc paulatim succrescunt zizania, & dum cultura negligitur, siluescit ager, spinisque ac sentibus repletur; fæcundusque antè gratusque Domino, sterilescit; & quæ vuas solebat, labruscas vinea profert.

Nascuntur deinde pro spiritualibus sęcularia, & quæ priùs super niuem dealbata erat anima, nunc densa nocte tegitur: inuoluiturque tetra ac inimica spiritualibus nube, quæ fulgoris sui radios longè antè lateq; multorum bono variè spargebat. sermo illi priùs, dum super grege suo excubabat Superior, cælestis, diuinarumq; rerum grauidum pectus diuina profundebat; nunc illius neglectu, nil nisi nocitura, & sæculum suum sonantia promit.

Tepescit inde Religiosus, & pro ardoribus, nausea quædam succedit spiritualium rerum, nec vltrà suauem sibi optatumque cibum amplectitur anima; magis etiam fastidit ac spernit, & toxica illi videntur, mortę-

que

Digitized by Google

que acerbiora, quibus antè ingenti plenus gaudio lætus pascebatur.

Et vt nulla ferè re alia quàm culturæ neglectu perit ager, ita nulla re alia magis quã interni cultus neglectu Religiosus. Cùm enim natura proni ad zizania simus, vt nihil præter tribulos, solis ignibus natos, relicta sibi natura proferat; fit, vt nisi assidua cultura, diligénsque in omnem partem studium accesserit, frustra horreo Dominico reponẽdam messem speres. Quin adeò, nisi perpetuetur labor, hîc putando, ibi vellendo, alibi radicitus excaudicando, ferróque etiam & ignibus non rarò sæuiendo; suffocabitur quidquid melioris seminis superieceris, miraberisque indolebísque serò, nihil messi, aut horreo seponendum relictum esse.

Deterius etiam est, quando non tantùm negligitur interni spiritus cura, sed contrarijs etiam nocituris distinetur; aut sæculariũ occupationum anxia sollicitudine tantùm non insepelitur animus, vt erigere ad superna, aut inflectere ad interna se nõ possit, mole aut tempore sæpe ipso excluſus, vt in desuetudinem planè interni cultus veniat.

Digitized by Google

sic enim fit, vt etiam dum volet, omni conatu ad spiritus culturam se attollere nequeat, negotijs tanquam molaribus aut rupibus oppressus: quæ vbi totum insederunt hominem, vertuntur quasi in naturam, & domestica fiunt, nec expellendi potestas reliqua: imò cùm vna ferè ex alia occupatio ac negotiatio nascatur, ac velut in denso nemore arbores mutuo implicentur, aut tanquam hedera parieti, sic animis innodetur, nulla aut arte aut industria repellas.

Deterius etiam, cùm ex assuetudine sæcularium rerum, delectatio quædam subnascitur, quæ ipsa magnitudine ac multitudine sua si crescat, frustra cælestia cogitabis. oblectatione enim rerum humanarum animus captus, non metitur æterna, nec ceruices ad futura circumfert, nec ad illum perennem cælorum solem perpetua negotiorum nube nebuláque cinctus, oculos deflectit: inhæret nimirum terræ, assuetus illi; omnémque cogitationem suam, & quidquid habet virium, profundit in sæculum, vt nullum supersit interno spiritui robur, quod omne pō de se suo & oppresserunt & euigorarūt res aliæ: ne-

Digitized by Google

neque duobus in ſolidum ſe dare mens humana, niſi ſingulari Dei munere, poteſt.

Iam ea externarum internarúmque rerum pugna eſt, vt perquam difficilè mutuo ſocientur, ac ferè altera alteram pellat, nec in vno ſtabulare ſoleant pectore. Quòd ſi quis contendat poſſe: ingens ſanè illud neceſſum eſt eſſe & roboꝛe, & vaſtitate ſua nobile. quod perrarò in hac vita conceſſum eſt homini, & è millibus vix vni aut alteri. Tam enim ex aduerſo pugnantibus, & quæ ferè totum hominem depoſcunt, incumbere, arduum omnino eſt, & quod humanas propè vires excedit. quantum enim plus vni conceſſeris, tantum alteri ademeris. creſcunt ſæcularia? decreſcunt ſpiritualia, auctibúſque illorum hæc minuuntur: ménſque tota ab illis obſeſſa, vix cæleſtibus locum dare poteſt. non poſſumus nimirum ſimul mammonæ ſeruire & Deo. alter deſtituendus eſt. partiri obſequia dominorum diſparitas non permittit. nec inimica ſigna aduerſantia in vna ſacramenta concedunt. vni qui ſe ſacrauit, alterius hoſtilitatem profeſſus eſt. Dabit proinde ſe Religioſus Deo, diuiníſq; ſe totũ man-

Digitized by Google

mancipabit, cuius rei potissima cura à Superioris vigili studio dependet: à quo commissi sibi gregis rationem deposcet Deus, animásque sanguinémque suorum, salutémque interitúmque illi in primis asscribet, vt à cuius seria ac in omnem partem intenta excubatione, aut neglectu, tota ferè subditorum salus pendeat.

Remedia.

SEria in Superioribus inuigilatio in Spiritalem profectum suorum, diligénsque obseruatio singulorum, quem quisque ex orationibus fructum, quem ex mortificationis studio referat; quàm seriò singuli his incumbant; quo ardore ac zelo in proximorum salutem ferantur; quem in virtutibus progressum faciant.

Accurata conscientiæ & non perfunctoria redditio, vt se totum aperiat inferior, quò nihil internarum rerum Superiorem lateat. inlatentia pericula, meritò metuenda damna cognoscat, quò temperare moderaríque externarum rerum curam possit, sciátque quibus illæ tutò, ac minori spiritus detrimen-

Digitized by Google

mento committi posſint. quam ille cognitionem nulla è re certiùs, quàm ex inferioris ſincera retectione cognoſcet.

Moderatio domeſticarum recreationum, maximè in ijs quę ſæcularitatem ſapiunt, aut minùs religioſam conſuetudinem ac modeſtiam.

Remotio ac reſectio ſæcularium negotiorum, quæ ſpiritum atterere ſolent, languorémque torporémque inducere. ſeponat proinde, quãtum licet, externa, quiſquis interna amat. ſi ab obedientia ad illa agatur, quantum poteſt temporis animo ſuffuretur & Deo, non poteſt horas integras? poteſt medias. negantur mediæ? detruſtare ex his modica poteſt. Neque vllę tam denſæ ac implexæ occupationes ſunt, quæ frequentibus ad Deum aſpirationibus iter claudant. etiam in medio foro, inter roſtra & forenſes actiones euolare ad cælum mens poteſt. libera nimirum ſuſpiria ſunt: nec vllis cõpedibus, aut agendarum rerum molibus impediuntur: nulla hæc tyrannis aut exercitus intercludere poſſunt. quibus ſi aſſueuerit animus & familiares ſibi aſpirationes fecerit, etiam in-

Digitized by Google

inter ſæculi huius aſperrima, coniuncta mēs viuet Deo. Quòd ſi neglexerit ſalutaribus hiſce mentem paſcere, mirabitur non multo pòſt exangue pectus, emedullatum cor, vitalibus ſuis deſtitutum: ſeróque ingemiſcet, & retrò reſpiciet, aut ad meliora manum protendet, ingenti vndique mole oppreſſus.

CAPVT X.

Remiſsio in gubernando.

NEque enim ſatis eſt, mala vitare: nam & ſeruus ſciens voluntarem domini ſui & non faciens, plagis vapulabit multis: & ferè ab eiuſmodi Superioris remiſſione omnia mala naſcūtur. vniuerſa enim religioſa diſciplina labaſcit: qua cadente, tanquam reſerato vitiorum aditu, omnia ſimul ſubintrant mala. nam cùm natura proni in libertatem ferè trahamur; ſi deſit obſeruator, cēſor, monitor, ſponte in nocitura toto impetu voluimur, & iam licere arbitramur, quod Superiorum indulgentia permittitur.

Quid? quòd non repreſſa vitia virtutis nomen ſortiantur, abeúntque tandem illa in

Digitized by Google

in naturam, cùm familiaria ac domestica facta fuerint. seróque Superior medicinam cogitat, cùm vniuersum hominẽ domúmque ægritudo occupauit; quod in Superiorum ignaua clementia fieri consueuit. Quare si aut naturæ quadam facilitate, aut noxijs illis opinionibus Superior ductus, quibus quidam arbitrantur omnia omnibus concedenda, nulli petita neganda, nunquã peccari posse clementiâ, nulla remissionis delicta esse, sola beneuolentia subditos in officio continendos; metum omnem, increpationes, monita grauiora seueriaque abesse à religiosa domo debere; solius benignissimæ matris, ac de sinu & vbere lactantis ac ludentis personam induendam, numquam maturioris patris, minùs etiam iudicis; minas proinde pœnasque ab hac domo ablegandas; quare ad quod quis vltro non properet ac propendeat, numquam cõpellendum, sed neque generosioribus in quacumque ægritudine medicamentis vtendum, consultiusq; esse ægrũ inter dulcia & mellea perire, quàm per ignem & ferrũ conualescere; si his inquam Superior tanquam certis gu-

Digitized by Google

gubernationis regulis inhæserit, vniuersam religiosam domum euertet, peccabitque in ipso bonæ gubernationis limine. neq; quidquam ad reuellenda omnia religiosa firmamenta potentius reperiri potest; quodque certiùs cum omnium religiosarum familiarum institutione pugnet. sperare enim singulos suopte ingenio virtutum semitam decursuros, nec ad dextram aut sinistram declinaturos, nulliſque incitamentis tanquam calcaribus impellendos, nullis cohortationibus grauioribus metumque incutientibus, ab omni omnino rectæ gubernationis regula aberrasse est. quò enim in omni Religione regulæ, constitutiones, monita, & ligatæ transgressoribus pœnæ, si singulis permittenda, si nullius vultus constandus, nemo mœrore afficiendus, nihil negandum roganti? imò quò Superior, & obedientia tota? neque enim aut Superioribus opus est, si cuiuscumque propensionibus obsequendum est; aut obedientiæ locus est, si omnium desideria Superiores explere permittantque singulis, quod cuiusque voluntas, aut pronus in quamcunque rem animus

Digitized by Google

mus ſuaſerit: quin magis Superiores inferioribus obtemperant, & illorum in his veriùs, quàm horum obedientia eſt.

Accedit, quòd hęc Superiorum remiſſio, affinis interminatoriæ nauſeantis Domini ſententiæ ſit, '*quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo*, vt faſtidire illum videamus languorem hunc, & tanquam nauſeantis à tepore fœdiſſimi vomitus protrimentum: eo magis, quo nocentior hæc Superiorum quã inferiorum remiſſio ſit; cùm illorum eat in exemplum, obambulet regna, ac in poſteritatem etiam virus ſuum iaculetur. quo fit, vt quidquid delictorum ex hac remiſſione ortum fuerit, in Superioris caput redundet. Hinc eſt illud Gregorij Paſt. p. 3. c. 23. Admonendi ſunt, *ne dum nimis humanam pacem deſiderant, prauos hominum mores nequaquam redarguant; & conſentiendo peruerſis, ab auctoris ſui ſepace diſiungant: ne dum humana foris iurgia metuunt, interni fœderis diſcuſſione feriantur.*

Nolo tamen in Superiore nimium rigorem, nolo perpetuam ſeueritatem, vultum contractum, imperia ſæculum redolentia: amorem volo & ex amore imperia nata: hîc

pa-

Digitized by Google

pa-

patris, ibi matris, alibi medici, sed & iudicis, si qua necessitas occurrerit, personam indui. quin imò minùs noxia perpetua patris dextra, quàm matris vbera sunt, minoribusque periculis obnoxia rigidior quàm mollior semper manus; vt non tam certa præcipitia sint à serij semper obseruatoris fronte, quæque nusquam parcere didicit, quàm à molli materno sinu; neque toties in pœnitenda, ac nullo pòst ingenio aut arte emendanda cadet, qui nullâ maturitatem, grauitatem, seueritatem clementiâ, quàm qui nullâ clementiam seueritate temperat.

Et Dei exemplo discimus etiam in amicissimis, mollia seuerioribus miscere, neque semper mella propinanda, & asperioribus nonnunquam monitis Domini exemplo in Petro, etiam caríssimos coërcendos. nunquam crescet in virum, qui de materno semper collo pendet & vberibus. per aspera & dura ad magna contendimus. nunquam adsui vitiorumque prauorumque affectuum cognitionem ac victoriam deueniet, quem remissus Superioris animus mollib. semper fouet, metuitque redarguere, aut maturioribus

bus monitis ab illicitis nociturisque reuocare. Sanè quem diligit Dominus, castigat, vt amoris indicium castigatio sit; & non castigasse, non amasse sit. Nunquam verò ne verborum quidem maturiore castigatione opus esse, à cælo non à sæculo sperandum est. quinimo vsitatissimũ in omni Religione est, optimos etiam viros, ob leuia & diurna delicta quædam, grauiùs fortiúsque suprá-que delicti magnitudinem moneri, nõ tam delinquẽtium quàm aliorum causa, vt dum patientiam in nõ promeritis intuentur, discant in meritis animum componere, & ad modestiæ normam dirigere.

Iam quid sperari potest à familia, cui Superioris remissio in omnem libertatem habenas laxauit, in qua cuique voluntas sua pro regula, affectus pro Superiore est? quid non timeri? exulat paulatim hinc omnis virtus, succedunt vitia, ad quæ natura quasi obtorto collo rapimur. sed & in ipsũ Superiorẽ insurgitur. sequitur remissionem venerationis neglectus ac cõtemptus, è quibus oblocutiones nascuntur ac detractiones. Nec priuatis hæc parietib. continentur, viciniam com-

Digitized by Google

complent, vrbesque totas peruagantur, plurimumque apud externos de sanctimoniæ ac probitatis æstimatione detrahitur: à quibus initijs sperata animarum salus corruit, quam veneratio & auctoritas, & conceptæ probitatis opinio ferè tutatur & prouehit.

Petrus Chryso. in epist. *Hæc est illa remissio per quam vnus edificat parietem, & alius limit, per quam laudatur peccator in desideriis animæ suæ: imò per hanc canes muti non valentes latrare per consensus vniformitatem, faciem & similitudinem peccatorum assumunt, sicut scriptum est, Vsquequò iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum sumitis?*

Remedia.

FRequens recordatio commissi sibi à Domino gregis, seueræque exactionis concreditæ sibi villicationis.

Incommodorum, quæ ex hac remissione nascũtur, apud animum suum commemoratio, vt illorum magnitudine territus magis seriam excitatámque gubernandi rationem induat. De Heli D. Leo Epist. 76. *Meruit eorum delicta tolerando, diuina iustitia vnà cum*

Digitized by Google

cum filiis ſententiam experiri, propterea quod ſegnii indulgentia diſſimulauit plectere peccatores.

Fortis tenaxque inſtituti obſeruatio, frequenſque in ſe prouocatio amoris vocationis ſuæ: ſic enim fiet, vt cùm ſeipſum tanquam diſcuſſo ſomno excitauerit, aut tanquam depulſo frigore in amorem inſtituti ſui inflammauerit; nihil omittat illorum, quæ ad Religionem ſartam tectam ſeruandam neceſſaria ſunt, in omnem bene agendæ rei occaſionem intentus. Neque difficile eſt, ad quæ amamus potẽter ferri, & generoſo auſu difficilia quęque tranſuolare, nulla magnitudine terreri, nullius vultum pertimeſcere, nec ferrum nec ignem perhorreſcere, quando propoſito ſibi fini neceſſaria ſunt, ducuntq; ad rem amatam, nec alia via ad illam. Excitet verò ſe Domini verbis: 2. Para. 15. *Confortamini, & non diſſoluantur manus veſtræ: erit enim merces operi veſtro.* Bona. de 6. alis, cap. 5. *Iſtæ manus Prælati ſunt inſtantia in agendo, & patientia in ſufferendo, quod grauat. quæ ſi non diſſoluantur per deſidiam, ſeu intolerantiam, merces æterna ei cumulatur.*

Diligens regularum omniumque con-

d ſti-

Digitized by Google

stitutionum obseruatio. faciet hoc omnis vocationis suæ amator, cui vigor & instituti valetudo bona cordi est, qui lacertos illius, robora, coloremque sanguinemque totiusque corporis habitudinem bonam amat. cumque illa in animi remissione stare non possit, excutiet torporem hunc, vigiliq; cura in exactam illarum obseruationem incumbet, nullis etiam acribus medicamentis parcendo, quando tuendæ valetudini necessaria sunt.

Proderit etiam, si tacitus secum sæpè cogitauerit, in omnibus omnino rebus humanis, nisi assidua cura indefessumque studium interceserit, labascere quidquid magnum. videmus hoc in hortorum, nemorum, vinearum, agrorum cultu. quoties in illis noxia euellenda, putanda. quoties ferro opus & duriore manu? quoties à radicibus sæuiendum? nec summa tantùm arborum secãda, quin & euertẽda sursum deorsum omnia, visceraq; rimanda, si quod fors nocitorum abditum latet fibris, si quæ steriliras defixa inhæret terris. sed & ab ignibus fæcunditas petitur, & sterile solum flamma fęcundatur.

vs-

Digitized by Google

vſque adeò ſæuiſſe prodeſt. Idem in animorum hortis vſu venire diſcet, quiſquis euẽta rerum maiorumque exempla ſerius inueſtigator luſtrauerit.

Neque interim deſperabit aut concidet animo Superior, ſi non omnia è voto ipſius ſucceſſerint. Neque enim *mirum, ſi non omnes conatus animarum rectoris non proficiant in omnibus, cùm nec Dei operatio proficiat in omnibus ad ſalutem ipſorum. Omnia enim quæ ſeminantur non conualeſcunt, & qui theſauros effodiunt, libenter multam terram eruderant, vt modicum auri vel argenti reperiant. Animare verò debet rectorem ad laboris tolerantiam, quòd non minus meretur in illis qui deficiant, quàm in his qui maximè proficiunt. Plus laborat doctor in indocili, quàm in docili diſcipulo, & ideo apud iuſtum æſtimatorem laboris, plus meretur. In terra ſterili & ſaxoſa agricola plus laborat, & ſi fructus paucior, ſed fructus maior. Et qua difficiliùs elaborantur, ſæpe cariùs venduntur.*

CAPVT XI.

Facilitas, & indulgentia nimia.

Digitized by Google

DVM à recto bonoque, & instituti regula se patiuntur Superiores abduci; idque aut innata quadam morum lenitate, aut difficultatibus victi, aut molestiarum fuga, aut monitorum fastidio; aut quòd blandi facilesque haberi velint, aut denique omnibus placendi studio: quas res omne Religionis robur exedere, nemo non videt.

Neque enim deerunt vnquam optimarum legum transgressores, qui si viderint Superiorum conniuentiâ impunè omnia peragi, ad deteriora paulatim descendent, ad ea nimirum quæ ferro & ignibus indigeant. quod vbi accidit, merita cadit in Superiores querimonia, qui cum nullo negotio principiis obstare possent, maluerunt quæuis etiam permittere, ne quem suorum leui offensionis metu terrerent, aut à se auerterent; quos postmodum eo patiuntur grauiores aduersarios, quo acrioribus in inueteratis malis eruendis, remediis opus est.

Et sanè non est hic amor, odium verius est, & hostile, non patrium pectus; cùm quæ non magno negotio posset in filiorũ morbis pellere, crudeli indulgentia ferrum iubet

bet expectare: dum dilata curatione computrescit membrum, & sola iam sectione & ignibus mederi malo potest. Sanè qui amat, qui pater est, initijs medetur, peccantem filium corripit, non parcit. parcere odisse est, corripere amasse est. Hinc illud in exemplũ omnibus Superioribus: Prou. 3. *Quem diligit Dominus, corripit, & quasi pater in filio cõplacet sibi.* Apud Apostolum Heb. 12. *Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium quem recipit. In disciplina perseuerate. tanquam filiis offert se vobis Deus: quis enim filius quẽ non corripit pater? quòd si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes, ergo adulteri, & non filij estis. omnis autem disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudij, sed mœroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiæ. Propter quod remissas manus & soluta genua erigite, & gressus rectos facite pedibus vestris, vt non claudicans quis erret, magis autem sanetur.* Quæ si negligant Superiores, nec se veros patres, nec inferiores filiorum loco habent, nec imitatores Dei sunt, qui de seipso Apoc. 3. *Ego quos amo, arguo & castigo;* vt apud Dominum arguisse & castigasse, ama-

Digitized by Google

non amasse, adeoque odisse sit. Hinc est illud Bon. de 6 alis cap. 7. *Qui parcit virgæ, odit filium, hoc est, qui sub specie pietatis peccantem non corrigit animam eius, ad interitum mittit.*

Neque quidquam in Religione malorum est, quod ex hac Superiorum indulgentia non nascatur, & magnis vbique auctibus ingentia incrementa non sumat. omnia enim vitia sub hac arbore tanquâ matre succrescunt, pullulantque ab hoc semel sparso iactoque ignauo semine. Nam cùm natura ferè proni ad vitia simus, si desit qui huic animarum horto seriam sollicitamque manum admóueat, veteris hominis reliquationes eruderet, surgentia euellat zizania, putationi incumbat, fœcundioribus melioribusque syluestria inoculet, noxiorumq; fruticum, aridorumque radices ipsas excaudicet; syluescet, & in miricas exurget.

Iam cùm indulgentem vndequaque Superiorem viderit inferior, quid nisi malo malum adnectat? probare fors arbitrabitur, cùm non improbet. in Superiore enim non improbasse, probasse videri potest; vt quidamna cùm possit nõ fugit, amasse videatur:

qu

Digitized by Google

qui nocitura non deteſtatur, laudaſſe cenſeatur. omnia proinde quæ eueniunt aut ſubnaſcuntur mala, vni Superiorum indulgentiæ meritò adſcribi poſſunt.

Familiare verò in primis eſt, ex hac indulgentia tanquam è ſemine ac radice, pullulaſcere mutuas æmulationes, animorum alienationes, murmurationes & obloquia, ſæculares mores, detractiones, laborum fugam, regularum omnium neglectum, ſpiritus teporem, ac mentis quoddam frigus ac gelu; orationis omniumque propè ſpiritualium rerum nauſeam, ac quendam quaſi cæleſtium & ſpiritualium vomitum. nam ſperare vt cùm quemque ſibi reliqueris, ſinguli in ſolidarum virtutum ſtudium incumbant, fatuæ cuiuſdam fiduciæ eſt; maximè in iunioribus, quibus non exigua etiamnum viciorum inhærent veſtigia, aut necdum in integrum domitis ijs ac conſepultis; aut è tenera adhuc cicatrice, nouum è non vehemẽti frictione, imò nõ rarò è neglectu ſolo, vulnus timeri poteſt: adeoq; cinerib. adhuc tectus ignis, veriùs quã extinctus eſt, qui indulgentia hac, & Superioris conniuentia ac

Digitized by Google

incuria, perfacilè in nouas exurgere poteſt flammas; vt proinde perpetua opus Superioris vigilantia ſit,& in omnem partem circumſpectione,ne vel noua exurgant, vel erumpant vetera.

Intentam proinde ad ſingula mentem, oculoſque teneat,etiam ad infima fratrum munia.dici enim non poteſt, quantos hæc vigilantia curáque animos addat,quàm validè omnes in officio contineat,dum obſeruari ſe, ſiue in remunerationem & laudem, ſiue in ſerias monitiones ſentiunt; dumque ibi veri patrisfamilias in filios intuentur affectum,alibi medici anxiam de ſuorum valetudine ſollicitudinem; modò paſtorem commiſſo ſibi gregi inuigilantem, modò Superiorem in ſubductionem rationum ſubditorum ſuorum incubantem;in omnibus denique ſerium inueſtigatorem & obſeruatorem, quemque nihil domeſticarum rerũ fugiat.ſemel enim cõcepta hæc opinio omnes in ſedulã commiſſarum ſibi rerum executionẽ prouocat,dũ in oculis,ſe ſuaq; Superioris,perpetuo verſari arbitrantur.

Et ferè qualis ipſe eſt,tales inferiores ex-

pe-

Digitized by Google

perietur. negligens ipſe & incurius eſt? ſocordes & ignauos expectet inferiores. vigilans & ſerius? excitatos promptoſque conſequetur. tantum in vtramque partem exemplum parentis, ducis, medici, Superioris valet, vt ab huius ferè moribus, de reliquis iudiciũ ferre queas, & bona ſperare, aut timere mala poſſis. diligens ipſe, & vigilans, ac in omnem partem intentus? ſimiles experietur inferiores. Quid ſi inter hæc deliquerit aliquis, & culpa pœnam mereatur, memor ſit Sapientis Prou. 19. *Peſtilente flagellato, ſtultus ſapientior erit: ſi autem corripueris ſapientem, intelliget diſciplinam.* & alibi. Eccli. 10. *Vir prudens & diſciplinatus non murmurabit correptus.* Si murmurauerit, habemus eũdem interminantem: Prou. 29. *Virum qui corripientem dura ceruice contemnit, repentinus ei ſuperueniet interitus, & illum ſanitas non ſequetur.* & prudenter alibi monet Eccli. 7. *Melius eſt à ſapiente corripi, quàm ſtultorum adulatione decipi.* Hinc illud Pſalmiſtæ votum: Pſalm. 140. *Corripiet me iuſtus in miſericordia, & increpabit me: oleum peccatoris non impinguet caput meum.*

Quòd ſi errantes & ab inſtituto deflectentes

Digitized by Google

dentes neglexerit Superior punire, audiat Bonauenturam de sex alis c. 3. *Si non corrigit delinquentes, si permittit sub se vitia crescere, & consuetudines malas oriri, & iam exortas roborari & dilatari, si videt Ecclesiasticas obseruationes dilabi, & transgressiones multiplicari, & pro posse non obuiauerit tam praesentibus malis, quàm imminentibus; triplicem Deo reddet rationem. Primò, pro sua negligentia, quando non fecit ad quod officio tenebatur. nam ait:* Sap. 6. *Cùm essetis ministri regni illius, non rectè iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, neque secundùm voluntatem Dei ambulastis. Horrendè & citò apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum his, qui praesunt, fiet. Secundò, quòd omnia peccata subditorum, quæ poterat & debuerat correxisse & praecauisse, imputantur ei. vnde dicit Ezechiel* cap. 33. *Si non fueris locutus, vt custodiat se impius à via sua, ipse impius in iniquitate sua morietur: sanguinem autem eius de manu tua requiram. Tertiò, pro abusione honoris & potestatis sibi collatæ, quam ad propriam gloriam & commodum retorsit, & non ad quod data ei. Tollite ab eo talentum, (ait Christus) & inutilem seruum eijcite in tenebras exteriores; ibi erit fletus & stridor dentium. Ostendat ergo bonus zelator, quã-*

Digitized by Google

tum diligat Deum, in eo quòd beneplacitum eius in se & in aliis promoueat: nec ab hoc zelo molleſcat per deſidiam, nec labore laſſetur, nec conſiliis flectatur, nec aſtutiis circumueniatur, nec amicitia, nec blãdimentis deliniatur, nec minis terreatur, nec per diuturnam prauæ conſuetudinis præſcriptionem deſperet, quin ſuum officium exequatur.

Remedia.

FRequens malorum, quæ ex hac indulgentia naſcuntur, conſideratio, bonorumq;, quæ ex accurata regularum omniũque ordinationum obſeruatione promanãt, vt à quibus Religionis valetudo bona, flos, vires, roburque pendeat.

Pœnitentiarum in religione receptarum vſus, quas vti neque acerbiores, ita neque indulgentiores eſſe conuenit: quòd ſi quando morbi vis ac malignitas acriores adhibere cogat; ſentiat tamen infirmus, à paterno hęc affectu, & valetudinis ſtudio, non ex animi exacerbatione, aut ſolius iudicis tribunali proficiſci, verbis ad omnem ſuauitatem ac manſuetudinem compoſitis, quæ amorem, & emendationis deſiderium, non vindictã,

Digitized by Google

aut minùs ordinatur affectum loquantur. bene Sap. Eccli. 19. *Corripe amicum, ne fortè non intellexerit & dicat, Non feci; aut si fecerit, ne iterum addat facere.* quo magis inferiorem, qui Superiori filij loco est?

Exempla hîc proponi possunt ab omni Reipub. militiæ, priuatæ etiam familiæ, filiorumque institutione; cum pleraque ex illis nimia Superiorum lenitate, & ignaua quadam facilitate perierint; & quæ aut opibus aut robore prima, ad humilem ferè arenam, hostiliaque genua deducta fuerint. & grauis sanè in indulgentiorem in peccata filiorum suorum Heli, sententia Domini est: 1. Re. 3. *Eò quòd nouerat indignè agere filios suos, & non corripuerit eos, idcirco iuraui domui Heli, quòd non expietur iniquitas domus eius victimis & muneribus vsque in æternum.* & secuta prædictionē miserāda indulgentis patris mors. 1. Reg. 4. *Cecidit de sella retrorsum iuxta ostium, & fractis ceruicibus mortuus est.* in quem locum est illud Gregorij Past. par. 2. cap. 6. *Quia falsa pietate superatus ferire Heli delinquentes filios noluit, apud districtum iudicem semetipsum cum filiis crudeli dānationepercussit.* vt meritò Superio-

Digitized by Google

riores omnes terrere hoc exemplũ debeat.

CAPVT XII.

Dissimulatio in suorum malis.

DVM verentur Superiores, ne mœrore afficiant suos, ne offendant, ne à se alienent, ne querimoniæ subnascantur, ne pacata turbent. Hinc conniuentiæ, religiosæ disciplinæ relaxationes, omniumque pedetentim neglectus, dum à paruis initijs ad maxima properamus: familiarẽ in humanis malum. de his autem Superioribus dici illud Prophetæ ex persona increpantis Dei potest Isai. 56. *Speculatores eius cæci omnes, nescierunt vniuersi, canes muti non valentes latrare.* & illud Ezech. 33. *Quòd si speculator viderit gladium venientem, & non insonuerit buccina, & populus se non custodierit, veneritq; gladius, & tulerit de ijs animam; ille quidem in iniquitate sua captus est, sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram.* Speculatores Superiores sunt, qui si munere suo functi fuerint, periculorum monuerint, nec inferiores obaudierint, meminerint illud Domini Prou. 1. *Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas negle-*

Digitized by Google

xistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cùm vobis id, quod timebatis aduenerit. cùm irruerit repẽtina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit: quando venerit super vos tribulatio & angustia. tunc inuocabitis me, & non exaudiam: manè consurgent, & non inuenient me, eò quòd exosam habuerint disciplinam, & timorem Domini non susceperint, nec acquieuerint consilio meo, & detraxerint vniuersæ correptioni meæ. Sanè qui Superioris correptionem contempserit, Dei contempsisse iudicãdus est, cùm vices Dei Superior obeat. quo maior etiam cura Superiori incumbit, cui vices suas commisit Deus, seueram ab eo exacturus rationem commissi sibi gregis: cuius non tam affectum ac propensionem, quàm necessitatem ac vtilitatem intueri Superior debet, Deique ac patris personam induere.

Non est autem veri patris nocitura filiis permittere ne doleant. prudentes illæ lacrymæ sunt, quæ excutiuntur noxiorum amotione: ingemiscat filius, dummodo perimẽtia amoueas, benè est; ne seriùs postea ingemiscat pater, & non-profuturas profundat filius

Digitized by Google

filius lacrymas, parentis diſſimulatione natas. Non eſt amor, venena permittere, & nociturum ferrum: odium eſt, amoris palla tectum. neque medicus ille laudandus, qui ne offendat, ne mœrore afficiat ægrum, morbum ſimulat, remedia negligit. Indignetur æger, exurgatque in iras acerbioribus medicamentis prouocatus, non ideo aut deſperandus morbus, aut deſtituenda curatio eſt. laudabit vbi conualuerit, & duras medici ſui manus pręmio afficiet, exoſculabiturque vbi pulſo morbo, maliſq; quibus opprimebatur, bona ſua ſenſerit. Prudenter Sap. Pro. 28. *Qui corripit hominem, gratiam poſtea inueniet apud eum, magis quàm ille, qui per linguæ blandimenta decipit.* Sin inclementi commiſeratione motus medicamina in ſeram curationẽ diſtulerit Superior, damnabit meritò æger inhumanam hanc benignitatẽ, nec tam mãſuetudinem, quàm crudelitatẽ inclamabit. Idem fiet in animorum morbis; totam accuſationem, indignationemq; ſuam vertet in noxium hunc diſſimulatorem: qui cùm mederi poſſet malo, maluerit creſcere, cumque admouere manũ debuiſſet, leuib. etiamtum ini-

Digitized by Google

initijs, ac quasi in superficie ludente ægritudine, distulerit curationem, donec in præcordijs sæuiret malum. Hinc illa Sap. monita: Pr. 29. *Erudi filium tuum, & refrigerabit te, & dabit delicias animæ tuæ.* & Eccli. 30. *Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella, vt lætetur in nouissimo suo, & non palpet proximorum ostia. qui docet filium suum, laudabitur in illo, & in medio domesticorum in illo gloriabitur. qui docet filium suum, in zelum mittit inimicum, & in medio amicorum gloriabitur in eo.* filij autem Superiorum inferiores sunt, & verissimorum patrum verissimi filij.

Quòd si alius accesserit Superior, priore munere defuncto, qui suorum inuigilauerit malis, quique serius vbique periculorum monitor manum admouerit, qui damna properantia, ac ceruicibus imminentia, ac iamiamque ruitura præcauere voluerit; miratur monitorem suum, tantorumque periculorum denunciatorem, qui morbum in eam diem nullum senserit, ægritudinem prorsus ignorauerit (vt fieri consueuit vbi in naturam abierunt morbi) & exurgit non rarò in indignationes, nec credit denuncianti; quin

Digitized by Google

quinaut ab alieno in se animo monita hæc promanare, aut ex inanibus nimiumq; credulis Superioris sui suspicionibus, aut è molitionibus aliò tendentibus arbitratur; sequunturque non leues animorum alienationes, murmurationes etiam, & obloquia, & fiunt tales acerrimi Superiorum obseruatores & censores, si quid fortè in illis deprehenderint, quo suspiciones hasce suas alant, dicta factaque illorum in sinistram ferè & deteriorem partem interpretantes, vt causæ suæ æquitatem tueantur.

Si pro ratione muneris sui pergat Superior; aut erumpunt in pœnitenda, & ad odia graueſque detractiones, & ad malorum denique vltima descendunt: aut si in morbi, quo detinentur, periculorumque cognitionem venerint, vniuersa indignatio prolabitur in priorem Superiorem, malorum dissimulatorem: illum accusant & damnant, cuius immiti silentio, & ignaua dissimulatione mala creuerunt. Et sæpè ad tantum præcipitium mala venerunt, vt pedem in tutum retrahendi nulla spes affulgeat, omneque medicamenti genus, malum aspernetur. Hinc in-

Digitized by Google

inter monita & curationem, gemitus & dura trahuntur ſuſpiria, mœroríque indignatio miſcetur, & grauior etiam melancholia, quam non niſi cum vita æger deponet, dum de victoria ſui, mali magnitudine victus, deſperat, & inclamat cum Propheta: Ierem. 15. *Plaga mea deſperabilis renuit curari.*

Quòd ſi initiis, & in herba adhuc ludentibus malis, tenero adhuc caule, manum prior admouiſſet Superior, nullo hic opus eſſet ferro, & ſanè gaudebit quiſquis ſapit inferior, morborum ſuorum principiis à Superiore occurri, paternamque manum admoueri. Scit enim verum illud eſſe Sapientis Prou. 15. *Auris quæ audit increpationes vitæ, in medio ſapientum commorabitur. qui abijcit diſciplinam, deſpicit animam ſuam: qui autem acquieſcit increpationibus, poſſeſſor eſt cordis.* & illud Prou. 12. *Qui diligit diſciplinam, diligit ſcientiam: qui autem odit increpationes, inſipiens eſt.* Denique Prou. 13. *egeſtas & ignominia ei qui deſerit diſciplinam: qui autem acquieſcit arguenti, glorificabitur.* Quare lætabundo animo corripientem excipiet patrem, vt vbi inualuit malum, & ignibus iam opus eſt & ferro, an-

Digitized by Google

antè aut animam aut vocationem ponet, quàm durii iudicis admittet manum.

Remedia.

A Vigili Superiorum cura petenda, vt nec minima quidem negligat, certus ex his magna etiam orirri: modico fermento totam non rarò maſſam amareſcere; modico felle mella vinaque corrumpi nobiliſſima; modico veneno ingentia damna dari; vnáque non rarò ſcintilla oppidorum flammas enaſci. Ille agri ſui prudens cultor eſt, qui zizania in ſemine, tanquam in matre & vtero, priuſquã naſcãtur, lucemq; aſpiciant, aut in aliorum oculos incurrant, perimit.

Cogitet deinde Superior, mala, quæ in ortu leui medicari manu poterant, vbi adoleuerint, & robori iã ſuo innixa ſteterint, non niſi valentiſſima dextera, potentiſſimiſque medicamentis; & in ceruicem ſæpe Superioris ruituris curari poſſe. poterant initio componi nõ magna querimonia: neglexit; excreuerũt in arbores, vt ferro iam opus ſit, & ignib. illis excidẽdis. Quid? quod nõ vnius, vbi inualuerint mala, ſæpe interitu medicamenta adhibeantur: nam vbi ſer-

Digitized by Google

ſerpendo plures ſecum traxerunt, agrumq; non rarò vniuerſum veneraria ſua lue infecerunt; non leuia meritò timeri poſſunt, cùm in vnum inſurgant omnes, doleantque ſibi eripi, quæ longa iam conſuetudine propè in naturam ac regulam abierunt.

Si cogitauerit deinde damna ex infelici hac diſſimulatione naſcentia, periculaque vniuerſo corpori imminentia, ſeueramque extentamque in vindictam Dei in diſſimulatores manum, præmiaque cælo ſerijs in omnem partem excubatoribus repoſita; facilè ſe ad vigilem curam ſollicitudinemque prouocabit.

Nemo denique ad noxias haſce diſſimulationes deſcendet, qui ſoli Deo innititur. hic enim extra ſpem metumq; poſitus, nullius gratię, beneuolentię, indignationi quidquam tribuit, Deo inhærens, à quo ſolo vt verè metuenda, ita & ſperanda veniunt.

CAPVT XIII.

Studium placendi ſibi ſubditis.

Dum

Digitized by Google

DVM aut ſubditorum metuunt obloquutiones, aut terrentur ſcriptionibus: aut nolunt offendere quos commodos ſibi arbitrantur, quoſque dictorum, factorúmq; ſuorum laudatores experiuntur.

Accedit metus temporalium rerum, dum verentur ne in earum aut tractationibus, aut conſecutionibus minùs vtilem fidámq; ſuorum operam & induſtriam ſentiant, aut illis etiam vniuerſim deſtituantur.

Hinc pro malorum magnitudine non admouentur remedia; aut extrema tantùm delictorum leuiter tanguntur, nec ad interiora curatio accedit; vel, quod deterius, excuſationes prætexuntur, minuendíſque ac leniendis, ac propugnandis denique malis rationes & quæruntur & reperiuntur.

E quibus prouenit, vt inferiores aut non ſentiant mala periculáque, quibus iactantur; aut immania, quibus inſiſtunt, præcipitia, ruinæ proxima: aut vitia etiam virtutes arbitrentur, cùm videant illa non damnari, mò & probari interdum ab ijs quorum prudentiæ commiſſi ſunt.

Accedit, remedia ſeriùs plerumque admo-

Digitized by Google

moueri, cùm mala medicam omnem manum magnitudine sua aut respuunt, aut superant; cùm leuissimis medicamentis in primis ortus sui initijs morbus omnis pelli vinciq́ue potuerit.

Denique complacendi hoc studio vniuersa paulatim religiosa disciplina dissoluitur, dum Superiores inferioribus occasionem præbent quidlibet experiendi, quidlibet audendi; deuenitúrque pedetentim ad summa transgressionum fastigia, ad totius vocationis institutíque neglectum ac contemptum; dum singuli propè, vitę sibi genus formant, quale pronus cuiusque in libertatem animus suasit.

Clauduntur hæc mala Superiorum contemptu. ferè enim in humanis, indiuiduo quodam nexu, placendi studium contemptus sequitur: neque enim aut in Superiore auctoritas, aut in inferioribus veneratio diu stare potest, dum complacẽdi suis studium, ad multa venerationi ex professo inimica Superiorem abiecerit. nam licet filialis quidam in inferioribus, tanquam in parentes amor, plurimùm ad venerationem valeat; ni-

si

ſi tamen ſua parenti conſtet auctoritas, neglectus quidam ſequitur, ac ingens paulatim etiam de patre exiſtimationis diminutio: vt in omni benè conſtituta familia conandum ſit, vt amori filialis quidam timor permiſtus ſit, qui & paritatem tollat, & amico filialíq; metu auctoritatem conciliet. ita in amore hominis ad Deum ſalutaris omnino metus intercurrit, vt dum amamus patrem, vereamur in offenſo iudicem ac dominum. In Superiore etiam dum perſonam amamus parentis, timeamus Superioris: nam niſi hic timor amorem comitetur obedientia, diu cõſiſtere non poterit. Si enim omni Superioris perſona depoſita, ſolius ſe benigniſſimi patris, ac quaſi matris veſtiat qui præeſt, veneratio nõ leue naufragium patietur; imò nec verus ille pater dicendus eſt, qui filiorũ gratiam venatur, totúmque ſe in illam profundit: amicus enim veriùs, aut inferior etiam illorum, quorum gratiam aucupatur, dici poteſt. nam in eo quo alterius beneuolentiam ſtudioſiùs ſibi comparare ſtudet, Superiorem illum agnoſcit, vt à quo affectus ac beneuolentię alterius beneficium ſperet;

in

in quo parando ad non pauca auctoritatem diminuentia dimittere se cogitur. è quibus paulatim venerationis loco ingens contemptus nascitur; quem vt non facilè inferior exuet, ita nec Superior auctoritatem consequetur. semel enim hac proculcata, aut nunquam, aut perquam rarissimè exurget. Conatum fors Superior adhibebit; at semel contemptus imbibitus, altiùs plerumque insidet animo, quàm vt pelli possit, maximè cùm totum hominem occupauerit. Inde Superioris iam imperia nulla, & ex imperatis ea exequimur quæ probamus, vt obedientiæ mensura, voluntas ac iudicium nostrum sit.

Existimatio deinde tota deperit, & quidquid erat opinionis bonæ; sequuntur iudicia aliena & aduersantia, censuræ graues: nec domesticis se parietibus malum hoc tenet, perambulat sæculares, & in corpus vniuersum abit.

Et ferè iusto Dei iudicio illos in primis patiuntur aduersarios, quorum parandæ beneuolentiæ impensiùs studuerunt Superiores.

Re-

Digitized by Google

Remedia.

CErta bene gubernandi norma Conſtitutiones & Regulæ ſunt: quarum ſi ſerius obſeruator & cuſtos Superior fuerit, & ex illarum ſpiritu præeſſe ſtuduerit, nec ad dexteram aut ſiniſtram in huius aut illius gratiam deflexerit; nullo negotio & patris affectum, & Superioris auctoritatem tuebitur, pulchra, tuta ac neceſſaria etiã miſtura. Nam vt à gubernandi prudenti regula decedit qui tantùm parens eſt, ita ab illa degenerat qui tantùm Superior eſt. vtrumque peritus regendi artifex coniunget; nec nimiam ſeueritatem induet, nec ad nimiam ſe benignitatem abijciet: nec Superiori neceſſaria auctoritate, nec patria manſuetudine ſe ſpoliabit. vtramque occupabit; vt ſua in inferioribus amori ſtet veneratio, ſuus venerationi amor: pari vtrimq; pondere; plus tamen ſi habuerit patris, non damnem: integra in omnibus Superioris auctoritate & veneratione, vt nihil de hac patris demat amor.

Studium deinde vni placendi Deo: in quo ſi Superior certam ſpem ponat, illum-

Digitized by Google

que in omnibus actionibus intueatur, ad eúmque ſtudia, cogitata, factáque dirigat, non magno negotio quidquid optari in Religione poteſt, conſequetur; nec humanos fauores laudéſque aucupabitur, cæleſtibus paſcendus. bene hîc Gregor. monet in Paſt. p. 2. c. 8. *Rector ſolerter inuigilet, ne hunc cupido placendi hominibus pulſet, ne, cùm ſtudiosè interiora penetrat, cùm prouidè exteriora ſubminiſtrat, ſe magis à ſubditis diligi quàm veritatem quærat*: & non magno negotio etiam temporalium difficultates ſuperabit. Neque enim fieri poteſt, vt monitorum, conſiliorum, mandatorumque ſuorum ſerium vigilemque obſeruatorem deſtituat Dominus. quin magis creſcet etiam Dei benignitas, creſcente Regularum obſeruatione; vt quaſi pari paſſu & harum cuſtodia & illius accreſcat munificentia: maximè vbi Superiorem nullo humano reſpectu, ſed ſolo placendi ſibi ſtudio, ferri & impelli viderit Deus: cui ſi ſtudeat placere Superior, à quo ſolo præmia ſperanda ſunt æterna; facilè præmiorum magnitudine & æternitate ille ſtrus, reliqua contemnet, nec tam ſollicitè perituram gratiam ſuo-

Digitized by Google

ſuorum venabitur. Audiat Apoſtolum 1. Theſ. 2. *Non quaſi hominibus placentes, ſed Deo, qui probat corda veſtra.* & ex ſe factus nobis magiſter, Gal. 1. *An quæro hominibus placere? ſi adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus nō eſſem.*

Proderit verò non parum ſi ſibi perſuaſerit fore, iuſto Dei iudicio, vt eos experiatur aduerſarios, quorum diſciplinæ relaxatione beneuolentiam captauit. Et docuit non ſemel experientia, docetque in dies, eos acriores hoſtes paſſos Superiores, quibus plus indulſerunt, vt indulgentiam neglectus, contemptus, detractiones & odia ſequantur; dum maiora ſemper appetit ſemel guſtata libertas, indignatúrque ad negata: vt aut omnia concedenda ſint, aut violanda amicitia. & vt conceſſerint omnia, nuſquam conſiſtet, gradúmque ſiſtet hæc licentia: inſurget in ipſum Superiorem, nec finem ſtatuet, donec illum munere deiectum viderit. Vltima hæc ferè merces placendi eſt.

CAPVT XIV.

Nimia in ſuorum aliquem fiducia.

Digitized by Google

QVæ res cùm reliorum æmulationem & inuidiam vtique comparat, tum magnis obnoxia periculis est; neaut talis animos sibi sumat maiores, aut partem ad se trahat gubernationis, subditorumque à Superiore animos deducat, ac in se transferat; obedientię vim infringat, eaque in gerendarum rerum actionibus committat, quæ & dedecori Superiori & damno sint; bonoque Religionis nomini non parum derogent. Et ferè videmus tales non postremam ad se gubernationis partem trahere. ita nimirum nimia fiduciâ consurgunt animi, vt omnia sibi concessa arbitrentur, quibus nimio quodam fiduciæ nexu colligati Superiores sunt.

Non probo diffidentiam in altero extremorum sitam: mediocritas laudata: vt neq; in omnibus morosa quadam prudentia, nimiaque complacentia tui diffidas; neque prodiga fiducia omnia credas. temperetur fiducia metu, vt nec omnia subtrahas, nec omnia largiaris. Consultumque in primis est, Superiorẽ in omni etiam probatissimo, viroque aliàs maximo, oculos in omnem partem intentos habere. plus tamen vni, quàm

Digitized by Google

quàm alteri confidat, in tanta hominum varietate neceſſum eſt. Nam & teſtata vnius virtus, prudentia, circumſpectio, plus fiduciæ iure quodam ſuo depoſcit. Neque prudens omnes eodem metietur pede, circumſpectabit ſingula, mores omnium, vitam, probitatem, & pro cuiuſque talẽto ea committat, quæ tutò cõmitti poſſe arbitrabitur.

Ac licet plurima ſæpe ſpectatæ alicuius virtutis ac prudentiæ viro committi poſſe ratio ſuadeat, ita tamẽ res inſtituatur, vt nihil agendarum rerum Superiorem lateat; vt & rationem reddere petẽtibus poſſit, & extra ſollicitudinem verſetur, neque ſe nimiâ in ſuorum aliquem fiduciâ, ignarum in diſcrimen ac pericula coniectũ ſerò queratur, viamq; inter præcipitia, cùm euadendi ſpes nulla ſupereſt, circumſpectet. & ſanè rarò quiſquam eo conatu res alienas, quo ſuas tractat, aut deliberationẽ aut laborem magnitudini parem admouet, cùm ex euentu ferè res omnes metiamur; quarum fortunatus infortunatuſque exitus cùm maximè in Superiorem cadat, magis plerumq; illi de propinquo res cordi eſt, tanquam laudis & vi-

Digitized by Google

tuperationis materies & ſcopus.

Et neſcio quid aliquando interueniat humani, cùm laudem omnem videamus accreſcere Superiori, laborem omnem eſſe noſtrum, commendationem illius. quæ res negligentiam interdum auget, ſocordiam nutrit, & miſtis aliquando æmulationis aculeis exaſperat animum, & ad pœnitenda deducit. ita ſtudio nonnunquam ſperata alteri gloria decerpitur, neque exequimur quod licuit, verentes nimirum, ne quantum laudis accedit alteri, tantum decedat nobis: quæres etiam ex profeſſo in non laudanda non vnum in aliena re impulit, non tam odio alterius, quàm ſtudio amoris laudiſque ſui.

Accedit quòd tales ægrè poſtmodum reuocari ad conſuetam Religionis normam reliquorum more poſſint. Quòd ſi pergat Superior vrgere, quæ conceſſionibus coaluerat amicitia, diſſoluitur, vertitúrque in odia amor, & in criminationem Superioris: creſcunt deinde ſuſpiciones, & pro fiducia diffidentiæ naſcuntur, mutuæ demum accuſationes & contemptus, præteritarúmque actio-

Digitized by Google

actionum depressiones, & quæcunque etiam antè cum laude gesta, in dubiam vocantur fidem. Ex fauo nimirum fella & venena suguntur.

Sed neque bene consulitur illi, quem hac fiducia Superior firmauit: nam & domesticorum reliquis suspectus hic esse incipit, vt etiam consuetudinem illius fugiant, familiaritati se subtrahant, minùs fidenter agant, consilia respuant, dicta factáque illius in alium longè ab auctore sensum trahant, planéque ingenti apud omnes diffidentia laboret, actionésq; propè illius omnes etiam probę in sinistram rapiantur partem. Ita omnium talis & beneuolentia excidit, & inuidiam in se prouocat, in quem nimia Superiorem rapi confidentia senserint: tanquam omnium petendus sit telis, qui vnius Superioris clypeo protegitur. Familiare malum etiam inter vnius patris sobolem. cùm enim profusiore in vnum senserint animo parentem ferri, mutua reliqui conspiratione in vnum feruntur; oppugnatúrque ab omnibus, quem nimia patris supra reliquos beneuolentiæ fiducia tegit: maximè

Digitized by Google

cùm parentis ille in se affectu elatior, omnia sibi licere arbitratur, & in fratres, vnius veteri & paritatis oblitus, impotentiùs insurgit, reliquisque negata fidenter sibi assumit, nec iam fratris sed patris in fratres personam assumit. Vix enim humanum est in nimiùm secundis animum moderari. assurgimus surgente fortuna, & ijsdē passibus extollimur, & dispares felicitate, matris licet vbere & sinu pares, caput efferimus, & ad imperia è fortuitis conuolamus, paritatis immemores; priorisque fortunæ obliti, è sola externa felicitate prærogatiuam metimur, inde iam indignationes, & in vnum caput, tanquam inimicum, hostiles molitiones; nec insidiarum machinationumq; finis est, donec penitus euertant, quem Superioris indulgentia efferri supra reliquos viderint. Quod dum fit, ingentia partium consurgunt studia, & magna vbique area mutuarum detractionum aperitur, illeque fortunatus censetur, qui socium quaqua dēmum via gradu turbauerit.

Remedia.

Ex

Digitized by Google

EXparitate in omnes ſumenda ſunt. fiet hoc, ſi par in omnes Superioris feratur amor: ſi ſingulos non ob priuata commoda, aut ingeniorum prærogatiuas, ſed quòd vnius patris Dei, vnius matris Religionis filij ſint, amore proſequatur.

Non nouit hæc diſcrimina Dei amor, niſi ex virtute nata; ac ne tunc quidem palàm aperienda: tacitus apud ſe potiùs veneretur hos Superior, committatque ita negotia, vt ipſe tamen intentum in omnia oculum teneat.

Neque vni tantùm ſpecioſiſſima credat, ſed aliorum etiam non rarò virtutem experiatur, quando ſine damno poteſt.

Neque cum vno plurimùm ſermonem miſceat, ſed pro re nata varios etiam libens admittat, & vltro etiam prouocet, animetque ſi quid rectum ab illis factum; ac ſicubi erratum, paternè moneat, errorem oſtendat; ita tamen vt modum præſcribat, quo corrigi ille poſſit.

Nec ideo vniuerſim à negotiis tales excludat; ſed vbi illa commiſerit, premoneat, modumq; præſcribat. quòd ſi iam ex preſcripto

Digitized by Google

feliciter egerint, laudet illos, & ad maiora hortetur.

Quòd si quem innata prudentia probitasque maioribus dignum suaserit, vt meritò plus illi credi possit & debeat: neque enim omnium par industria, sapientia, solertia, fides, rerumque experientia est; is omni studio deuitet ne qua parte supra reliquos se efferat, ne quid muneris Superioris ad se trahat, ne aliorum se familiaritati subtrahat, ne potiores dignioresque partes assumat. sed contrà rara in omnes beneuolentia ac humanitate feratur, inferiora, quæque plus laboris molestiarumque quàm splendoris habeant, vltro sibi deposcat, & oblata cum magna hilaritudine arripiat, illustriora lubens alijs deferat, concedique gaudeat: bene de omnibus, & si potest splendidè; de se suisque non nisi modestissimè loquatur, aut vniuersim sileat. errores si qui, vt in humanis solent, occurrant aliorum, aut in totum diluat, aut quantum potest minuat eleuetque, omnibus benignus, vt minimis etiam prout occasio tulerit assuescat, quam etiam studiosè nonnunquam inquirat, ne quis me-

Digitized by Google

meritò contemptum aut neglectum se ab illo queri aut suspicari possit. Sic fiet vt omnium omnino beneuolentia iudicioque, reluctanti etiam potiora omnia deferantur, feliceſque se reliqui arbitrentur, si in rebus suis consilio illius vti possint. tantum in humanis humanitati iuncta modestia valet.

CAPVT XV.

Priuatæ necessitudines & amicitia.

NON sunt hæc signa veri amoris. contingit enim his quod simiæ, quam cùm mater fortiùs stringit, perimit: ita quos arctiori sibi familiaritatis vinculo Superior innectit, perdit. nam cùm in his prouocet nimiam fiduciam sui, audaciam, fastum, aliorum contemptum; aliorum etiam in hos offensiones concitat, diffidentias, non inanes sinistras suspiciones, murmurationum ac detractionum non vulgares causas. vt nō immeritò talis dicere Superiori possit, *Elegans allisisti me*, ad inuidentiæ nimirum breuia, ad æmulationum scopulos, ad liuoris vada.

Digitized by Google

Contingit etiam nonnunquam, vt his moribus dicere liceat præpostero planè naturæ ordine res ire. neque enim non rarò non tam Superior domui, quàm talis Superiori & domui imperat, cùm plures sæpe ad hunc quàm ad Superiorem decurrant. Difficilis nimirum ad Superiorem aditus, facilis ad hunc est; nec quidquam tam magnum quod per hunc non consequantur. negasse enim postulata, amico negasse est: quem cũ nolit Superior offendere, aut mœrentem dimittere, omnia concedenda sunt, aut sanè amicitiæ renuntiandum est.

Nascuntur deinde dissimulationes defectuum in iis, quibus familiariùs adstringimur; cùm eos vel amor tegat, aut offensionũ metus dissimulet, aut priuatæ necessitudines libertatem adimant, aut arctiores mutui nexus monita respuant, nec iam admittant personam patris, multoque minùs iudicis.

Crescit dein ex hac familiaritate in inferioribus audacia, quæ ferè familiarem coniunctionem comitatur. contemptus denique, quem à familiaritate tanquam sobolem à parente, videmus nasci; vt indiuiduo

Digitized by Google

uiduo fere hæc nexu coniungantur, magna neceſſitudo, & ad intima quæque admiſſio, & minor æſtimatio. Neque enim fieri poteſt, quin multa in illa familiaritate improbanda, aut ſanè non probanda deprehendamus, quæ priùs ignorata admirationem & venerationem prouocabant. quæ duæ res dici non poteſt quàm validè in omni gubernatione Superiori auxilio ſint, cùm ſæpe opinionibus gubernatio contineatur: quod & in laude & contemptu plurimùm valet.

Quare cùm non probem nimiam in Superiore retractionem, ac ſolitudinem; tum nimis prodigam ac profuſam familiaritatẽ probare non poſſum. Nolo in Superiore aliorum fugam; neque ad intima tamen omnia perfacilè quemquam admittendũ ſuaſerim: non quòd aliquid committi velim, quod alienum oculum vereatur, ſed quod non faciat ad venerationem, opinioniſque magnæ antè collectæ augmentum, vniuerſa reſerare & expandere.

Scio non vereri illum homines qui illaudanda committit teſte & iudice Deo; nec erubeſcere debere ad alienum proſpectum,

Digitized by Google

cui frons colorque ſtetit in oculis omnia videntis Domini. At ille non tam euentu, quã animo res metitur; nos ex ingenio noſtro, nudiſque non rarò opinionibus innixi, iudicium plerumq; de toto homine ferimus: & aliquid aliquando liberius aut vidiſſe, aut audiſſe, plurimùm de concepta exiſtimatione minuit. lapſus eſt verbo, improuidum aliquid excidit, minùs maturum, minùs ſerium? vniuerſim de omnibus iudicamus. remiſit aliquid Superior de conſueta maturitate, vt non rarò in intima illa familiaritate aſſolet? præiudicia naſcuntur.

Iam cùm ad omnem benè gubernandi rationem plurimùm opinio momenti conferat, hanc verò nimia neceſſitudo, & ad abditiſſima quæque admiſſio diminuat; nemo paulo prudentior ad illa ſuos admittet, niſi ea in omnibus, etiam ſecretiſſimis vtatur circumſpectione. vt nec hoſtiles in ijs oculos vereatur. Quod cùm rariſſimum in homine ſit, neque quiſquam facilè ad eum prouidentiæ gradum conſcendat; non facilè etiam aditus ad omnia aperiendus eſt. Magnus ille, cuius omnia patêre poſſunt omnibus,

Digitized by Google

bus, & qui nec in cubili, aut ſtrato, in menſa, animíque corporíſque exteriore laxamento, inimicum teſtem ac iudicem vereatur. Niſi ergo omnia, etiam inter priuatos parietes, priuata colloquia ea ſint, quæ quis meritò admiretur, imitetur, laudet; non ſuaſero ad omnia, oſtia reſerari.

Quòd ſi quando tamen faciendum neceſſitas ac ratio poſcat; videat Superior, quem admittat, quem intimorum omnium ſuorum teſtem, ac quaſi iudicem ſtatuat. Rariſſimi enim ſunt, etiam in circumſpectiſſimo Superiore, quibus tutò hæc ſine venerationis diminutione credi poſſint, qui non *faciles* ad offenſionem ſint, qui ſciant res temporibus metiri, qui homines cogitent, non Angelos, qui parua vitia magnis virtutibus norint integere, qui nullo ſęculo cogitent fuiſſe quemquam, cui non aliquid, maximè inter domeſticos parietes, ignoſcendum fuerit: qui circumuolitantes errores, tanquam pulueres Aquilone ſparſos, magnarum virtutum factoiúmq; ſcopis norint detergere, quíque volaticos hos diurnorum vitiorum cineres, illuſtrium ac generoſarum operationum ſerie, tanquam

Digitized by Google

valido vento difflare dicerint. Tales vbi nactus fuerit Superior, fors poterit ad intima quæque admittere.

Remedia.

FRequens in Superiore consideratio muneris sui; omnium se esse, non vnius, aut paucorum parentem; omnes pari solicitudine, non vnum alterúmue curæ ipsius cõmissos; omnes pari iustitiæ & charitatis lege concreditos; omnesq; pari sanguinis & adoptionis iure, Dei ac Religionis magnę ac fæcundæ matris, filios esse.

Cogitet deinde Superior, vnius omnes corporis mẽbra esse. quare pari omnia cultu & obsequio obseruanda. quid? quòd Apostolo teste vilioribus maiorem honorem circumdemus. & fatuum omnino est vnius membri cultui totum se tradere, reliquis destitutis. quid enim nisi non modò reliquorum, sed & huius corporisque totius interitus exspectandus est?

Frequentata consideratio diuinæ gloriæ, quæ sepositis priuatis affectibus, ad omniũ perfectionem & amorem pari iure deducit.

Pe-

Digitized by Google

Periculorum, quæ ex his familiaritatibus nasci consueuerunt, considèrationes; ac illius in primis, multa ferè in his necessitudinibus amico committi, quorum pœnitudo grauis auctori est. Factus enim quodammodo Superior illi seruus est, cui animi sui secreta committit, cùm illum variis iam nominibus obstrictum teneat; maximè cùm iustus ille insurgat metus, ne, si quam alienationis causam præbeat, prodat amicè cõcredita. Atque hinc iam dissimulationes illæ nascuntur, quæ inferiori omnis licentiæ ianuam aperiunt, vt periculum sit, ne contingat in hac familiaritate Superiorum, quod Ezechiæ regias opes ostendenti: vt, cùm animi sui reconditos thesauros alteri reserauerit, bella exspectet, & reconditarum in eam diem opum expilationem.

Vetus illud dictum tacitus sæpe secum voluat Superior, & ab ipsa prudentia dictatum: *Secretum meum mihi.* Neque enim infelicius quidquã eo est, qui celare concilia sua non potest, quique animi sui morbos in alterius effundit sinum. Non est talis regimini natus, cùm primum summumq; prudentis

Digitized by Google

dentis bonæque gubernationis fundamentum sit, nosse silere. quod non poterit, qui se suáque in familiarioris sibi pectus effundit. quod in omni propè familiaritate vsu venire solet. Iam cùm hic familiaris alium fòrs sibi familiarem habeat, quem nihil celare consueuit, fit vt intima quæque Superioris prodantur, quæ res ingentium secum incommodorum seriem trahit.

CAPVT XVI.

Defectus boni exempli.

FErè enim omnium oculi in Superiore versantur, & dux ille suis vt ad virtutem, ita ad vitia est; promque maximè iuniores sunt in Superioris imitationem; manéntque hæc viua morum illorum exemplaria in omnem etiam ætatem impressa mēti; & transeunt in posteritatem, tanquam morum regulam: vt religiosè ille viuere videatur, vocationem explesse, qui Superiorem moribus refert, dictáque factáque illius exprimit, eo etiam magis, quo propiùs ad illum accesserit. Præclarè Nazianzenus Apolog. 2.

Ne-

Digitized by Google

Neque enim vel indelebilem tincturam pannus, vel fœtidum aut ſuauem odorem res admotæ ita facilè contrahunt, vel exitialis quidam vapor tam facilè in aërem diffunditur, ac per aërem animantia occupat (quod quidem peſtis eſt & appellatur) quàm ſubditi Antiſtitis improbitate celerrimè impleri ſolent, & quidem multò faciliùs quàm virtute.

Quo grauior reddenda ratio Superioribus erit, cùm non ignorent, dicta factáque ſua in exemplum & imitationem poſita; nec quicquam in ſequelam efficacius eſſe Superiorum moribus, qui tanquam benè & religiosè viuendi prima quædam principia ac pronunciata habentur.

Maiora deinde ſcandala è Superiorum erroribus metuenda; quorum quo illuſtrior locus ac dignitas, eo periculoſiores defectus ſunt, & vniuerſo corpori nocentiores. vnde etiam illud metuendum, *Potentes potenter tormenta patientur.* Hinc Gregorius Homil. 17. in Euang. *Nullum, puto, ab aliis maius præiudicium tolerat Deus, quàm à Superioribus, quando eos, quos ad aliorum correctionem poſuit, dare de ſe exempla prauitatis cernit: quando illi peccant, qui compeſcere peccata debuerunt.*

Er

Digitized by Google

Et ad gloriam plurimùm facit, exemplo ad virtutem præluxisse. Sanè à moribus ferè Superiorum vniuersa domestica disciplina, reliquorumque mores pendent. verba reb. inania plus etiam non rarò offensionis, quã documenti secum ferunt; res ipsæ viduatæ licet verbis, & inornatæ, nihil detrahunt natiuæ venustati: imò non semel plus roboris ac pulchritudinis, res nudæ, omniq; adscititio ornatu spoliatæ, quàm nobili aliqua dictionis purpura vestitæ ostentarunt. facere, viri, & religiosi est: & plurimùm rebus potentes, verborum inopes; verbis diuites, rerum inopes sunt. & è millibus vix vnum alterúmue, cui omnia concessa, reperies. In locuplete namque verborum copia, rei parum esse solet, cùm inopia verbis iuuari velit: in opulenta rerum copia, verborum minus est. neque enim alienis splendere aut fulciri vult domesticis diues. imò murmurationum non leuem causam præbent fortia verba emedullata rebus, cùm non respondent monitis facta; & illudere etiam incipimus & obloqui passim. exasperare nempe animos solent mortua verba, rebus, id est vi-

ta

Digitized by Google

ta ſua, deſtituta, & prouocare in æſtimationis ſuæ derogationem.

Sanè vt nihil ad inuitandum potentius Superioris exemplo eſt, ita nihil ad omnem illi auctoritatem venerationémque tollendam validius, quàm cùm verba factis aduerſantur. Et fruſtra talis malis medelam ſperabit, aut ſuorum morbis médicinã adferet. reſpuet hanc manum æger animus, nec altè imbibet, quod à ſuperficie, & à ſolis Superioris ſui labris natum videt. Quare ſi ſperare valetudinem ſuorum debet, ſi aut collabentem erigere diſciplinã, aut ne collabaſcat tueri, ſi intepeſcentem accendere pietatis ardorem, aut illius nutrire flammas, ſi immania alterius ſexus præcipitia vitare, ſi mutuam animorum coniunctionem maiorumque imperia ſtare, reliquaque quæ ad Religionis tuitionem, damnaque vitanda neceſſaria ſunt; manum Superior admoueat, exercituumque imitetur ductores magnos, qui non tã lingua, quàm manu prompti & exemplo, ad ardua quæque audenda ſuos inhortati, fortiter facere, quàm benè dicere maluerunt. Faciendo nimirum, non di-

Digitized by Google

dicendo res magnæ geruntur: nec quiſquam facilè paulo generoſior miles præeuntem deſtituet ducem. pulcrum namque per illius veſtigia triumphum mereri; per illius ſudores hoſtem ferire; per illius ſanguinem, hoſtilem bibere: idémque à Chriſto diſcimus, qui non antè docuit, quàm opere expleuit: *cæpit* nimirum, Scriptura teſte, *facere & docere*, vt exempla præceſſerint, monita ſecuta ſint: quæ tunc demum potentiſſima ſunt, cùm opere tanquam clypeo & vallo armantur. nec quidquam iam inferiori durum ac difficile: præeat modò Superior, nec tam verbo, quàm reipſa ducem ſe præſtet, vt non tam monitor, quàm ductor ſit: primus enim ſi ille ad ardua manum porrexerit, ſequentur reliqui vel ſola verecundia impellente.

Hæc demum vna & vera omnis bonæ gubernationis via eſt; neque res vlla validior certiórque eſt quæ bonis iuxtà improbíſque plus animorum addat, & ad virtutem incitamenti: qua etiam vna deficiente, nihil ſolidi ſperari poteſt, nihil quod ætatem ferat, quod laudē mereatur, quod probatis máiorum

Digitized by Google

rum moribus reſpondeat; dum ſinguli ſuo ſpiritu feruntur, & tot iam Religiones, quot capita enaſcuntur. In diuerſa namque ſtudia & partes ſcindi neceſſum eſt eos ſubditos, qui aut ductore carent, aut ſolis monitis præeuntem Superiorem viderint, verbis nimirum multa pollicẽtem, inhortantem, ſed verbis ſolis, rebus animaque, vt ita dicam, ſua viduatis. Caſſiod. lib. 11. *Neque enim poteſt ſuccritatem habere ſermo, qui non iuuatur exemplo*; Var. cap. 8. *dum iniquum ſit bona præcipere, & talia non egiſſe.* Ephrem de vita ſpir. cap. 37. *Nihilq; æquè animum ducit ad ſalutem, iunioreſq; ad laborandum incendit, atque ſi doctorem reipſa & exemplo ad virtutem cohortatorem inuenerint.*

Remedia.

FRequens meditatio reddendæ rationis Deo, maximè cùm vitia Superiorum ant in exemplum ſuis poſteríſque.

Feruida incentiua amoris vocationis ſuæ. ic fiet vt inſtituti ſui amantes, totos ſe invirtum ſtudium profundant, maximeque ilrum, quæ Religionis ſuæ propria ſunt.

Frequens cogitatio muneris ſibi impoti, quare ad illud à Domino delectus fuerit;

Digitized by Google

rit: quid ipsi ratione illius incumbat: quàm forti exemplo cogatur imperio Dei præire militiæ huius dux constitutus: qua in Superiores suos obseruantia, quo humilitatis, paupertatis, castimoniæ studio, quo quantoque ad labores animo, qua ad imperata promptitudine, quàm benigno blandoque in delatores suos animo, in eosque quos alieniores à se deprehenderit, maximè si paria à suis exigat, & sperare audeat.

Seria cogitatio grauissimorum incommodorum damnorumque quę defectu boni exempli Superioris, nasci solent, non parum iuuabit: maximè si bis per diem Superior, examinum conscientiæ tempore, secũ tacitus consideret, num in aliquo deliquerit, quod aliis ad deteriora incitamento esse possit: num quid omiserit, quo dux suis auctorque ad virtutem esse debebat & poterat.

Proderit non parum, si domestico suo cõfessario liberam monendi facultatem concesserit, quandocumque minùs religioso exemplo præeuntem viderit, aut audiuerit; gratamque sibi illam monitionem fuisse hi-

lari

lari lætoque vultu ostenderit.

Iuuabit etiam plurimùm, si vltroneam sibi certamque in omni deteriore exemplo pœnam irrogauerit, vt hac quasi monitrice ad saniora melioraque flectatur.

CAPVT XVII.

Executionis defectus.

FRustra namque ordinationes, regulæ, constitutiones, instructionesque conduntur, nisi frequens Superiorum accedat *inculcatio*, ac strenua ordinatarum rerum executio. Neque quisquam prauas consuetudines, & quæ altè radices egerunt, leui & intermittente manu excaudicabit. assidua cura, non cessantibus laboribus eruuntur nocitura; & facilè itur ad ingenium, nisi vigilans accedat sollicitudo, quę non patiatur vetera succrescere: cùm ferè proni rapiamur ad ea quibus olim assueuimus. & procliuior semper lapsus ad deteriora, ad recta difficilior exscensus est.

Accedit inferiorum in his omnibus neglectus,

Digitized by Google

ctus, cùm videant Superiores in benè prudenterque conditarum rerum executionibus tepescere: nascituréque adeò in illis fastidium quoddam optimarum licet & vtilissimarum ordinationum, cùm sentiunt Superiores tam ignaua manu in illas incumbere, satísque habere, semel denuntiasse: nam & illi satis tunc habent, semel audisse. Nec sanè maior à subditis in peragendo, quàm à Superioribus in exequendo diligentia meritò exigi posse videtur.

Quæ res vbi accidunt, vniuersam benè constitutę Religionis disciplinam paulatim marcescere necessum est: succedítque hoc Superiorum neglectu, densa tandem optimarum rerum obliuio, peregrinarúmque rerum in patrio, tanquam in peregrino solo studium; vt nusquam iam minùs, quàm in re nostra domi simus, alteriúsq; potiùs, quã nostræ Religionis ciues videri possimus.

Nascitur verò hæc in Superiore incuria, vel ex innata quadam naturæ ignauia, vel è pusilli pectoris angustijs; cùm aut difficultatibus occumbunt, aut plus æquo subditos reuerentur, aut executionem desperãt, suæ

Digitized by Google

siue rei magnitudine victi, siue suorum virtuti siue viribus suis diffidentes. Nam & molestias, quæ se offerunt, diffugiunt, labores sudoresque auersantur, commodorum suorum studiosi, & difficultatibus succumbentes, nunquam ad ardua protendunt manum, & dum placere student omnibus, nulli fastidium aut molestiam creare volunt.

Quòd si suorum obstricti beneficiis Superiores sunt, duram seruiunt seruitutem, & animus ad imperata exequenda deest: quibus si quid commiserint, quod euulgari metuant aut erubescant; tanquam inter vincula & compedes constituti iacent, facti mancipium suorum.

Iam si non modò Superior ad hæc non adijciat mentem, sed tædio victus, vel, quod deterius, alienior ipse ab imperatis flaccescat, nihil est quod in aliis speret. ipse si præcedat, & prior calcet viam; non deerunt qui sequentur, vel solo rubore impellente. Nec quidquam tam potens, quod non Superiore ductore vltro lubentes exequãtur inferiores, & inclament. Etiam illo du-

Digitized by Google

ce, medijs inter arenas, fluctus, scopulos, serpentes, ferrum & ignem benè nobis est, & habemus benè; vt qui eandem cum Superiore non inuiti fortunam subeant, gaudẽtes illi inter aduersa pariari. Breuis proinde ad feliciſſimam executionem quantumuis maximarum rerum semita est, Superiorem præire, & exemplo suo executionem vrgere, nec antè ad monita descendere, quàm opere, quod imperat, exꝑleuerit.

Remedia.

ASsidua Superiorum in subordinatos sibi Officiales vigilantia, monita, peractarum rerum inuestigatio, seriaque in res omnes excubatio: vt nimirum domum ipsam non infrequenter obeat Superior, singulorum munia lustret, curiosiusque nonnunquam perscrutetur quid in vnoquoque genere à singulis peragatur; qua fide, industria, religione, studio, exemplo, diligentia.

Frequentes cum primis domus suæ Patribus de ordinationum executione cõsultationes, conferentiarumque spiritualium sedula

Digitized by Google

ſedula inſtitutio, in qua per occaſionem ſæpiùs in exequendarum rerum monita excurrat, neglectæ rei cauſſas diſquirat, aperiat, remedia præſcribat.

In Officialibus omnibus diligens impoſitorum munium adminiſtratio, maximeq; illius qui Superioris loco domui præeſt, illiuſque vicariam adminiſtrationem ſortitus eſt: quem in omni hoc genere quàm inſtructiſſimum neceſſe eſt eſſe.

Conſequetur hoc, ſi frequenti lectione ac praxi ordinationes omnes familiares ſibi reddat: neque impunitos tranſgreſſores permittat, nunc monendo, nunc laude etiam præmioq; diligentibus propoſito, pœnis etiam; maximè cùm malum grauius eſt, quàm vt mollioribus flecti poſſit: tunc enim ad duriora deſcendat; ita tamen vt aſpera ſuccedant dulcibus, minaſque ac pœnam amoris præcedant linimenta, & quidquid ab huius locuplete officina depromi poteſt, ęgrienti porrigatur: quæ ſi reſpuat malum, ad acriora veniendum erit. nec finis medicamentis ſtatuendus, donec depulſo malo victrix ſtet diligentia.

Digitized by Google

Multum, vt in aliis omnibus, in hac re valebit seniorum exemplum, maximeque eorum qui varia in Religione munia obierunt. Sequentur enim iuniores, vel sola verecundiâ, ac tanquam filij patres imitabuntur. Ad laborandum proinde omni conatu Superiori est, vt seniores ad exempla iunioribus statuenda prouocet.

Conandum deinde ne nimis multis subditi obruantur, ac tanquam molibus insepeliantur potiùs quàm iuuentur. facilis enim aut desperatio, aut fastidium, aut neglectus è multitudine est. frequensque prescriptarum rarum mutatio, magno executioni impedimento esse solet. indignationem enim illa nauseamq; prouocat, venerationemque minuit, cùm inconstantiæ opinionem ingerat.

CAPVT XVIII.

Disciplinæ neglectus.

EST verò (Cyprian. lib. de discip. & hab. virg.) *disciplina custos spei, retinaculum fidei,*

Digitized by Google

lei, dux itineris salutaris, fomes ac nutrimentum bonæ indolis, magistra virtutis. & Hugone Victorino teste, lib. 2. Inst. Nou. c. 10. *desiderio-rum carcer, frænum lasciuiæ, iugum elationis, vinculum iracundiæ; quæ domat intemperantiam, lenitatem ligat, & omnes inordinatos metus mentis atque illicitos appetitus suffocat.* cuius negligentia à Superiorum indulgentia, & innato quodam animi repore, à noxia clementia, à placendi omnibus studio; à languore quodam animi, & à Religionis amore degenere; à politico denique spiritu, exiguaque aut nulla salutis suæ & suorum cura nascitur; aut sanè à nimiis Superioris in externa diffusionibus, quo fit vt cùm totum illũ sęcularia occupauerint, ac vltronea quadãaddictione vniuersũ obsederint, domesticæ suorũ disciplinę intendere non possit; plurimaq; elabantur, fugiantq; memoriam illius tanta externorum negotiorum mole circumseptam & oppressã. Exurgit hinc lassitudo quædã mentis, &, dum quidquid roboris habet, exerit in externa; destituitur in domesticis, viribus, comederunt nimirum alieni robur eius. raroque vni homini

Digitized by Google

ad tam diuersa, ac inter se pugnantia, quæque singula totum hominem requirunt, vires suppetunt, vt animi non desint.

Iam vbi semel laxatis habenis Religionis rigor intepuit, prono cursu, & præcipiti veriùs prolapsu in supinum omnium propè neglectum ruimus; cùm vnus alium trahat, nec solitaria in vno stet ignauia, sed prono semper cursu in deterius labatur, donec ad extrema deuenerit, grauium corporum more, quibus stetisse iacuisse est.

Sequitur verò ignauiam quidam disciplinæ contemptus. Inde iudicia prosiliunt critica, quædam in primis, inde vniuersim omnia damnantia, & aliud iam vitæ genus cogitamus, amamus, laudamus etiam palàm, & vigilantioris Superioris, verique bonique tenacioris studia contemnimus & ridemus. quod si palàm non audemus, clàm eleuamus, & detractum imus nomini, & damnandi caussas seduli disquirimus: vt si semel è quocunque capite malè audire cœperit, in omnibus displiciat; & pro diligente ac instituti amante, imprudens, immitis, seuerus, ac crudelis demum audiat.

Suc-

Digitized by Google

Succedit inde ſpiritualium rerum nauſea, animiq́ue ad ſalutaria languentis faſtidium. diſplicent quæ placuere ante, vertunturq́ue optata priùs mella in abſynthium, & fel merum. intepeſcit virtutis ſtuditum: & qui ante etiam de genu pugnabat, mixtóſque quaſi ſanguine dentes lætus in ſpiritali lucta deuomebat, mille ante animas poſiturus, quàm leui ſe crimine obſtringeret; nunc vel ſolo eminus terrore, tenuiq; prouocamento, ac vltro etiam nullo hoſte impellente, ſciens volénſque inter grauiſſima ſcelera, tanquam inter ſociam amicámque ſibi arenam voluitur. bibit nimirum iam ille gaudens iniquitatem, qui omni morte, omnibúſque antè tormentis grauiùs leuiſſima quæque deteſtabatur, & ad ſolius delicti, tenuiſq́ue tranſgreſſionis nomen perhorreſcebat.

Proſiliunt deinde in inferioribus ex hoc Religioſæ diſciplinæ neglectu mala propè vniuerſa. orationis antè omnia tepor, ac quoddã ſpiritalis progreſſus frigus gelúq;, diuertimur inde ad externa, ad ſæculares confabulationes, iocos, riſus, ac cibi potúſque

Digitized by Google

que delectum, ad commodorum ſtudium, laborum fugam, otij amplexum; ad priuatas deinde amicitias, partiumq; ſtudia. totuſq; exinde homo in omni propè tam domeſtico, quàm externo congreſſu, ſęculum magis, quàm Religionem ſapit & loquitur.

Nec mirum. nam cùm in vnoquoq; Ordine, regularum conſtitutionumq; tenaci diſciplina tanquam habenis Religio ſtringatur, ac tanquam ſalutis vinculo arctetur; fit vt qui illa laxauerit, pronam natura ſua in libertatem humanam mentem, tanquam iniecta manu in præcipitiũ propellat. maximeque hoc locum habet in iunioribus, qui necdum in ſolidum confirmato animo, tenera etiamnum ceruice, priſtinæque licentiæ ac commodorum memores, laxatas vniuerſim excutiũt habenas, ac in veterem ſe vendicant noxiam libertatem perituri, niſi prudentior Superioris manus fræna ſtrinxerit, loráque animæ æternùm profutura arctauerit. Indoleat licet ac ingemiſcat iuuentus arctiùs iam habita; gaudebit poſtmodum, & has Superioris ſui manus ſecuriores, vbi ad ſe & ad primogenium Religionis

Digitized by Google

gionis ac diſciplinæ ardorem ſtudiumque redierit, deoſculabitur; & clementes miteſque appellabit, fatebiturque agnoſcetque patris fuiſſe, quas iudicis arbitrabatur.

Remedia.

A Superioris manu vigiliq; cura petenda ſunt: qui ſi ſe ſęcularibus proximorum negotiis, quoad populi locique conditio patietur, expediuerit, totumque ſe tuendæ firmandæque diſciplinæ dederit, perfacilè illam ſtabiliet. neque magni moliminis erit non accerſere, non ad ſe trahere, non ſponte ſe externorum occupationibus induere; à multis etiam oblatis, ac incurrentibus ſe ſubducere, quando ſine merita proximorum offenſione, ac diuinæ gloriæ nominiſque diminutione, æſtimationiſque Religionis, ſalutiſque aliorum detractione fieri poteſt. Prima proinde cura ſibi cõmiſſorum ſit, quibus arctiſſimis iuſtitiæ legibus obſtrictus eſt. reliquum verò quod à ſuorũ illi cura temporis ſupereſt, externorũ ſaluti impendat; memor ſemper primam curam debere eſſe ſuorum tanquam patri, tan-

Digitized by Google

quam pastori, severámque ipsi aliquando illorum reddendam rationem Deo.

In omnem deinde Superior partem intendat; perspecta domestica habeat, moréſque propensionéſque animorum singulorũ; illíſque antè omnia incumbat, quę Religionis iugulum petunt: qualia esse possunt, feminarum frequentata familiaritas; sociorum fuga; aulici, politici, sæculúmque sapientes mores colloquiáque; detractionis vitium; externos ad Ecclesiasticas, seu sæculares dignitates commendandi studium; mutuæ domesticorum, aut gentium dissensiones; aberratio ab vniuerso vocationis spiritu; obedientiæ ac totius orationis neglectus; & huius generis non pauca.

Minora tamen his non negligat, sed serios in omnem partem oculos animúmque intendat. Frequentibus dein consultationibus insistat: è quibus aliorum etiam ore domesticas res discat.

Quæ si ea fide, & pastorali ac paterna qua obstringitur cura seriò, & non cursim præstiterit; non erit difficile Religionis disciplinam intra imperatas regularum leges con-

Digitized by Google

continere.

Curandum etiam, vt in transgressores pœnitentiarum vsus vigeat, in quibus nec nimis morosum frequentémque esse conuenit, ne à frequentia contemptus nascatur, & consuetudo in naturã transeat, consuescátque cui imperantur pudorem exuere: nec nimis remissum, ne conniuentia accendatur malum. mediam viam ingredi tutissimum, vt nec clementia, nec seueritate nimiã peccemus. minora minoribus, grauiora grauioribus puniantur.

Détque operam Superior, vt intelligant delinquentes, meritò talia iniungi, cauendumque seriò, ne qua in his personarum acceptio eluceat, ne quod in vno indulgemus, puniamus in alio: grauis enim ex hac personarum acceptione oblocutionum occasio exoritur, dissensionúmque materies datur.

Videat deinde Superior lapsuum causas, fortuitæ sint, an præcogitatæ; à fragilitate quadam animi, an à permista improbitate proueniant; rariùs aliquis, an frequentiùs in idem incidat; præcesserint aliquando mo-

Digitized by Google

nitiones,an ſecùs;auctor alijs fuerit,an alios ſecutus;è pronitate quadam naturæ,minuſque prouida circumſpectione,an è contemptu natæ. quæ ſingula pœnarum grauitatem augent aut mitigant.ignoſcat non rarò, monuiſſe contentus. nec facilè ob priuata delicta aut vni tantùm alteriue nota publicè puniat , ne ſubditorum exacerbetur animus.

Magna etiam pars melioris diſciplinæ à Præfecto ſpiritus dependet; qui ſi cum Superioribus magnis animis conſpiret , non magno negotio, quidquid hîc languoris eſt ac neglectus,erigetur in melius,in ardorem, & obſeruantiæ quendam zelum.

Inueſtigandæ demum ſeriò cauſſæ ſunt eneruatæ diſciplinæ, & è quibus ferè domeſtica in Religione diſciplina detrimentum capere ſoleat.quales ferè ſunt.

1. Inutilium multarum perſonarum admiſſio,qui vel ob valetudinis tenuitatem, vel ob iudicij debilitatem, vel ingenij duritiem, vel ad ſeditiones odiaque concitanda pronitatem, vel ob prauorum affectuum inſolentiam, vel peſſimorum habituum inue-

te-

Digitized by Google

teratam consuetudinem, vix subeundæ disciplinæ idonei sunt. à quorum omnium admissione remotissimum Superiorem esse conuenit.

2. Laxior Nouitiorum institutio, quos nulla postmodum arte ad disciplinæ rigorem adducas, & antè frangas quàm flectas. quare seriò illis nouitiatus tempore inuigilandum, ac seueriùs etiam nonnihil, minusque molliter ac blandè habendi. facilis est nouitiatu expleto seuerioris disciplinæ remissio: difficillima concessæ libertatis restrictio.

3. Pietatis ac orationis neglectus. è quo Religionis zelus extinguitur, ac in regularum ac cõstitutionum omnium neglectum itur. vis disciplinam florere, da operam vt orationi omnes sedulò incumbant. nemo illam neglexit, qui huic seriò incubuit: nemo illi incubuit, qui hanc neglexit. tantusque ferè quisque disciplinæ quantus orationis pietatisque obseruator fuit.

4. Frequentes domo excursiones, ac prolixiora cum sæcularibus colloquia, aut eorũdem cum meliorum horarum dispendio,

Digitized by Google

dio, frequentatæ visitationes. ferè enim aliquid licentiores consuetudinis domum referimus, imbibimusque mores disciplinæ contrarios. cumque desuescat animus rigoribus, assuescit commodis; & iam amat otia, labor displicet, grauis solitudo est, fabulis delectatur; & qui antè vnius Dei, nunc sæcularium ambit amatque familiaritatem. præscindenda hæc erunt si consultum religiosæ disciplinæ volumus.

5. Hospitum frequentia. qui ferè curiosiora ac liberiora colloquia, occupationum varietatem, & remissionis aliquid à regula secum trahunt. quorum ferè exempla, noxio laxamento, eunt in imitationem. neque tamen ideo hospitalitas negligenda; moderanda tamen & intra religiosæ disciplinæ circum continenda, vt dum caritati indulgemus, disciplinam non proiiciamus.

6. Superiorum in remissionem ac laxitatem pronitas. horum enim exemplum regula quædam inferioribus est, & cùm plerique naturæ quadam pronitate præeuntem sequantur; religiosiores etiam paullatim imitantur, ne aut seuerioris vitæ genere

re

Digitized by Google

re displiceant, aut improbare illorum mores videantur, aut indignationem incurrant. cui malo solius Superioris mutatione occurri posse videtur.

7. Superiorum in regularum transgressores conniuentia, quod siue vniuersim fiat, siue in paucis, tota pedetētim domestica disciplina corruit; neciam vltrà Religiosorum, sed sæcularium contubernium videas. quod malum vix corrigas quàm vnà Superioris mutatione.

8. Nimius seueriorum statutorum rigor. abit enim tandem seueritas hæc in animorum à capite suo dissensionem. cùm enim durioribus se premi inferiores sentiūt, excutiunt tandem iugum vniuersum rigoris impatientes, seueritate in indignationē versa, rigore in odium: è quibus tandem, effractis habenis, toto prono cursu, pudore exuto, in apertum omnis licentiæ campum decurrunt. moderatio disciplinæ magistra est, rigorque benignitate temperandus, si perpetuum volumus.

CAPVT XIX.

Neglectus valetudinis suorum.

Ne

Digitized by Google

NE aut ſuperfluis tepeſcat ſpiritus, abeatque in carnem & ſanguinem; aut parcimonia, & neceſſariarum rerum defectu ad alia ſe inferior conſilia conuertat, alieniſque à Religione vijs incedat, & neceſſaria paret. in quam neceſſitatem, ſi quando Superiorum aut neglectu, aut duritie, aut parcimonia ſe coniectum inferior videt; paulatim ad omnem licẽtiam dilabitur, friget obedientia, iacet vniuerſim paupertatis amor, naſcitur alienatio, & clancularia ac ſecreta ſuccedunt conſilia, & ad extemos mala hæc decurrunt, non ſine Superioris, corporiſque totius nota, totaque domeſtica collabaſcit diſciplina.

Vix enim credi poſſit, quantum neceſſariarum rerum carẽtia & defruſtratio, in ſubditorum animis languorem prouocet; vt deſipiant iam ſpiritualia omnia; & pro alacritate ac feruore, noxia ſuccedit tepiditas: frequentes inde querimoniæ, mutuæque inter ſe murmurationes, ac vniuerſim ab omnibus imperatis alienationes. Ea enim eſt fragilitas humanæ conditionis, vt ad neceſſariarum rerum carentiam flectamus animum,

Digitized by Google

mum, maximè quando hanc non ex euentu, aut temporum conditione, sed à Superioris duritia ac voluntate nasci videmus: non enim in tali Superiore patris affectum, sed durioris domini imperia inferior intuetur. Vnde fit, vt omnem etiam ipse filialem affectum & obseruantiam exuat; nec iam volens amica & patria, sed coactus despotica sequatur imperia, contentus quocunque modo illa peregisse. Cùm è contra vnâ necessariarum rerum prospicientiâ, tanquam falce, omnes murmurationum occasiones secentur, addaturque animus ad quæcunque imperata, etiam duriora, lubenti animo peragenda. Nam cùm inferior se suaque cordi esse videat Superiori, neque vllâ necessariarum rerum curâ pulsetur; totum se ad imperata exequenda conuertit, conaturque tam propensæ in se Superioris voluntati respondere: neq; quidquam iam illi durum aut asperum videtur, quod à tanta in se Superioris sollicitudine natum intuetur. quoque generosior quisque, maioríque ingenio est, hoc se magis etiam ad imperata exequenda profundit, cùm paria ac maiora

Digitized by Google

iora etiam Superioris munificentiæ reponere conetur, nolens vinci à Superiore in amica hac amorum lucta; vt antè vitam ponat, quàm tam benignæ in se patris sollicitudini & amori non respondeat.

Omnium tamen maximè in inferiorum ægritudinibus, à quacunque causa natis, Superiorum affectus se prodit; & quo quisque in suos animo sit, ægritudo, siue illa corporis, siue animi, ostendit. ac vix vlla in humanis potentior vis est, aliorum in se affectus ac voluntates prouocandi, quàm cùm infirmitate quacunq; detenti, propensos paternosque in se, ac prodigos etiam, aliorum (vt ita dicam) animos senserint. Hoc enim illud tempus est, quo necessitate ac indigentia crescente, maioribus auxiliis opus est. nam integra valetudine, virum sæpe in multis satis, quibus domestico se robore, etiam contra aduersantia & incurrentia tueantur: at vbi grauior aliquis ingruerit morbus, siue ille animum, siue corpus depascitur; ad aliena ferè subsidia respicimus, domesticis destituti. quæ vbi nacta fuerimus, incredibile est, quanto in illa affectu rapiamur: quo-

Digitized by Google

quoque morbi vis maior est, eo & ardentiùs ad remedia aspiramus, & tenaciori postmodum, gratioriq; memoria accepta beneficia recolimus. Quid? quòd sola paterni huius affectus recordatio ad ardua quæque obeunda ingentibus inferiores animis excitet.

Neque vni illi ægro animi, sed omnibus crescunt, pares nimirum Superioris affectus in paribus sibi malis promittentes. tantumque hæc res valet, vt hac vna beneuolentiæ, ac paterni in suorum ęgritudinibus affectus ostentatione, multa aliàs in Superiore non probanda leniantur, ac tanquam molliori hac spongia deleantur. neque enim difficulter inferiores mores Superioris sui, alioqui grauiores, perferunt, cùm illum senserint magno vereque paterno in suorum ægritudinibus animo rapi, nec quidquam in illis intentatum relinquere, quò suorum inualetudini consulat.

At vbi se neglectos viderint, nullamque, aut perexiguam ingruentibus malis Superiorum in se sollicitudinem ac beneuolentiam senserint, non tepescit tantùm, sed om-

Digitized by Google

omnis euaneſcit amor, tollitur ad ardua alacritas, ſuccedit maximarum quarumcunque rerum fuga & aſpernatio: & dum exiguam in morbis, Superiorum curam intuentur, ſolliciti perpetuò de valetudine, eam propè ſolam curant. ardua proinde quæque tanquam valetudini noxia ſubterfugiũt, nec ad ea ſe adduci patiuntur, vt veriti Superiorum in ſe immitiores, aut minùs benignos ac ſollicitos animos, ſi qua inualetudine in talium ſuſceptione opprimerentur. perpetuus enim eos morborum metus tenet, cùm Superioris minùs paternam ac ſollicitam curam ſenſerint. accedunt oblocutiones, detractiones.

Nec intra domeſticos parietes querimoniæ ſe tenent: mágnis paſſibus ad externos decurrunt, à quibus ſolatia poſcimus, domeſticis deſtituti. præbetur etiam occaſio tacitè quædam valetudini tuendæ commoda inſcijs Superioribus emendicandi & arripiendi; conamúrque hanc paupertatis violationem valetudinis prætextu excuſare; paulatímque animus ab inſtituti & vocationis ſuæ affectu auocatur, perpetuáque ſolli-

ci-

Digitized by Google

citudine & anxietate detentus, ad maxima quæque frigescit ac tepescit; succeditque tanquam nauseantis ad noxia stomachi horror quidam, & præclarissimorum quorumcunque munium fuga; vnde perpetuus languor mentem occupat, nec sperari iam quidquam magnum aut illustre potest.

Remedia.

NVllum potentius, quàm si se Superior patrem, non dominum; inferiores filios, non seruos cogitet: neque enim difficile erit patri, filiorum necessitatibus inuigilare. magis etiam si se matrem cogitet, quę ferè indulgentior, maximè in suorum ægritudinibus, esse consueuit, non laboribus, non sanguini parcens, valetudinémque suam pro filiorum salute & incolumitate prodigens.

Iuuabit etiam illa cogitatio, si se bonorum familiæ suæ dispensatorem, non dominũ cogitauerit, vt proinde illa in suos è voluntate diuinæ benignitatis dispertiat; singulósque in illa, tanquam summi parentis fa-

Digitized by Google

filios, hereditarium quoddam diuinæ adoptionis ius habere. Iam si qua munificentia benignitateque illa largitur Deus, eadem in suos profundat; perfacilè omnium necessitatibus occurret, explebitque quidquid meritò à Religioso opum contemptore sperari potest.

Proderit vehementer, si certò sibi persuaserit, ab hac paterna in suos cura, sollicitudine ac prospicientia reliqua ferè dependere; disciplinæ nimirum Religiosæ exactam obseruantiam, magnarum arduarumque rerum lubentem susceptionem, inferiorum in se amorem, promptos facilesque ad omnia animos, murmurationum extirpationem, & quidquid paci mutuæ, ac domesticæ quieti, & animorum coniunctioni aduersatur.

Exemplo magnorum in Religione virorum curam in se ægrientium suscipientium, si se Superior excitauerit, præmijsque cælo repositis; non facilè certissimas hasce obstringendi sibi suorum in perpetuũ animos occasiones elabi patietur: maximè si cogitauerit, vna hac paterni in suorum infirmitatibus

Digitized by Google

tibus affectus ostentatione, durissima etiam imperia mollescere, ipsasque adeò sectiones & vstiones à paterna sollicitudine profectas suaues videri, nec quidquam subdito asperum censeri, quod à patris affectu & manu proficisci videt. abiicitque iam sui valetudinisque curam inferior, cùm viderit illam Superiori, tanquam parenti seriò cõmendatam, omnesque cogitationes suas ad voluntatis Superioris expletionem conuertit, certus de propensa in se illius sollicitudine & affectu.

CAPVT XX.

Nimia in hospites parcimonia.

MODICAM plerique hanc rem arbitrabuntur, quidam etiam à virtute, & paupertatis amore natam. at nunquã & nusquam virtus caritati aduersatur. Et sanè leue iudicari non debet. quod si non tollit ac frangit; minuit tamen, & liuore suo reuenustat caritatem. Et vt in omnes, ita in hospites potissimùm, & peregrè venientes, liberales in primis maximos quosque viros,

Digitized by Google

& Religionum parentes reperies. Sciebant hac beneuolentiæ ostentatione mutuis caritatis pectoribus, tanquam submisso igne flammas immitti & foueri. sciebant quidquid foris in casto religioso amore aut temporum iniuriâ, aut obtrectantium improbitate elanguisset, sola religiosæ munificentiæ seria ostentatione, ac quadam effusione reparari. Quare & proniores eos semper in omnem liberalitatem fuisse videmus, vt nec domesticæ supellectili parcendum putarent. ac ingentibus etiam prodigiis confirmatam à Deo religiosam hanc munificentiam legimus.

Et solo illius exemplo, qui augusta plenaque dona sua mortalibus largitur manu, impelli meritò debemus in paria, quantum humana generositas æmulari diuinam potest, & insequi præeuntem Deum. Habemus hîc monentem Apostolum Hæbr. 13. *Caritas fraternitatis maneat in vobis: & hospitalitatem nolite obliuisci.* & alibi Ro. 12. *Necessitatib. sanctorũ communicantes, hospitalitatẽ sectantes.*

Et verò angusti parcimonia omnis animi est, ac de diuina prouidentia diffidentis.

niti-

Digitized by Google

nititur enim auarus omnis viribus induſtriæ, ſolertiæ, diligentiæ ſuæ: liberalior animus, Deo quoque generoſior cuique mens eſt, hoc etiam in liberalitatem promptior eſt. cùm contrà: Eccl. 10. *auaro nihil est ſceleſtius, nihil iniquius quàm amare pecuniam: hic enim & animam ſuam venalem habet.*

Naſcuntur verò ex parca tenuique hoſpitum exceptione obloquia varia, mœrores, ſuſpiciones, iudicia caritati inimica, offenſiones, faſtidia; paulatímque caritas omnis, quâ vnâ inuictę Religiones ſtabant, diſpergitur. & quod à maioribus inuentum traditúmque erat, in rugatæ, aut à temporum lapſu, abſentiáque æruginatæ quaſi caritatis augmentum nitorémque; hoc ſicca hac arentéque hoſpitum acceptione dedecoratur. Ita quæ in languentis caritatis medelam hoſpitalitas erat, in eiuſdem perniciem parcimoniâ ſuâ inſurgit.

Spargitur deinde hæc fama per regna, renacitatiſque narratæ terror omnium animos percutit; vt iam plerique fugiant has domos, & auerſentur Superiores: & ad illos deſtinętur, mille excuſationes prętexãt.

Digitized by Google

quod si aliud maiorum imperia cogant, difficiles tales experientur qui præsunt, laborum impatientes, otij sectatores, immorigeros. quid? quòd totę plurimum tales domus perpetuis murmurationibus tanquam fluctibus agantur. iacet prostrata caritas, pax exulat: nec quies iam vlla; sed continuæ animorum luctæ, aliaque non leuia mala domesticos tenent. Dictum à Sapiente Prou. 15. *Conturbat domum suam qui sectatur auaritiam.*

Neque interim nimia sequenda profusio est, & quæ plus habet sæcularis vanitatis, quàm Religiosæ modestiæ. media insistet via quisquis benè religioseque præesse volet, vt paupertatis, ita & caritatis memor; ne effusior in liberalitate, ne in parcimonia cõtractior. modestia eluceat Religiosa, absint sordes: nihil hîc reperiatur quod sæculum, & illius redoleat mores; deliciæ & apparatus, & quidquid de splendore promittere & profundere mundus solet, exulẽt à Religiosa domo. sed & nimia parcimonia, frigidior mẽsa, cõtractior manus, morosior deiectiorque vultus, frõs corrugatior, & quidquid ina-

Digitized by Google

inamœnitatem, minuſque gratam beneuolamq; mentem oſtentat, à Religioſa familia exigantur. vt & pergratos ſe Superioribus domeſticiſque ſentiant peregrè venientes, & non deſit quo propenſam Religioſam munificentiam ſuam commonſtret profundatque Superior, ac non tantum nihil deſit, ſed & aliquid ſuperſit aduentanti.

Mirum dictu, quantum benigna hæc Superiorum liberalitas ad animorum coniunctionem faciat. accenduntur his in mutuũ amorem animi, pelliturque frigus omne à quocunque capite natum; mutuiſque his amorum flammis mutuæ incaleſcunt mentes, & ad ardua parantur; vt ingens & acti laboris, & futuri leuamentum ſit hæc Superiorum in omnes munificentia. Inde mutua proſiliunt gaudia, congratulationes, commendationes, ſpontaneæ in omnem etiam ſupra ætatem ac vires laborum oblationes, ſuſceptiones. neque quidquam nunc arduum animo tot flammis tanquam fornacibus ſuccenſo.

Plena dehinc regna ſunt hac laude; & iuuat inter eos viuere quos munificos ex-

Digitized by Google

pertisumus; ac si quid aliunde, vt fit, mœroris contractum, benignitate, tanquam potenti spongia, detergitur, ac tanquam valido vento nocitura nubes depellitur. adeoque & non delectat sub munifica Superioris manu & quidquid in Religione graue & arduum, mollescit hoc temperamento. Dura videntur, acerba, amara, & ponderi moleque sua prementia, triſtia, ac mœroribus etiam plena, quæ refugiat animus & ad quorum memoriam perhorrescat? accedat liberalior Superioris vultus, & dextera; & omnis illa acerbitas doloque in decorem gaudiumque vertitur; vt inclamare iam iubeat, Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum! à tam exigua re tanta bona; vt à negata re tantula, tanta mala.

Remedia.

A Superiore pendent. qui si cogitauerit, domesticarum se, rerum non dominum, sed dispensatorem; non erit illi difficile ex ijs, quæ liberali manu profundit Deus, liberali etiam dexterâ in discipulos, adoptiuos-

Digitized by Google

uoſque Dei filios erogare.

Cogitet deinde ſecutura mala, quæ priuatim ad ſe, publicè ad omnes eunt. qualia ſunt, minùs carum ſubditis eſſe, malè apud exteros audire: parcum nimirum, ſordidum, miſerum, morоſum, difficilem, aliaque huius generis, quæ non in vna hærent domo, ſed perambulant regna, adhærentque æternùm homini, vt nec cum morte finiantur: viuitque munere defunctus inglorius apud omnes. Cùm è contra liberalior in ſuos exteroſque animus, ſiue munere iam depoſito, ſiue dum etiamnum illo fungitur, carus iuxtà externis domeſticíſque viuat, in omnium ore, laude, votis, beneuolentia, gratáque etiam iucundáque poſt mortem memoria. peccat? facilis in omnium mentibus commiſerationi miſta venia eſt. deliquit ille prior? gaudium potiùs quàm dolor delapſu eſt. vt fatuum planè ſit, ob tantillam rem, contractiorem ſcilicet in hoſpites manum animúmque, tantis ſe nominque apud omnes ſuum periculis exponere, malorúmque ſuprà receſſitorum quà publicè, quà priuatim cauſſam dare; nullo, aut per-

exi-

Digitized by Google

exiguo domui, cui præest, emolumento, spirituali damno maximo.

Cogitet deinde quid defunctus officio ex omni hac parcimonia, anxiaq; sollicitudine expectare debeat, præter multorum alienationes, nullius beneuolentiam, obloquia innumera, contemptum plurimorum: qui si amorem laudésque contemptui & odijs præferat; amorum causas munificētiâ sectetur, odiorum parcimoniâ tollat.

Proderit etiam si Superior secum illud statuat, ea in reliquos esse munificentia, qua reliquos in se esse vellet. & monemur ab Euangelio Luc. 6. *Date, & dabitur vobis: mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & superfluentem, dabũt in sinum vestrum. eadẽm quippe mẽsura, qua mẽsi fueritis, remetietur vobis.*

Exemplis denique seipsum excitet Superior magnorum in Religione virorum, quibus in summa animi magnitudine par liberalitas stetit, parque secuta est. pulcra hac in re D. Hieronymi sententia est ad Rustic. *Nõ leui vsitatoq; sermone hospites inuitemus: sed toto mentis ardore teneamus, quasi offerentes se cum lucro nostro atque compendio.* Semper lucrum

Digitized by Google

crum ex Religiosa hospitalitate exspectet Superior. Exempla in omni Religione maxima sunt, magnis diuinis sponsionibus firmata. & monet Apostolus Petrus: 1. Pet. 4. *Ante omnia mutuam in vobismetipsis caritatem continuam habentes, quia caritas operit multitudinem peccatorum: hospitales inuicē sine murmuratione*; imò cum gaudio. hinc est illud Sapientis Eccli. 35. *In omni dato hilarem fac vultum tuum.* & illud D. Pauli 2. Cor. 9. *Hilarem datorem diligit Deus.* præmittit remunerationis expectationem; quid nimirum sperare debeamus: *Qui parcè seminat, parce & mētet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* subdit. *Qui autem administrat semen seminanti: & panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ, vt in omnibus locupletati, abunderis.*

Adde, neminem propè inferiorum reperiri, qui non volens lubensque liberali subsit & obsecundetur; neminem, qui parco & sordido. in illo vel omnia laudant, vel improbanda excusant: in hoc, etiam laudanda damnant. hi fructus vtriusque, & tanquam

Digitized by Google

fontis sui scaturigines fluminaque in possessoris sui laudem vel vituperationem nata.

Quòd si neque aliorum exemplis, neque rationum pondere, non commodorum damnorumque varietate & multitudine, non Superiorum monitis, subditorumque aliorum querimoniis alios Superior mores induerit, consultius fuerit vnum à munere remouere, quàm tot tamq; grauibus malis domum onerare.

CAPVT XXI.

Inutilium personarum admissio, aut retentio.

QVàm grauia ex his damna Religionibus data sint, ignorare nemo potest; cùm aut parentum, amicorum, benefactorum, magnorúmque virorum rogatu, aut spe bonorum in Religionem minùs idonei admittuntur, aut in ea retinentur. Quid enim non meritò vereri debeamus ab hac inutilium turba, nisi totius Religionis teporem quendam ac frigus, ac demum interitum vniuersum? Nam cùm per hos consueta

Digitized by Google

ſueta Religioni munia rite & cum laude ac fructu obiri non poſſunt, fit vt aut vniuerſim negligantur, aut cum dedecore peragantur: aut ſanè plurimi idonei ſupra hanc inutilium turbam admittendi ſunt, quorũ opera tutò, ac cum fructu vti poſſimus: atque ita replentur Religiones perſonarum numero, vtilium partim, partim inutilium, quorum exemplis priores illi ad otioſam, & ad non dignam Religione vitam deſcendunt.

Sed nec quidquam ab hoc hominum genere expectandum, quàm vt, poſtquam *impleti*, dilatati & incraſſati fuerint, abeant in murmurationes otio amicas, in obloquia, in aliorum criminationes, in inſtituti neglectum; inde etiam in cõtemptum, in mandatarum rerũ refragatores; in cibũ, potum, ſomnum, carnẽ, & his ſimilia; & in magnum denique vniuerſę Religionis dedecus & infamiam latè ſpargendam; cùm externorũ quiſque ex hismetiatur reliquos. vt non tam proſit proborum non contemnendus numerus, quàm paucorum imprudẽs & ab inſtituto degenerans conuerſatio.

Digitized by Google

Accedit quòd hi ferè vniuersam domesticam pacem turbent, semper inquieti, nulla in re stabiles, otio diffluentes, ad vana & sæcularia propensi; & cùm nihil in eis sit quod Religiosum redoleat, tũ prima quæque munia venantur, digniſſima quæque deberi sibi arbitrãtur, reliquorum dicta factaq; criminantur; & ferè in optimos quosque & probatiſſimos hi insurgunt, ementitisque quaqua possunt calumniis onerant, detrahuntque primis quibusque. cùm enim videant, se virtute non posse cum his contendere, ad maledicta descẽdunt, clàm primùm, inde publicè; vt per magnorum depressiones, gradum sibi ad summa quæque sternant.

Iam illud ferè obseruatum, tales plerũque in eos insurgere, quorum noxia facilitate in Religionem admissi sunt. nam nisi omnia concedantur, insurgunt in benefactorem; inde in contemptum, & oblocutiones graues in primum illum suum nimis beneficum parentem: nec grande illud olim concessum beneficium agnoscunt, nisi quęcunq; voluntas suaserit extorserint; & cùm

se

Digitized by Google

ſe admiſſione aut retentione æquatos vident optimis, etiam virtutum præmio pariari volunt, virtutis omnis expertes.

Laborant hoc malo non infimi Superiorum, innata quadam lenitudine ac clementia, zelo etiam non rarò animarum: qui ſi conſiderarent, crudelem illam meritò clementiam cenſeri debere, quæ vt paucorum nõ proborum ſaluti conſulat, optimos quã plurimos animarum periculis exponit; longeque illos à clementia abeſſe, qui, vt noxio membro parcant, corpus vniuerſum morti obiiciunt; non tam facilè ad illa deſcenderent. Prudens verò ſecabit membrum, vt corpus tueatur; euellet nocitura, & ignibus damnabit, vt bono ſemini conſulat. Ille verus pater eſt, qui ſepoſito imprudenti paterno affectu, vt morigeris probiſque liberis proſpiciat, malę improbęq; indolis filium à domo fratrúmque conſuetudine ablegat. Idem in pecoribus vſu venire videmus: amouet ſcabie laborantes prouidus paſtor, ne vnius contagione grex reliquus pereat.

Et ſanè non tam clementia, quàm immanis ſæuitia eſt, admittere aut detinere Reli-

Digitized by Google

gioni noxium, aut minùs idoneum; cùm res hæc in vniuersi corporis vergat interitum, plúsque vnius sæpe improbitas nocumenti Religioni damníque dare consueuerit, quã plurimorum probitas emolumenti adferre. ita nocitura fæcundiùs serpunt, & nullo impellente fertilissimos agros occupant: proba, culturâ indigent; nec facilè radices agunt, aut se ad vicina extendunt, ni indefessus labor accesserit.

Remedia.

SEria in admittendis disquisitio, magis etiam seria post admissionem probatio.

Facilis è tirocinio dimissio, in iis, qui exigua promittunt, quorum talenta tenuia spem non magnam faciunt magnarum rerum.

Prudens delectus Magistri Nouitiorum, qui iudicio, prudẽtia, & in ingeniorum disquisitione solertia valeat: qui instituti non tantùm amans, sed & serius & accuratus vocationis cognitor, quò concreditos sibi ad eam regulam formet, maximéque ad mortificationis studium: aut enim sequẽtur do-

Digitized by Google

ctorem, & naturæ prauitatem, sui victores, superabunt; aut lassi & victi, aliud vitæ genus deligent; aut sat magnam occasionem dabunt ad sæculum ablegandi.

Iuuerit etiam plurimùm, vt neminem quis Superiori à quo admissio pendet commendet, nisi antè probè cognitum, & cuius ingenium variè probauerit, vtque non tam numero, quàm aptitudine delectetur.

Nemo nuda amicorum, benefactorum, magnorumq; virorum commẽdatione admittendus. in quo recti tenacissimum, constantemque per omnia decet esse Superiorem: ne aut beneuolentia, aut consanguinitate, aut potentium auctoritate à vero deflectat. cogitet plus se Religioni, cui præest, quàm sanguini & potentiæ debere. prima proinde semper cura indolis & ingenij sit, postrema omnino opum, nobilitatis, sanguinis, amicorum: quæ ornamenta si nuda sint, omni ingenio viduata, reliquisque animorum præsidijs destituta, nunquam Religioni asscribendos censeo.

Non facilè denique admittendi, de quibus merita dubitatio moueri posset; imò nõ ad-

Digitized by Google

admittendi quamdiu iustæ dubitationis metus subest.

Plures in omni admissione In consiliũm vocandi, quo certius aliquid statuatur, nẽ vnius potiùs Superioris affectu, quàm plurium sententia res peragatur.

CAPVT XXII.

Negligens institutio nouitiorum.

AQua ferè vniuersa Religionis habitudo bona nascitur. cùm plurimùm reliqua omnis ætas ab illorum recta prauáque institutione pendeat. ab hac enim in omnem profutura nocituráque ætatem documenta petuntur: fundamenta namque hîc mittuntur totius ædificij spiritalis. quibus perperam iactis, quid nisi reliquorum ruina timenda est?

Et sanè prudenti hîc opus architecto: qui magna solertia soli naturam serius diligénsq; scrutator examinet. neque enim omnis fert omnia tellus, nec paria fundamenta omne solum desiderat. malignum hîc & superstruendis cessurum molibus; altè pro-

Digitized by Google

proinde fodiendum, donec ad ignaram ligonum virginem adhuc terram deueneris. qua si destituaris, densè impactis sudibus superanda firmandáque malignitas est. Nihil est quod non ars labórque vincāt: etiam in medijs fluctibus & mari æternaturæ exurgunt moles; tantum industria, labor, prudentia possunt. alibi fodientium votis terra respondet, nullis cessura ponderibus: aliquando nec fossionibus opus, arbitreris è viua rupe aut solido saxo compactam.

Imitabitur deinde noster institutor agrorum cultores. non omne statim semen credet omnibus. soli conditionem solers inuestigator perscrutabitur. Hîc nescio qua naturæ benignitate ne prosciſſa quidè gleba, sparsa leui manu semina in diuitem messem surgunt; ibi vomere & ligonibus altè proscindenda, sudoribúsque madidanda est; alibi satis est supremam superficiem leui manu retexisse; non vno loco nullus labor, industria nulla satis est, stercorandus ager, calce etiam ac interspárso cinere iuuandus: vt horum æstu frigus ac innatum quoddam gelu cōlliquescat. etiam ignibus vincenda

sterili-

Digitized by Google

sterilitas, & non nisi flammis fœcunditas speranda est adeò non solum ferrum fertilitati sufficit.

Hîc aliquando silua stetit? secanda est. nec satis est. maior in radicibus lucta est; euellendæ sunt. nec hoc satis est, altè plerumque iacent, & sparsa hinc inde semina nouam siluam minantur. ignes aduouendi sunt. Ibi vepribus, vitiis plena sunt omnia, & nescio qua naturæ prauitate, etiam bona semina in lolium degenerant. assidua hîc & indefessa opus solertia & cura est, sæpe vertendum solum, ac in ipso quasi semine elidenda prauitas. sanè vt primum se ostenderit, eruenda est. & multorum tamen sæpe hic annorum labor est. nusquam proinde indormiendum, donec labori malignitas cesserit, & neglecta primorum annorum semina, infatigata colentis industria excusserit. Alibi perpetua quasi rudera & saxa, vt proseminata studio credas, fœcunditati impedimenta inijciunt. eruenda sunt. nec desistendum donec frequentibus altè fossionibus perpurgaueris solùm, vt, si non omnis tollatur, rariorem lapis sit, à cuius densitate nul-

Digitized by Google

nulla sementis boni suffocatio metuenda sit. Nec rarò nimio humore peccat solum. frustra messem speres natante semine. hinc inde proindè per varios aquæ ductus aliò flectenda aqua est. Nimia etiam interdum ariditate peccat ager: vt frustra conatum adhibeas in tam arenti solo, æstibúsque quibusdam suis siue à natura congenitis, siue aduentitijs, enecdullato frequentes proinde hîc deniæque fœcúndęque cælo nubes pluuiæque votiuis calidísque precibus exorandæ, aut prudenti solertia è vicinia, aut remotiore etiam loco torrentes deducendi, flumina deducenda. parca in leuiori ac arenoso solo adhibenda: validis fluctuationibus ac aquæ ductibus leuitas corrigenda erit.

Eadem in ingeniorum cultura euenire consueuerunt. Hîc saxosa inuenies ingenia, dura, & quæ culturam aspernentur, quæ fortiter resistant monitis, quæ non facilè cedant, quæ validè adhæreſcant semel conceptis, quæ vsu & iudicij sui consuetudine callum obduxerunt ad aliena consilia: bene sperare possumus quamdiu non coa-

Digitized by Google

coaluerunt hæc ſaxa,& abierunt in rupem. quamquam & hanc non tam ferro quàm mollioribus euincas. ita ingẽtia ſaxa ab elementorũ molliſſimo exeduntur. frequentibus proinde paterniſque monitis vincenda ac emollienda hæc pectora ſunt, maximeque amoris diuini incentiuis, quibus ferè ſaxeæ hæ mentes tanquam ignibus cera, ſole niues colliqueſcunt.

Ibi arentes animas & tanquam omni meliore ſucco emedullatas reperias, à ſæculi æſtu ambuſtas; quas virtutũ ſucco, frequentiſque cæleſti rore orationibus euocato prudens rigator humectabit, potiſſimè verò frequentibus per diem iaculatoriis orationibus. qui vbi virtutum paulatim delicias deguſtauerint, proni auidiſque in eas ferentur? omniſque noxius calor à cæleſti pluuia orationum robore elicita extinctus, marceſcentem animam fœcundo ſucco beabit.

Alibi ſilueſcentem vitiorum varietate ac multitudine mentem nactus, non tota ſtatim nemora exſcindes, ſed carptim ſingula excaudicabis. quòd ſi molli manu vincere ſoli

Digitized by Google

in improbitatem non possis, ad ferrum & ignes descendes: ita tamen vt ferrum & ignes vltro deposcat qui patitur; gaudeatque non ignibus & ferro, sed sperata ex his valetudine & fœcunditate successura.

Quòd si torrentibus fluminibusq; innatauerit alius, totumque apertis faucibus elementum biberit, aut sæculi absorptus fluctibus ægrè lassum caput extulerit; auxiliatrem supponet dexteram, vndisque ereptum pericula docebit, terrebit, vt, dum discrimina ipse sua senserit, exhorrescat fatuos suos conatus, improuidos ausus, stultos prolapsus, morte mortemque secuturis æternitatibus in metum & fugam, & meliorum cogitationem propositis.

Si quem temerario ausu per rupium montiumque vertices decurrentem, perque saxorum decliuia audaci conatu reptantem consecutus fuerit; ingentia ostendet præcipitia, prolabentium numerum, primorumque quorumcumque sanguine nobilitata saxa, infames mortibus rupes, vt mirari primò discat imprudentes speratæ per abrupta hæc gloriæ ausus, tot exemplis ne qui d-

quam

Digitized by Google

quam antè edoctus.

Primò proinde instructor naturæ cuiusque, ingeniorum iudiciorúmque conditionem perscrutabitur, dispiciétq; singula peritorum medicorum more. cognouisse, propè vicisse est. vt longè maxima difficultas in morborum ac constitutionis cognitione sit, medicamenta ad manum sunt, plurimus ferè error in ignoratione mali est. accedat cognitio, & spes summa elucet valetudinis bonæ. ita etiam præuisa damna fugam concedunt, inopinata ignaros obruunt. vt autem ingens ingeniorum morborúmque animi discrimen est, ita & medicamentorum esse debet. Hieronymo monente Lib. 1. adu. Pelag. *Ex corporalibus*, cõsideranda *spiritualia* sunt. *alius velox est pedibus, sed non fortis manu ille tardus incessu, sed stabilis in prœlio est. his pulcram habet faciem, sed raucæ vocis est: alius terram sed dulci modulamine canit. illum ingeniosum, sed obliuiosum: hunc memorem, sed tardi videmus ingenij.* addit Gregorius Hom. 10. in Ezechielem, *Hoc omnipotens Deus agit in cordibus hominum, quod facit in regionibus terrarum. Poterat namque vnicuilibet regioni fructus omnes tribue-*

Digitized by Google

sed si vnaqualibet alterius regionis fructibus non ingeret, communionem cum altera non habuis-

ideo dicere, maius longè ingeniorum qu terrarum ac corporum discrimen esse, vt maiore, in his industria ac prudentia opus sit, quo & sperati fructus & pericula maiora sunt.

Discat proinde morum magister ingenium cuiusque. qua in re varia dexteritate opus erit. quædam ab ipso nouitio imaletulinem suáque omnia tanquam medico prodente intelliget, quædam à socijs cognoscet, quædam è recreationibus hauriet, alia longa obseruatione ac experientia discet, versando sibi commissum in omnem partem, laudibus, obiurgationibus, pœnitentijs, præmijs: variarúmque propensionum adiungat socios. hîc restringat, ibi quædam concedat, aliàs arctè reprimat, nonnunquam remittat habenas. committat etiam interdum aliquid prudentiæ ipsis, omnia interdum neget, ac, cùm propensioni aliquando illius laxauerit habenas, tũ contraria omnia propẽsioni imponat. seuerè iã interdũ habeat, molliùs deinde, iungatque

que aliqua sibi familiaritate, iterumque ab ea secludat. sæpe paternè agat, ac meo hinc inde personam induat, plerumq; silo uioris, rigidioris interdum, vt in omnem omnino partem tironem suum vertat. assuefacat duris, vt horum consuetudine delectetur asperioribus, & gaudeat difficilioribus cùm familiaria illa sibi fecerit; induatque veteranos animos, quibus à vulneribus & sanguine generosum incalescit pectus. detque operam, vt non tam ipse asperiora imponat, quàm à nouitio vltro deposcantur. quæ mitiget tamen, & ab vltroneis hisce aliquid demat, & leniora ac minora petitis concedat.

Vbi verò ingeniorum hunc agrum variè exercitum cognouerit; impedimenta antè omnia remoueat, saxa temere acimprouidè iactata, aut nata, interspersa zizania, prauarum eō̃suetudinum noxias radices, & quidquid aut ingenitum aut praui seminis superiectum est.

Purgata dein variè à noxiis area, solidas virtutes seminet, quas assidua cura à nocituris tueatur. Orationis ante omnia studium

Digitized by Google

dium primas partes occupet. assuescat illi nouitius, maximè meditationi, in qua ea primò pertractet quæ timorem incutiunt, validoque iniecto metu à peccatis terrent, morte, æternaturisque pœnis, iudiciique horrore proposito; transeat deinde ad virtutum prouocatiua, Christi Sanctorumque vitam, documenta, consilia; ad amorum denique incentiua, cælorum præmia, gaudia, nunquam perituram gloriam. Frequentibus deinde per diem aspirationibus mentem pascat, & contra aduersa firmet; binis etiam per diem serijs conscientiæ discussionibus, in quibus nihil intactum relinquat, nihil inemendatum.

Plus tamen mortificationi studeat, plusque operæ & temporis huic concedat, vt à qua maius momentum pendeat. certiùs enim hac firmantur animi, solidiùs roborantur, & contra aduersa parantur: cùm intima animi cultura ab hac pendeat, cuius auxilio rudera & prauorum habituum radices & fibræ, & naturæ malignitas, & superiacta vitia euelluntur, ac tanquam scopis euerruntur, totaque interior area serendis hau-

Digitized by Google

riendiſque virtutibus aptatur; vt nullo iam labore optima quæque ſemina tutò certoq; mittantur, centuplaque fœneratione dominum ſuum beent. Et ſanè ſine hac fruſtra quocunque conatu virtutem inſeueris. quę cunque enim nobiliſſima licet ſemina ſcruposo ruderoſoq; ſolo, zizaniiſque improborumq; affectuum pleno immiſeris; nequid quam ſperes, neque enim aut radices agent aut exurgent in culmum, aut emergent in fruticem; ſed in ſemine ſuo occident, aut in herba ſuffocabuntur: vt nec ſola cæleſtis pluuia, nec pinguior ſtercoratio, nec vigilãs cura ſufficiat. Eruderanda primo prudenti validaque manu noxia ſunt, & proſcindenda quaqua parte, duriſque ligonibus, ſecturibus, vomere ſecanda terra, ac quaſi refrigenda eſt, melioriſque ſemini paranda. quibus peractis ad diuinorum amorum ignis accedat inſtructor; nec magno molimine ingentes excreſcent flammas. purus enim hic iam ignis eſt; pulſo prauorum habituum æſtu, ſolutaque glacie acgelu, tepore languoreq; fugato. Hinc eſt illud Magni Gregorij Paſtor. p. 3. c. 55. *Ieremia miſſo ad prædic-*

tionem

Digitized by Google

tionem dicitur, Ecce constitui te hodie super gentes & super regna, vt euellas & destruas, & dispердas & dissipes, & ædifices & plantes. quia nisi priùs peruersa destrueret, ædificare vtiliter recta non posset: quia nisi ab auditorum cordibus spinas vani amoris euelleret, nimirum frustra in eis sancta prædicationis verba plantaret.

Moribus etiam sub initium formandis inuigilet instructor. exuant prauos, sæculares, vanos; induant modestos, maturos, religiosos. oculi in primis domandi, ac tanquam iniecto freno cohibendi, ne in omnem partẽ excurrant, ne nocitura hauriant, statione sua contineantur, ac quodam quasi aggere claudantur, verecunda quadã dejectione, rara eleuatione, aut curiosa circũspectione: manus contineantur, non indecorè protrudantur, nec in frequenti motu versentur: non iactentur brachia, aut longiùs protrudantur: incessus sit constans & moderatus, qui nec lentitate ignauiam designet, nec citatiore progressu incompositã mentem testetur, nec in variam partem liratus fastũ denotet: totaque corporis cõpositio erecta, capite modicè subsidente:

Digitized by Google

ſterilitas, & non niſi flammis fœcunditas ſperanda eſt, adeò non ſolum ferrum fertilitati ſufficit.

Hîc aliquando ſilua ſterit? ſecanda eſt. nec ſatis eſt. maior in radicibus lucta eſt; euellendæ ſunt. nec hoc ſatis eſt, altè plerumque iacent, & ſparſa hinc inde ſemina nouam ſiluam minantur. ignes admouendi ſunt. Ibi vepribus, vrticis plena ſunt omnia, & nescio qua naturæ prauitate, etiam bona ſemina in lolium degenerant. aſſidua hîc & indefeſſa opus ſolertia & cura eſt, ſæpe verrendum ſolum, ac in ipſo quaſi ſemine c denda prauitas. ſanè vt primum ſe oſten rit, eruenda eſt. & multorum tamen ſæpè annorum labor eſt. nuſquam proinde dormiendum, donec labori malignitas ſerit, & neglecta primorum annorum ſe na, infatigata colentis induſtria excuſſ Alibi perpetua quaſi rudera & ſaxa, vt ſeminata ſtudio credas, fœcumditati i dimenta inijciunt. eruenda ſunt. nec ſtendum donec frequentibus altè foſ bus perpurgaueris ſolùm, vt, ſi non o tollatur, rarior iam lapis ſit, à cuius den

nulla seminis boni suffocatio metuenda sit. Nec rarò nimio humore peccat solum. frustra messem speres natante semine. hinc inde proindè per varios aquæ ductus aliò flectenda aqua est. Nimia etiam interdum ariditate peccat ager: vt frustra conatum adhibeas in tam arenti solo, astibúsque quibusdam suis siue à natura congenitis, siue aduentitijs, enecdullato frequentes proinde hîc dentæque hæcúndeque cælo nubes pluuiæque votiuis calidísque precibus exorandæ, aut prudenti solertia, è vicinia, aut remotiore etiam loco torrentes arcendi, flumina deducenda. palustri leuiori ac arenoso solo adhibenda: validis stercorationibus ac aquæ ductibus leuitas corrigenda erit.

Eadem in ingeniorum cultura euenire animaduerterunt. Hîc saxosa inuenies ingenia dura, & quæ culturam aspernentur, quæ fortiter resistant monitis, quæ non facilè cedant, quæ validè adhæreſcant semel conceptis, quæ vsu & iudicij sui consuetudine callum obduxerunt ad aliena concipienda. Hîc bene sperare possumus quamdiu non coa-

Digitized by Google

coaluerunt hæc ſaxa,& abierunt in rupem. quamquam & hanc non tam ferro quàm mollioribus euincas. ita ingẽtia ſaxa ab elementorũ molliſſimo exeduntur. frequentibus proinde paterniſque monitis vincenda ac emollienda hæc pectora ſunt, maximeque amoris diuini incentiuis, quibus ferè ſaxeæ hæ mentes tanquam ignibus cera, ſole niues colliqueſcunt.

Ibi arentes animas & tanquam omni meliore ſucco emedullatas reperias, à ſæculi æſtu ambuſtas; quas virtutũ ſucco, frequentique cæleſti rore orationibus euocato prudens rigator humectabit, potiſſimè verò frequentibus per diem iaculatoriis orationibus. qui vbi virtutum paulatim delicias deguſtauerint, proni auidique in eas ferentur? omniſque noxius calor à cæleſti pluuia orationum robore elicita extinctus, marceſcentem animam fœcundo ſucco beabit.

Alibi ſilueſcentem vitiorum varietate ac multitudine mentem nactus, non tota ſtatim nemora exſcindes, ſed carptim ſingula excaudicabis. quòd ſi molli manu vincere

ſoli

Digitized by Google

si improbitatem non possis, ad ferrum & ignes descendes: ita tamen vt ferrum & ignes vltro deposcat qui patitur; gaudeatque non ignibus & ferro, sed sperata ex his valetudine & fœcunditate successura.

Quòd si torrentibus fluminibusq; innatauerit alius, totumque apertis faucibus elementum biberit, aut sæculi absorptus fluctibus ægrè lassum caput extulerit; auxiliarem supponet dexteram, vndisque ereptum pericula docebit, terrebit, vt, dum discrimina ipse sua senserit, exhorrescat fatuos suos conatus, improuidos ausus, stultos prolapsus, morte mortemque secuturis æternitatibus in metum & fugam, & meliorum cogitationem propositis.

Si quem temerario ausu per rupium mõtiumque vertices decurrentem, perque saxorum decliuia audaci conatu reptantem consecutus fuerit; ingentia ostendet præcipitia, prolabentium numerum, primorumque quorumcumque sanguine nobilitata saxa, infames mortibus rupes, vt mirari primò discat imprudentes speratæ per abrupta hæc gloriæ ausus, tot exemplis ne qui d-

quam

Digitized by Google

quam antè edoctus.

Primò proinde instructor naturæ cuiusque, ingeniorum iudiciorúmque conditionem perscrutabitur, dispiciétq; singula peritorum medicorum more. cognouisse, propè viciſſe est. vt longè maxima difficultas in morborum ac constitutionis cognitione sit, medicamenta ad manum sunt, plurimus ferè error in ignoratione mali est. accedat cognitio, & spes summa elucet valetudinis bonæ. ita etiam præuisa damna fugam concedunt, inopinata ignaros obruunt. vt autem ingens ingeniorum morborúmque animi discrimen est, ita & medicamentorum esse debet. Hieronymo monente Lib. 1. adv. Pelag. *Ex corporalibus*, cõsiderandа *spiritualia* sunt. *alius velox est pedibus, sed non fortis manu. ille tardus incessu, sed stabilis in prælio est. hic pulcram habet faciem, sed raucæ vocis est. alius tetram, sed dulci modulamine canit. illum ingeniosum, sed obliuiosum: hunc memorem, sed tardi videmus ingenij.* addit Gregorius Hom. 10. in Ezechielem, *Hoc omnipotens Deus agit in cordibus hominum, quod facit in regionibus terrarum. Potentissimque vnicuilibet regioni fructus omnes tribue-*

re

sed si vnaquelibet alterius regionis fructibus non
uigeret, communionem cum altera non habuis-
set. Adeo dicere, maius longè ingeniorum
quàm terrarum ac corporum discrimen es-
se, vt maiore, in his industria ac prudentia
opus sit, quo & sperati fructus & pericula
maiora sunt.

Discat proinde morum magister ingeni-
um cuiusque. qua in re varia dexteritate o-
pus erit. quædam ab ipso nouitio inualetu-
dinem suáque omnia tanquam medico
prodente intelliget, quædam à socijs cog-
noscet, quædam è recreationibus hauriet,
alia longa obseruatione ac experientia dis-
cet, versando sibi commissum in omnem
partem, laudibus, obiurgationibus, pœni-
tentijs, præmijs: variarúmque propensio-
num adiungat socios. hîc restringat, ibi
quædam concedat, aliàs arctè reprimat,
nonnunquam remittat habenas. commit-
at etiam interdum aliquid prudentiæ ipsi-
s, omnia interdum neget, ac, cùm propen-
oni aliquando illius laxauerit habenas, tũ
ōtraria omnia propẽsioni imponat. seuerè
iã interdũ habeat, molliùs deinde, iungat-
que

que aliqua sibi familiaritate, iterumque ab ea secludat. sæpe paternè agat, ac meta hinc inde personam induat, plerumq; se uioris, rigidioris interdum, vt in omnem omnino partem tironem suum vertat. assuefacat duris, vt horum consuetudine delectetur asperioribus, & gaudeat difficilioribus cùm familiaria illa sibi fecerit; induatque veteranos animos, quibus à vulneribus & sanguine generosum incalescit pectus. detque operam, vt non tam ipse asperiora imponat, quàm à nouitio vltro deposcantur. quæ mitiget tamen, & ab vltroneis hisce aliquid demat, & leniora ac minora petitis concedat.

Vbi verò ingeniorum hunc agrum variè exercitum cognouerit; impedimenta antè omnia remoueat, saxa temere acimprouidè iactata, aut nata, interspersa zizania, praua-rum eõsuetudinum noxias radices, & quidquid aut ingenitum aut praui seminis superiectum est.

Purgata dein variè à noxiis area, solidas virtutes seminet, quas assidua cura à nocituris tueatur. Orationis ante omnia studium

Digitized by Google

dium primas partes occupet. assueſcat illi nouitius, maximè meditationi, in qua ea primò pertractet quæ timorem incutiunt, validoque iniecto metu à peccatis terrent, morte, æternaturisque pœnis, iudiciique horrore propoſito; transeat deinde ad virtutum prouocatiua, Christi Sanctorumque vitam, documenta, consilia; ad amorum denique incentiua, cælorum præmia, gaudia, nunquam perituram gloriam. Frequentibus deinde per diem aspirationibus mentem pascat, & contra aduersa firmet; binis etiam per diem serijs conscientiæ discussionibus, in quibus nihil intactum relinquat, nihil inemendatum.

Plus tamen mortificationi studeat, plusque operæ & temporis huic concedat, vt à qua maius momentum pendeat. certiùs enim hac firmantur animi, solidiùs roborantur, & contra aduersa parantur: cùm intima animi cultura ab hac pendeat, cuius auxilio rudera & prauorum habituum radices & fibræ, & naturæ malignitas, & superiacta zizania euelluntur, ac tanquam scopis euerruntur, totaque interior area serendis hau-

Digitized by Google

riendiſque virtutibus aptatur; vt nullo iam labore optima quæque ſemina tutò certoq; mittantur, centuplaque fœneratione dominum ſuum beent. Et ſanè ſine hac fruſtra quocunque conatu virtutem inſeueris. quæcunque enim nobiliſſima licet ſemina ſcruposo ruderoſoq; ſolo, zizaniiſque improborumq; affectuum pleno immiſeris; nequidquam ſperes, neque enim aut radices agent, aut exurgent in culmum, aut emergent in fruticem; ſed in ſemine ſuo occident, aut in herba ſuffocabuntur: vt nec ſola cæleſtis pluuia, nec pinguior ſtercoratio, nec vigilãs cura ſufficiat. Eruderanda primo prudenti validaque manu noxia ſunt, & proſcindenda quaqua parte, duriſque ligonibus, ſecuribus, vomere ſecanda terra, ac quaſi refringenda eſt, meliorique ſemini paranda. quibus peractis ad diuinorum amorum ignes accedat inſtructor, nec magno molimine in ingentes excreſcent flammas. purus enim hic iam ignis eſt, pulſo prauorum habituum æſtu, ſolutaque glacie acgelu, tepore languoreq; fugato. Hinc eſt illud Magni Gregorij Paſtor. p. 3. c. 35. *Ieremia miſſo ad prædicationem*

Digitized by Google

rionem dicitur, Ecce constitui te hodie super gentes & super regna, vt euellas & destruas, & dispergas & dissipes, & ædifices & plantes. quia nisi priùs peruersa destrueret, ædificare vtiliter recta non posset: quia nisi ab auditorum cordibus spinas vani amoris euelleret, nimirum frustra in eis sanctæ prædicationis verba plantaret.

Moribus etiam sub initium formandis inuigilet instructor. exuant prauos, sæculares, vanos; induant modestos, maturos, religiosos. oculi in primis domandi, ac tanquam iniecto freno cohibendi, ne in omnem partẽ excurrant, ne nocitura hauriant, statione sua contineantur, ac quodam quasi aggere claudantur, verecunda quadã deiectione, rara eleuatione, aut curiosa circũspectione: manus contineantur, non indecorè protrudantur, nec in frequenti motu versentur: non iactentur brachia, aut longiùs protrudantur: incessus sit constans & moderatus, qui nec lentitate ignauiam designet, nec citatiore progressu incompositã mentem testetur, nec in variam partem libratus fastũ denotet: totaque corporis cõpositio erecta, capite modicè subsidente:

Digitized by Google

nihil denique, quod sæculum sapiat, quod aulæ mores, quod iactantiam & fastum, quodúe nimiam aut amœnitatem, aut trucem seueritatem vultu præferat. ad verecundam honestatem, & in comitate ac benignitate maturitatem omnia componantur, omni leuitate, vanitate, effusaque lętitia seculum redolente eliminata.

In verbis seria maturitas, præcogitata dictio, ad moderatam tarditatem quàm ad celeritatem pronior; vt nihil pœnitendum elabatur, nec lingua mentem, mens linguam præueniat, exulet profusior risus, verbaque risum prouocantia, dicteria, sarcasmi, acerbior prolocutio, vanarum rerum narrationes, & quidquid sæculum suum loquitur.

Assuescant pijs colloquijs, omnemque sermocinationem diuinis condire rebus. lætra tristibus, tristia lætis miscere, mœrentes solari, prodigè effusos moderari morte proposita, dubio euentu, incerta futurorum consecutione. honores opesq; sæculi huius cum alterius vitæ, principum magnorumque studia beneuolentiamq; cum Dei Sanctorumque cęlo asscriptorum, peritura cum æter-

Digitized by Google

æternis, momentanea cum perennaturis, terrena cum cæleſtibus componere. Extollitur aliquis proſperis? opponat aduerſa. deprimitur aduerſis? erigat ſpe meliorum. paupertate opprimitur? cælorum oſtentet opes. proſcinditur calumnijs? melius eſſe doceat innocentem quàm nocentem pati. habeatque ad manum vtriuſque fortunæ exempla, quibus aut erigat aut deprimat, & intra modeſtiæ terminos hoſpitem ſuum contineat.

Remedia.

A Vigili Superioris cura petenda ſunt. qui ſi certò ſibi ſeriæ inſtitutionis nouitiorum momenta propoſuerit, ſibique perſuaſerit ab hac vna totius Religionis ſpē omnium maximam, vitamque ac interitum pendere; pulſa ignauia ad ſedulam ſe inſtitutionem accinget.

Quòd ſi pergat in ſocordia, moleſtiarum ac laborum pertæſus, alteri muneri admouendus erit, in quo minore Religionis detrimento verſetur.

Inuigilandum deinde vt qui præeſt, non

Digitized by Google

nuda pietate ac religionis zelo, sed prudentia in primis instructus sit : cùm plus sæpe momenti à prudenti quàm à sola pia directione pendeat. Prudens sanè director, qui singulorum naturam altitudine quadam mentis, feriaque solertique indagatione penitus introspexerit ; non facilè à recto bonoque aberrabit, aut commissos sibi in errorem ducet, aut ad præcipitia adiget, aut ad extrema & pœnitenda impellet. scit consilia, monita, remedia naturæ singulorum accommodare, molliaque asperis pro cuiusq; ingenio temperare. at pius prudentia destitutus, qui feruore quodam animi eadem omnes via ducit, eodemque omnium morbis medicamento medetur; & peccabit grauiter, & pro medicamentis non raro venena porriget, in multorum interitum abitura. quæ enim vni in vitam, alteri in mortem sunt, & è non malis pro varia valetudinis conditione toxica bibuntur. neque vllus error grauior est quàm in spirituali institutione directioneque iisdem omnes in omni re disciplinis instituere, ijsdem mederi modis cùm pugnantes naturæ morbique pugnan

Digitized by Google

tia remedia depoſcant. Euenit enim in ingeniorum tractatione quod in corporum curationibus; in quibus prima præſcribendorum cogitatio à conſtitutionum varietate petenda eſt. in qua qui peccat, mille ſe erroribus inuoluit, & pro profuturis interimentia propinabit. Pius ſit inſtructor, orationis antè ſtudio excultus, magis etiam mortificationis; vt dux ipſe ſuis ad omnem virtutem ſit, pluſque exemplo quàm verbo inſtruat; habeant in eo, ac in omni actione verboque ipſius nouitij quod tutò imitentur, à prudentia verò ſiue illa naturali, ſiue cęlo conceſſa quàm inſtructiſſimus ſit. adeò vt ſi votis hîc agendum ſit; minus in inſtitutione à ſolida magnáque prudentia cum moderata pietate, quàm à magna pietate prudentia deſtituta periculi videatur.

Digitized by Google

LIBER SECVNDVS.

INFERIORVM MORBI ET CVRATIONES.

CAPVT I.

Auersio à Superioribus.

EX quacunque causa nata, difficultatibus & periculis plena est: neq; enim in sola Superioris persona stat hæc auersio, sed abit ad omnia ab ipso imperata; vt etiamsi hæc saniſſima sint, instituto conformia, animarum saluti propria, bona etiam, adeoq; amore illius cui imperantur profecta, omnia tamẽ ex alijs initijs prolata arbitretur. Hinc in parendo ingens diffi-

Digitized by Google

ficultas ſequitur, cùm omnia imperantis ſuſpecta ſunt, totáque interioris hominis pax turbatur & euertitur. nam ſiue Superior taceat, creſcit cum auerſione inquietudo; ſiue loquatur, & ſalutaria præſcribat, pro toxico illis ſalutis monita ſunt. vt ex omnibus non modò imperatis, ſed ne ex dictis factíſque Superiorum quidquam placeat, diſpliceant omnia. ſint qualia à religioſiſſimo & prudentiſſimo ſperari ac deſiderari poſſint; fatua illi erunt, & periculis plena: ſint amiciſſima mente, munificentiſſimâque dexterâ erogata; ab hoſtili pectore, & auara manu venient. Prudens Superior conſilium dedit, prouidè imperauit? fatuus, aut politicus eſt. Beneuolè excepit? aulicos mores induit. Largiſſimè omnia ſpopõdit? inſidias ſtruxit, & aliud verbis, aliud animo fouit? Planè loquitur? latent doli. Párcus in verbis eſt? fraudes, & inimicã mentẽ tegit. Suadet profutura? commodis ſuis ſtudet. Nihil deniq; tam ſanctum certúmque, quod non profanum, periculíſque plenum illi ſit.

Neque manet hæc auerſio in vno, prodit ſe foras, ac vbicunque deprehenderit ali-

Digitized by Google

quem ex quacunque causa turbationem, aut Superiori offensum, illi se morbúmq; suum aperit, qui hoc malo tenetur, mutuáque hac confidentia mala crescunt; vt inde societate iam roborata, in apertas prorumpant murmurationes, oblocutiones, detractiones, ac quidquid ferè in Religione malorum excogitari potest.

Quid? quod etiam ad externos serpat hoc malum: neque enim contineri vnius animo commotio & tempestas hæc iactatióq; potest, non magis quàm flamma cineribus: erumpet proinde vel minima data occasione, maximè si externus ille pro contracta inter eos familiaritate, cœperit aliquid in Superiore improbare; tunc enim periculũ est, ne tanquã hac nouacula dissectũ apostema, venena simul omnia profundat, non Superioris tantùm, sed & corporis totius damno.

Demum crescente hoc malo, ad instituti vniuersi damnationem prolabitur hęc alienatio, ægrúmque suum ad extrema propellit, dum nihil iam probat, damnat omnia, auersatúrque quæcunque documenta, tanquam ab hostili manu propinata: nusquam patris,

Digitized by Google

patris, nusquam medici manum agnoscens, sed inimicam vbique dexteram. etiam inter amica fercula & propinationes, inter patria monita benignissimo pectore deprompta venena reperiet, & fella pro melle leget, colocynthidas pro saccaro, pro vita mortem. tantum valet alienior animus.

Iam cùm displiceat Superior, monitáque studiaque ipsius, qualia demum illa fuerint, licet ab intimo Religionis deprompta; incipiunt etiam Religionis propria displicere. & semel à Superiore alienior animus, auertitur etiam ab iis quæ instituti sunt, maximeq; ab illis, ad quę Superiorem propensiorem videmus. quòd si ad omnia instituti pari conatu feratur Superior, ab omnibus auertimur, displicet nimirum res cùm persona displiceat, & quę proba antè erant, improba videntur, cùm ab hostili dextera nihil arbitremur amicum profuturumque porrigi posse.

Atque hinc spiritualis quædam exurgit nausea, & mœrentis animi fastidium, vt nihil iã placeat quo foueri mens consueuerat,

Digitized by Google

aut lassa reparari, aut fessa erigi, aut ægra sanari.

Oratio verò tota prostrata iacet, credas exsectis neruis omni robore viduatam, ita occupatus ac possessus alienatione hac animus, nihil præter auersiones ruminat, vt nec spatium sibi concedat cælestia cogitandi. tanquam si palatum amaritudine circumsessum, suauia ac salutaria omnia respuentem cogites.

Sed & animus ad generosa quæque deest: amátque sub tali Superiore ingloriam magis vitam & ignauam trahere, quàm ad victura dexteram protendere. quæ tandem res ad extrema inferiorem deducit, variósq; etiam corporum morbos adducit. nec finem facit, donec aut in apertum erumpat odium, & hostiles machinationes, & desperatæ mentis molitiones, aut vitam sibi aliísque grauem tristi languore finiat, infelicíq; demum morte claudat.

Remedia.

COnandum Superiori quibuscunque potest modis, maximè verò per Præfectum

Digitized by Google

ctum ſpiritus, Confeſſarium, alióſque ei caros, vt æger hoc malum ſuum fidenter, clarè, & ſine ambagibus retegat: in retectione enim hac, potiſſima ſanitatis pars conſtituta eſt.

Beneficijs etiam vincendus æger, & ad hanc ſui detectionem blandè ducendus erit: quaſdam etiam in illo leuiores imperfectiones diſſimulando: negotia quędam, quę rutò illi credi poſſint, vltro committendo: ſi quid rectè factum, laudando: ſi quid minùs benè, errorem tamen excuſando, intentionem collaudando, ſuauiter monendo, & ad maiora excitando.

In qua re magna Superioris opus eſt prudentia; vt ſi blandè inferiorem adducere non poſſit ad ſinceram mali ſui reſerationem, ſimulet ſe auerſionem hanc ſcire, multíſque fiduciæ ſignis, ac quibuſdam etiam conceſſionibus ab inſtituto non alienis, ſuauibus appellationibus, colloquiíſque quæ animi in illum propenſionem fiduciámque oſtendant, cum ſibi deuinciendo; propoſitis etiam interdum quibuſdam tanquam conſilij cauſa, ac iudicium illius explorandi,

Digitized by Google

probando etiam illud, si quo modo fieri possit.

Quòd si his similibúsque animum illius sibi conciliauerit; dissimulare in vniuersum Superior poterit, quò fidentiùs ille se suaque, pulsis diffidentiæ nebulis, Superiori credat: si verò æger se aperuerit, beneuolentia Superioris victus, benignè illum Superior audiat, soletur, ostendat vanum metum fuisse, non fundatas suspiciones, & ne à se cogitatis quidem rebus natas; aut sanè rationem dictorum factorúmque suorum amicè illi reddat, sæpe ad se, suáque aperienda inuitet, vt consuetudine hac, fiducia nascatur & amor.

Magna denique dexteritate animum ægroti in omnem partem versando, paulatim illi omnem auersionis causam euellat, dicta factáque illius in Superiorem minuendo, multa humanæ fragilitati tribuendo, multa huius generis in omni hominum genere eueniisse.

Quòd si his remediis vinci æger non possit, seriò de loci mutatione cogitandum erit: sæpe enim naturalis quædam è constitutio-

Digitized by Google

mationum diuersitate nata auersio est, quam priusquam extincas, vniuersam antè valetudinem frangas & perdas.

CAPVT II.

Neglectus obseruantiæ erga Superiores.

REm quis arbitretur non magnam, magna hæc tamen incommoda secum trahit: sequitur enim hunc neglectum venerationis & auctoritatis diminutio ac contèmptus denique. quod vbi fit, tota collabascit obedientia, quæ his firmamentis, tanquam validissimis vinculis ac propugnaculis continetur. neque difficile est illi obsequi, quem veneraris; impossibile propè illi obsequi, quem contemnis, maximè ea obsequentia, quam ab animo profectam omnis bene constituta Religio exigit.

Succedunt hinc in omni propè imperio murmurationes, cùm non placeant imperata; quæ placere perrarò possunt, cùm displicet qui imperat. nam etiamsi prudentissima illa sint, si non placet imperans, nec

Digitized by Google

nec imperata placebunt: contrà, si placeat ille, etiam imprudenter imperata, si non probentur, locum tamen excusationi & propugnationi inuenient. tantum in vtramque partem refert affectus in auctorem. Amas? etiam verbera placebunt, aut tanquam de manu optimi & clementissimi patris venisse iudicabis. Auersaris? etiam munera detestaberis, arbitraberisque ab inimica dextra venire, & molliora benigniorâque verba factâque, dolos fraudésque tegere opinaberis. Mollia, verè amantis, dura licet, verba sunt, quin & mollia verbera; dura alienioris animi, mollia licet, verba sunt, muneráque verbera non dona sunt; vt nihil iam exspectare debeas, præter spiritalem quandam nauseam, ac tepentis animi spiritalem quendám vomitum. omnia enim cum Superiore displicere incipiunt; minórque iam veneratio rebus instituti proprijs, minor maiorum decretis. nam ad neglectum ac contemptum satis est à tali Superiore profecta: sancta licet probáque sint, ac veteris germaniq; instituti, ac primarij spiritus, non sapiunt tamen, imò displicent à tali manu propinata. ita semel

Digitized by Google

mel concepta opinio dulcia omnia ac ſalutaria, in amara ac noxia vertit: mella nimirum in fel merum, medicamenta in venenum. vnde ſupinus tandem neglectus omnium ſpiritualium exercitationum rerúmque Religioni propriarum naſcitur, ac perpetuus tandem animi languor, nō niſi cum Religionis ipſius odio aut morte finiendus. tantum in humanis poteſt ex neglecta veneratione contemptus, vt ad malorum vltima Religioſum deducat, nec antè finem faciat quàm illum tota Religione protrudat, iuratúmque hoſtem ex filio & amico ſtatuat.

Aliquid proinde ſit in Superiore quod venereris, virtus, benignitas, paterna cura, comitas, ingenij magnitudo, iudicij profunditas, eloquentia, agendarum rerum dexteritas, morum maturitas, rara continentia, pietas, probitas, eruditio non vulgaris, prudentia magna; aliquid denique quod venerationem prouocet, è qua ferè amorem naſci videbis.

Fateor etiam his omnibus deſtituto, venerationi tamen locum eſſe poſſe, vel hoc ſolo

Digitized by Google

solo nomine, quòd Superior Christi vices gerat, cui in Superiore obtemperamus: verùm difficile est, vbi omnibus Superior quę natura sua venerationem prouocant destituitur, solo intuitu vicarij illi à Deo concessi muneris venerationem prouocare. ferè enim homines etiam ad diuina, humanis quibusdam ducimur trahimurq; subsidiis; quibus si destituamur, ægrè ad nuda diuina, propter ipsa rapimur: vestiri enim illa optamus, & humanis quibusdã illecebris cingi.

Et sanè vt nihil facilius est quàm in venerationem, ac venerationi implexum amorem rapere, si amore ac veneratione digna, manu quasi tangimus; ita inter difficilia non vltimum est in venerationem ac amorem propellere, cùm omnia externa venerationis ac amoris prouocamenta desunt.

Illud verò in alieniore animo solemne est sequi, vt vnius pectore venerationis diminutio non claudatur; spargitur per plures, & totas obit familias, fitque vt derogata semel veneratione: obedientia tota labascat: obmurmurationibus colloquia natent: & quæ priùs amoris ac filialis parentię, nũc ser-

Digitized by Google

ſeruilis obſequentiæ ſunt, à ſola coactione nata. atque hinc omnium intepeſcunt animi, imperataque nauſeabundi exequuntur. quare nec fructum illum ſperare prudenter poſſumus, quem à laboribus ſudoribuſque amoris ardoribus excitis exſpectare ſolemus. Quid? quod etiam ad externos eat hęc fama, & venerationis illa retractio cauſæque totas impleant vrbes, non ſine non emendanda nominis diminutione, quę res in vniuerſum corpus redundat.

Remedia.

PLurimùm hîc valet Dei, in omni Superiore cuius hic vicem gerit, præmiorũque cælo repoſitorum ſeria frequentíque conſideratio: non magnum eſſe variis naturæ cæleſtibúſque donis exculto morem gerere, cùm ipſa donorum excellentia etiã hoſtes in admirationem rapiat, aut à Religione alienos in amorem trahat. neque in his magna meriti ratio eſſe poteſt: ingens illa præmij meritíque materies eſt, cùm in Superiore nulla humana momenta põderamus, ſed Chriſtum ſolum, cuius ille vices gerit,

Digitized by Google

gerit, intuemur: illum vt Dei in terris vicarium, vt cælo nobis datum amplectimur. quæ vna ratio omnibus potentior, maior, certiórque apud verè Religiosum esse debet; & à qua sola plus venerationis amoríque, quàm à reliquis omnino omnibus animo concipere, factíque præ se ferre meritò oporteat.

Quæ in Superiore laudanda, sæpiùs ob oculos ponere; neque enim quisquam est, in quo non aliqua reperias, quæ laudem mereantur, siue è naturæ donis, siue studio comparatis, siue singulari prærogatiua à Deo concessa.

Quidquam non commendandum in Superiore occurrit, fortiter repellendum, excusandum; intentionis bonitas, humanaúe fragilitas cogitanda, errorum vitiorumque propriorum magnitudo grauitasque leuibus illius opponenda. quod eo faciliùs faciet inferior, quo errores, depicta, & quidquid in se non vna reprehensione dignum, tacitus secum euoluerit. Videat in quantis sibi ab alijs indulgeri velit, maximè à Deo, cuius oculis nuda sunt omnia. quàm multa dam-

Digitized by Google

damnanda ſecum trahat, & non vni veniæ ſubijcienda, quo magis minora in Superiore diſſimulationis & indulgentiæ ſcopis verrat. ac quandocunque occurrunt quæ meritam damnationem exigunt, & venerationis diminutionem, obijciat illuſtriora quæque ipſius, quæ iure quodam ſuo admirationem ac venerationem depoſcunt. quod perfacile erit verè Religioſo, & ſimplici melioreque oculo ſingula intuenti.

CAPVT III.

Simulata & tecta conſcientiæ explicatio & redditio.

MAlum eo nocentius, quòd à filiali in Superiorem tanquam patrem ac medicum retectione, omnis bona certaque, ac ſecura gubernatio pendeat. Vnde fit, vt huius defectu neque curentur nocitura vulnera, & mortem ſæpe allatura; neque vitentur damna corpori vniuerſo inferenda; neque prudens, ac ſine inſigni aliqua clade diu cõſiſtere gubernatio poſſit. Committuntur mu-

Digitized by Google

munia, quibus credenda non erant, coniicitque non rarò ſuos in ſalutis diſcrimina Superior, morborum ac propenſionum ſuorum ignarus.

Et ſanè vt nihil difficilius eſt, etiam periſſimo medico, longaque rerum ac ætatis experientia docto, quàm ignoratos ægrientium morbos aggredi, & ad quorum retectionem, ſiue noxia verecundia, ſiue ſimulandi ſtudio, ſiue pertinaci ſilendi obſtinatione, obmutescit æger, premitque ſecum mala, ita nihil faciliùs quàm cognitas perſpectaſque infirmitates, earumque cauſas depellere. vt morbi certa cognitio, medico certa propè curatio ſit: at ignarus morborum fluctuabit, & pro ſalutaribus perimentia ſæpe medicamenta propinabit, calentibus opus eſt? porriget frigida. humectantibus æger indigebit? ſiccãtia præbebit. Idem euenit in animarum medico. didicit morbos? remedia ad manum ſunt, ſiue noxiorum ſubtractione, ſiue profuturorum propinatione.

Et cùm in omni animorum morbo plurima veterum in vtramque partem exſtent do-

Digitized by Google

documenta,& exempla; non erit Superiori morborum cõſcio difficilè ea præſcribere, quæ ſalutaria cum primis futura ſunt. vt ſciuiſſe ſuorum morbos propè curaſſe ſit; cùm contra ex illorum ignoratione nulla non mala naſci procliue ſit.

Sanè prudentem omnem gubernationẽ ex hac ſuorum cognitione pendere nemo non videt; cùm reliqua omnis gubernatio ex ignoratione nata, fortuita ſit, & mille lapſibus expoſita; vt in qua nihil certo, nihil tutò, nihil ſolidi ſtatui poſſit. fortunæ nimirum cõmittenda ſunt omnia. Nam licet ex externo ſuorum conuictu, colloquiis, domeſtica conſuetudine, familiarium etiam indagatione, multa ſolers prudenſq; Superior colligat; plurima tamen ignorabit. cùm pauci morbos ſuos prodant, tegãt pleriq;: & ferè grauiſſimi altè habitant, ac in imo latẽt, viſceribus implexi; leuiores prorumpunt foras. mortem allatura intimis præcordiis clauduntur, nec niſi cũ interitu reteguntur.

Cauſa ferè mali huius in Superiore reſidet. qui ſi paternum in omnes affectum explicabit, expandétque matris viſcera

Digitized by Google

vberaque, nullo negotio filialem in se subditorum affectum prouocabit. crescit enim cum amore fiducia, neque facilè se generosus animus in hac mutua amorum prouocatione vinci patietur. Quare si Superior genuinos, verique patris sinus expanderit, in omnem fiduciæ retectionem inferiorem incitabit; maximè vbi illum non tantùm patrem & medicum, sed fidissimum commissorum sibi custodem senserit, creditaque sibi arctissima æternùm custodia seruantem. plurimùm enim in inferioribus valet concepta hæc de Superioribus concreditorum infracta firmitas, & secretorum tenacitas. Proderit etiam vel inter prima, si à fidenti inferiorum conscientiæ animique retectione, propensos in se Superiorum animos senserint, ac peculiares teneroscque patrios in se illorum affectus experti fuerint, ac plus etiã quãm antè beneuolentiæ ac fiduciæ. dicie nim non potest, quantum his crescat amor, fidensque morborum animi, nudaque sinceraque, omni fuco & simulatione sepositа, retectio.

Altera mali caussa, ab arrogantia metú

que

Digitized by Google

que ab hac nato proficiscitur. cùm veremur, ne si quæ animum premunt vulnera aperuerimus, sinistram Superiores opinionem induant, decedatque non parum de veteri in nos affectu, aut de conceptavirtutis opinione, minusque iam aut solita committant, aut à maioribus dignioribusque auocent.

Ab innata etiam quadam animi in omnes, aut certos Superiores diffidentia, aut pusillanimitate, noxius hic timor, qui candorem hunc sistit, nascitur. Et sanè nisi fastum hunc exuerit inferior, metum illum nunquam deponet. Nihil hîc periculi foret, si humilitatis amor obsedisset pectus. gauderet enim talis cõtemptu, & causas vltrò depressionis inueniret & suggereret. aut sanè si firma in Deum fiducia occupasset animum, qui nunquam permittit fidentem sibi in fraudem duci, non magno hîc opus esset molimine: cùm enim inferior Superiori Dei vices gerenti morbos aperiat, fieri non potest vt permittat hunc Deus dolis circumueniri. quòd si tamen permiserit fraudi iunc alicui candorem esse, certò sibi qui lamnum passus est persuadeat, locupletio-

Digitized by Google

re longè mercede hanc in Deum fiduciam remunerandam.

Quòd si pergat inferior Superiorem animorum medicum morbos suos celare, nihil propiùs, imò necessũ omnino est, vt politicum quendam spiritum plenis faucibus hauriat, consilia resque suas vario artificio tegat; probitatem, pietatemq; simulet; valetudinem bonam verbis vultuq; mentiatur, cùm extrema sæpe, mortemque vulnera intentent. audiat Sapientem Prou. 12. *Via stulti recta in oculis eius: qui autem sapiens est, audit consilia.* & illud Eccli. 32. *Fili sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebit* quanto magis audiet consilia Superioris inferior, parẽtis filius, infirmus medici, idq; in re salutis?

Remedia.

A Superiore ferè petenda, vt parem beneuolentiæ ostentatione, affectum in se fiduciámque suorum excitet, beneficij etiam prouocet, adeoque ad ea munia promotione, à quibus periculum inferior nõ creetur.

Proderit etiam faciles benignasque i

om

Digitized by Google

omni ad ſe recurſu aures præbere, vltro etiam non rarò compellare, fiduciamque oſtentare, aditumque in omnem retegendi ſe libertatem ſternere, nullóque vel minimo ſigno aut diffidentiam præ ſe ferre, aut è coneteditis ſibi timorem.

Inculcanda rei huius vtilitas neceſſitaſque, ſiue in exhortationibus publicis, ſiue in priuatis colloquiis, maximeque in domeſticis conferentiis, vel à Præfecto ſpiritus, aliiſque inſtituti peritis & amantibus. aperienda incommoda damnaque è noxio ſilentio nata, exempliſque illorum confirmanda, qui ab imprudenti verecundia, vel à timore & inani diffidentia, vel celandi ſua ſtudio, ad perpetuam animi inquietudinem, ac tandem ad vocationis ſuæ deſertionem deuenerunt, in carnem ſimiliaque vitia prolapſi.

Exemplis deinde magnorum virorum, qui grauiſſimis aliquãdo in omni vitiorum genere tentationibus pulſati, poſt plurima fruſtra tentata remedia, in vna mali ſui rectione ſalutem repererunt. Nec veriti non pauci ſunt, publicatis etiam libris,

Digitized by Google

palàm quibus iactati fuerant, dęmonum insidias aperire, quidam etiam lapsus suos, aut lapsui pericula proxima.

Excitandi deinde, & ad animi sui morbos periculaque aperienda prouocandi erunt, exemplis morborum corporis, quorum verecunda, & oculis etiam nostris pudibunda, grauitate mali victi, medicis adeoque & hostibus retegimus: quo magis idem faciendum Superiori ac patri in animi morbis, corporis morbis lõgè pernicioſioribus, vt à quibus beata infelixque pendeat æternitas, nulla postmodum arte reparanda. Seriò in hanc rem Gregorius in Past. p. 2. ca. 1. *Quisquis intrare æternitatis ianuam nititur, tentationes suas menti Pastoris indicet.* & in Vitis Patrum: *Ne abscondas cogitationes tuas: ita enim confusus immundus spiritus discedet à te. Nihil enim ita confundit dæmones, eorumq; virtutem allidit, quàm si quis secreta cogitationum reuelet Patribus sanctis.*

CAPVT IV.

Curiositas in indagandis, quæ gubernationem tangunt.

Qua

Digitized by Google

QVÆ quo magis internam cuiuſque pacem turbat, eo Religioſo magis vitanda & fugienda eſt: neque enim poteſt in illius animo ſolida pax tranquillitaſque conſiſtere, in quo agendarum imperandarumque rerum perpetuæ natant ſollicitudines.

Neque in vno inquietudo hæc permanet, abit in plures, cùm quæ ſolerti indagatione cognita ſunt, aperiuntur alijs; cauſamque ſæpe præbent magnarum turbationum: cùm ea ipſa quæ decreta aliquando, coguntur, re meliùs propiuſque perſpecta, aut quibuſdam inexſpectatis nouiſque intercurrentibus, quæ aliud ſuadent, Superiores mutare. quod vbi euenit, aut inconſtantiam in Superiore redarguunt, aut imprudentiam, aut denique, ſi ipſos res tangebat, prioraq; conſilia magis placebant, turbationum mare magnum naſci videbis.

Proſiliunt inde ſuſpiciones in varios, mœrores, murmurationes & obloquia, quorum omniũ cauſa primus ille curioſior indagator & explorator eſt. naſcunturque ex his principijs temeraria in primis iudicia; & frequenter culpam in illum conijcimus,

Digitized by Google

qui extra omnem noxam est: vnde ingentes profluunt animorum alienationes, partiúque noxia Religioni studia; variæ deinde parum religiosæ molitiones, & innocentissimorum sæpe euersiones; decurritúrque demum ad interna, ac ad externa non rarò patrocinia & intercessiones.

Plurimùm deinde curiosiorilla disquisitio adimit de obedientiæ integritate, cùm magnam partem debitæ resignationis & indifferentiæ tollat. Etenim animus ad omnia Superiorum imperia paratus, nullam causam habet curiosioris indagationis, promptus in omnem imperij partem: neque illũ cura mordet imperandarum rerum, qui in omnem Superioris, tanquam in Dei voluntatem excubat, & in quo nullus delectus muneris, aut agendarum rerum est: sed infima iuxtà ac maxima à diuina manu per Superiores expectat; magísque etiam fertúr in abiecta, tanquam in tutiora, & rarò lapsui aut præcipitiis vicina, quia minùs splendida, & per plana ducunt, in quibus rarior vt æmulatio, ita infrequentior casus est.

Monemur in hac materia à Sapiente Eccli. 3.

Digitized by Google

cli.3. *Altiora tene quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris. Sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper, & in pluribus operibus eius ne fueris curioſus. Non eſt enim tibi neceſſarium, ea quæ abſcondita ſunt, videre oculis tuis. In ſuperuacuis rebus noli ſcrutari multipliciter, & in pluribus operibus eius non eris curioſus. multos ſupplantauit ſuſpicio illorum, & in vanitate detinuit ſenſus illorũ.* Præcipit Deus per Superiores. quorum præceptis vt diuinis inſiſtendum eſſe monet Apoſtolus. & ferè ingentem animo inquietudinem omnis curioſior indagatio adducit, magnarũ vbique turbarum ac iactationum cauſſa. ita in perpetua quadam tempeſtate fluctibuſque curioſitas omnis nauigat, omnibus littoribus excluſa, ignara portus, ſtationum neſcia; inanibus plerumque vaníſque ſuſpicionibus iactata, dum irrequieta mente Superiorum conſilia ſcrutantur, dubióſque & fortuitos euentus, ſolerti ſubdoláque proſpicięntia anteuertere conantur, ſemper anxij ne quid fòrs alienum à propenſione Superiores de ſe ſtatuant, multum de diuinæ prouidentiæ fiducia detrahentes, quã prę-prouida ſagacíque induſtria ſua præuertere

Digitized by Google

conantur. quo fit vt relinquat illos Deus in manu consiliorum suorum, destituatque cælestibus subsidijs; quibus affluunt quotquot vni Dei voluntati innixi, totam sui curam Superioribus relinquunt, certi fortunatius succedura quęcunq; à prudenti & præprouida diuina manu profluunt, quam quæ à fatuo delectu nostro euentuum ignaro.

Huc accedit, in altissima pace viuere, quotquot se suaque diuinæ prouidentiæ committunt, ac cæca quadam manu accipiunt, quidquid à prouida illius dextera porrigitur. Eueniant vt placitum bonitati ipsius fuerit, res imperatæ; habent ad manum illud solatij, Obsecuti sumus Deo. non eueniunt optata aut sperata felicitate? satis esse homini debet, paruisse in Superiore Deo. & fortè in salutem erit infelicior euentus, fuisset in damnationem aut lapsum fortunatus successus. Quid altiora nobis scrutamur mortales? certum, non posse falli Deum, nec fallere sperantes in se posse.

Qui verò curiosiore indagatione Superiorum, ac in illis de se suisque aut alijs etiam, diuina disquirunt consilia, in perpetua qua-

Digitized by Google

quadam ſollicitudine vitam trahunt. quòd ſi Superiores ad ſua vota deduxerint, æterna ferè pœnitudine conatus ſuos luunt; cùm plurimùm extorta hæc imperia infelici exitu claudantur, & præciſa tunc ſpes omnis mutationis videatur, cùm erubeſcimus ad prioribus contrarias preces, qui auctores nobis malorum fuimus, & mutatæ in Superiore ſententiæ.

Remedia.

OBedientiæ per meditationes, librorumque de hac virtute tractantium lectiones, excitatus amor.

Studium tranquillitatis internæ, quam nullo negotio conſequuntur, quicunque extra omnem ſollicitudinem Superiorum tanquam Dei imperia læti hilareſque expectant & excipiunt.

Commemoratio eorum, quibus plerumque minùs feliciter nimia hæc cura ceſſit; contraque aliorum, quibus fortunatiſſimo ferè exitu paratus ille animus ad omnia Superiorum mandata exequenda ſucceſſit.

Digitized by Google

Proderit etiam cogitare, quem curiosior hæc indagatio finem sibi propositum habeat. si solam cognitionem: quo mihi illa? aut quid adferet internæ pacis? si vt habear primus euulgator; inuidentiam etiam vereri debeo, & secretorum euulgator Superiorum, & indignationem timere. Si vt aliò Superiorum consilia flectam in iis quæ me tãgunt; parum tutâ ingredior viâ: accedentibúsque molestiis, quales promptum est hîc nasci, nullus querimoniis relictus est locus, cùm Superiorem à suis ad mea consilia deduxerim. inde mœrores sequuntur non rarò; cùm contra pacatissimi sint, qui toti à Superiorum voluntate pendent, parique affectu quæcunque demum imperata cadant, amplectuntur; quibus si non omnia ex voto prospera eueniant, habent quo se solentur, Superiorum, non sua se voluntate rẽ aggressos; & tutò Superiori difficultates proponere, remediáque deposcere possunt.

CAPVT V.

Obedientiæ neglectus.

Qui

QVI ferè ex eo prouenire solet, quòd in Superiore non cognoscamus imperantem Deum: quem si in illo intueremur, non facilè ab imperatis deflecteremus, iudiciáque nostra illius præponeremus. Nam quis paulò religiosior sua diuinis consiliis, quæ in Superiore elucent, præferre audeat? aut quis ea temeritate, barbaróque fastu est, qui diuina postponat suis? Omnis proinde neglectæ obedientiæ ratio in Superioris ignoratione consistit, cùm vicariam in illo Dei potestatem inferiores non agnoscunt, nec imperantem in eo Dominum considerant, sed humanis rationibus metiuntur omnia; nec aliud in Superiore, quàm aut inditam naturâ, aut longa experientia partam prudentiam intuentur: ita fit, vt sæculi more obtemperent, rationibus nimirum, aut metu, aut sola externa auctoritate ducti. qui obsequendi modus longissimè à diuino abest, ac prudentiæ potiùs, & seruili timori, quàm diuinæ voluntati in Superioribus imperanti innititur; quam si in Superiore considèremus, non difficile foret obtemperare,

Digitized by Google

maximè cùm in obsequendo rarus interc̃urrere error possit: non quòd non aberret à recto veroque Superior, sed quòd error ille perrarò in Superiorem cadat: nec minora interim apud Deum obedientiæ præmia reposita sunt, si quis imprudẽter, quàm si prudenter imperanti obtemperet; ac merces etiam maior illi debetur, cùm minùs prudenter ac prouidè imperanti, solius Dei nomine, in illis quæ nullam peccati labem continent, obtemperet.

Damna verò adeò grauia & obuia sunt quæ ex obedientiæ neglectu nascuntur, vt in omnium oculos nullo negotio incurrant: neque enim vlla non Religionis modò, in obedientia potissimùm fundatæ, sed nec reipubl. aut priuatæ etiam domus sine huius virtutis accurata obseruatione prudẽs consistere gubernatio potest, nullum imperium stare, nullus exercitus ab hoste victoriam sperare, nulla securitas in rebus humanis, pax nulla, quæ ferè obedientiâ tanquam vinculo ligatur.

Ingentem deinde rerum omnium perturbationem huius defectu necessum est se-

Digitized by Google

ſequi, cùm membra capiti, inferiores Superioribus aut imperât, aut non obſequuntur: quæ res interitum corpori de propinquo minatur. nam quid ſperari poteſt, quid non timeri, cùm inuertitur hic ordo rerum, quo inferiores Superioribus parêre æquum eſt? cùm aut Superiorum ignauâ incuriâ inferioribus omnia permittuntur, vt pro voluntate quiſque ſua vitam moreſque inſtituat, munia deligat, res adminiſtret, in quæcunque ſe domeſtica ac externa profundat; aut cùm innato quodam negandi timore, aut mœrore afficiendi metu, aut rogandi importunitate, ſuccumbunt; aut temporalium denique commodorum cauſa; aut ſanè ob inferiorum duritiem, & arrogatam auctoritatem, è Superiorum tepore natam, liberas ſuis habenas permittunt; quid expectari magni bonique poteſt, dum ſinguli vnius licet corporis membra, contrarijs in diuerſa motibus feruntur, ſi non vltimarum deſperationum miſeranda conſilia?

Commoda verò adeò manifeſta ſunt, vt non egeant explicatione: mutuò enim hac virtute debito amore conſtringimur,

Digitized by Google

dum ſinguli commiſſo ſibi muneri incumbentes partes ſuas tuentur, ne in aliena ſibi non concredita inuoluantur. Auguſtini de hac virtute verba ſunt: de Ciuitate libr. 14. *Virtus obedientiæ in rationali creatura, mater quodammodo omnium eſt cuſtoſq; virtutum.*

Sequitur hanc virtutem ſine ſollicitudine vita tranquilla, & curarum expers, cùm Superiori ſe totum reſque ſuas inferior credit, illius nutui paret, totumque ſe illius voluntati committit. Felicem imperata res euentum conſequitur? præmia cum Superiore laudeſque partitur, & maior etiam gloriæ pars ad inferiorem tranſit. Infelicem ſortitur effectum? ſi obſecutus eſt imperãti, ſecurus, & extra culpam & reprehenſionem eſt: prudentia, timor, dubius & anxius de euentu animus, ſeriæ deliberationes, mœror & pœnitudo, Superioris ſunt: pœnitudo, dolor, metus nullus, fortuitarum rerum ſollicitudo, internique fluctus nulli; ſed pax alta, profundaque quies, ingenſque animi tranquillitas, inferioris ſunt. Nullæ in hoc, vt in Superiore, noctes inſomnes, nulla anxia futurorum cogitatio, nullæ ſollicitudi-

nes

Digitized by Google

nes cor exedentes, nulla præcipitatio, nulla gloriæ aut nominis defraudatio metuenda: cùm satis inferiori in omnem laudem sit quemcunque res euentum sortita fuerit, paruisse; nec minorem laudem quocunque demum euentu, felici an infelici, mereatur, neque gloriam commendationemque referat inferiorem. cùm omnis obsequentis honos in sola parentia, non in successuum felicitate consistat, & fortunati infortunatique euentus solius Superioris delectui ac imperio asscribi debeãt. Semper proinde laudem decusque quocunque euentu obediẽs reportabit, etiam apud iniquos rerum æstimatores; solam verò laudem Superior è fortunato euentu consequetur. vt tutissima obsequentis conditio, certissimáque gloria; dubia ac incerta per omnia imperantis sit. tanto hæc discrimine dissident, tantóque imperiis potior parentia est.

Remedia.

FRequens lectio, & commemoratio meditatióq; eorum, quæ ad hanc virtutem per-

Digitized by Google

pertinent. commodorum etiam incommodorumq́ue, quæ ex huius virtutis prosecutione aut neglectu nasci procliue est, sæpè repetita memoria. quanta animi tranquillitate, quanta securitate ac certitudine, molestijs expertem vitam ducãt, qui se totos obedientię sacrarunt: quanta contrà mentis turbatione, anxietate, inconstantia, dubioque ferè exitu iactentur, quotquot ab illa degenerarunt, aut deflexerunt. Bene Sap. Pro. 21. *Vir obediens loquetur victoriam.* omnium nobilissimam retulit Christus: Ph. 2. qui *humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Sequitur victoria, & è victoria triumphus. *Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen: vt in nomine* IESV *omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus* IESVS *Christus in gloria est Dei Patris.*

Frequentare narrationes in familiari colloquio, de infelici plurimùm exitu illorum, qui Superiorum imperio neglecto, suo se arbitratu voluntateque rexerunt: quantaque sanctimoniæ ac miraculorum etiam præro-

ga-

Digitized by Google

gatiuâ virtutis illius cultores, omni ætate eluxerint.

In omni Superiorum imperio Deum cogitare imperantem, allicientem, præmiantem. Monet Apoſtolus Heb. 13. *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis. ipſi enim peruigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri, vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes.* Ephe. 6. *Non ad oculum ſeruientes quaſi hominibus placentes, ſed vt ſerui Chriſti, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate ſeruientes ſicut Deo & non hominibus.* addit Petrus 1. Pet. 2. *Non tantùm bonis & modeſtis, ſed etiam dyſcolis.* Ac licet de ſeruis illa verba; multo certiùs in Superioribus locum habent, quibus non humana mercede, ſed tanquam Deo peculiari obedientiæ voto nos aſtrinximus. Hieronymi verba ſunt: *Præpoſitum timeas vt dominum, diligas vt patrem. Credas tibi ſalutare quidquid ille iuſſerit. nec de maioris ſententia iudices, cuius officij eſt obedire, & implere quæ iuſſa ſunt.*

Sanctorum deinde exemplo, ac in primis Chriſti Domini, ad ardua quæcunque imperia ſeſe animare, ſpe maximè futurorum:

Digitized by Google

rum : ſæcularium etiam exemplo, qui in Principum obſequiis, militari diſciplina, ac in omni republica, in grauiſſimis rebus maiorum imperiis parêre coguntur.

In omni re Superiori proponenda, duo pręmittere, orationem & reſignationem.

A facilioribus inchoandum, aliquando etiam in non noxiis aliqua concedenda: ad ardua dein deſcendendum, mora tamen aliqua interiecta.

Per familiares etiam aliquando monendo, maximè aliorum exemplis, qui maiores ætate, eruditione, gratia, paratos promptóſque ſe exhibent, omnem felicitatem in vna obedientia ponentes.

CAPVT VI.

Obedientia è ſolo metu profecta.

SEruilis omnino ingenii obedientia, quæ non vltra metum progreditur : ſi clàm futura putat, imperata negliget ; ſi pœnarũ effugium ſperat, etiam contemnet. nihil proinde magnũ ab hoc ſperari poteſt; quale ferè

Digitized by Google

ferè ab animo bene compoſito, & affectu, aut in rem ipſam, aut in imperantem proficiſci conſueuit: amor namque ardénſque deſiderium potentiſſima incitamenta ad magna ſunt, quibus tanquam validis arietibus, quęcunque aduerſantia propugnacula non magno negotio propulſantur ac deuerruntur. audet enim, qui amat, & leuia arbitratur quæcunq; amore ſuo minora ſunt: qui metuit, etiam viribus ſuis inferiora perhorreſcit. omnia enim meritur metu, vt ille prior amore: qui cùm rebus maior ſit, non mirum ad ardua, vt ad leuia, proſilere: cúmque metus in aliis rebus etiam leuioribus maior ſit, nihil mirandum ſi ad illa non extendat manum. deſperatio enim quædam felicioris euentus, fortunatioríſque conſecutionis metu impellente mentem poſſedit: hinc anguſti illi exurgunt animi, tremorque ac timor, & diffidentia timoris comes. quare fruſtra ab hoc pectore, viro ac cælo dignas, victúrique ac in poſteritatem abituri nominis cogitationes exſpectabis.

Idem in obedientia è ſolo humano metu nata

Digitized by Google

nata reperies; aut enim vniuersum quod operatur opus, negligit, aut sine anima aut mente præcepta exequitur, aut languet ac quasi congelidata friget, plurimumque de sperato calore amittit. succedit pallor ac quædam operum ægritudo, nec valetudinem sperare possumus nisi seruilem hunc metum, potenti quodam amoris medicamine tanquam purgantibus minuat ac pellat.

Alienationes exinde animorum exurgere necessum est, quæ in odia paulatim excrescunt, in murmurationes, detractiones, aliaque his affinia vitia. nam vbi solus metus inferiores continet, displicentia nascitur imperantis, cùm imperata displiceant, è qua procliue est recensita vitia, aliaque his similia tanquam laxatis habenis decurrere: quem enim solus continet metus, is si hunc excutere potest, fertur in imperantem, nec parcit, vbicunque vulneribus locum reperit, perpetuaque in statione est. hinc aperto si quando datur marte; inde, vt plurimum fieri consueuit, ex insidijs imperantem petit, omnem euertendi illum occasionem captans.

Quid?

Digitized by Google

Quid? quòd animus è metu obsequentis in perpetua quadam amaritudine versetur, semper inuoluntarius, suspicionibus & æmulationibus plenus, nusquam nisi in oblocutionibus apertus & candidus, semper tectus & simulatus, & consiliorum suorum occultator, mœroribus verò tantaque melancholia tam validè oppressus, vt ferè nonnisi cum morte, aut loci Superioris súe mutatione dolorem ponat.

Neque latere externos hæc res potest, qui aut ab imperatarum rerum tarda & tepenti executione, aut à verbo per imprudentiam elapso, mali huius magnitudinem perfacilè cognoscunt: quod dum fit, nihil promptius esse potest, quàm vt vel in inuidiam vocetur Superior, vt in imperando durior & imprudentior, vel inferior suspicionem apud alios incurrat alienioris à Superiore animi.

Politici deinde ex hoc metu exurgunt in inferiore spiritus, plenáque simulationibus sunt omnia. obsequentiam parendíque studium factis exprimit, mente aliud voluit: vt rebus cogitata non respondeant.

at-

Digitized by Google

atque hinc consilia exurgunt varijs artibus tecta, dolisque fraudibusque plena, & cùm mentem Superiori obsequentem, & imperiorum amantem opera præ se ferant, animus odio natat, & sub exteriore obedientiæ spongia, tanquam sub amplexu Ioab ferrum latet, aut sub osculo Iudæ vincula & catenæ.

Et ignauissimorum hæc ferè signa animorum sunt, qui cùm de virtute desperent, ex insidiis hostem petunt, solis fraudibus fortes, reliqua socordes. Generosus animus aperta ingreditur via, antè in mortẽ ruiturus, quàm femineis his armis vsurus. certè nõ nisi seruilis ingenij & ignauissimi cuiusdã pectoris est, solo metu ad obsequendum impelli, testatissimumque signum nihil in tali religiosi affectus latêre. imò manifesta signa hęc sunt spuriæ vocationis diuinę. quę si germana legitimáque esset, ab amore nasceretur, omni seruili metu depulso.

Neque hic animus cælo dignus est, qui solis minis, grauioribus acrioribúsque monitis, verberibúsq; in officio contineri potest. cælo filij inscribuntur, & hæreditario quo-

Digitized by Google

quodam iure possessionem illius adeunt; excluduntur quibus præter seruile ingenium, nihil amoris ingenitum est, nihil filialis parentiæ & venerationis. amare debet quisquis amoris præmia sperat. nulla verò cælo quàm amori dantur; quo solo præmia metiri & erogare solet Deus.

Remedia.

MAgna parte à Superiore petenda sunt, qui si paternum in suos affectũ induat, rebúsque non nudis verbis illum ostendat, non magno negotio suorum in se affectum trahet. Neque difficile erit amare imperata, cùm qui imperat, amatur, vbi paternum Superiorum pectus senserint; maximè cùm monita & imperata à paterno candore nata viderint.

Seria frequénsque cogitatio imperantis in Superiore Dei, plurimùm in hac re potest. qui enim vicariam in illo Domini potestatem intuetur, non tepidè ad imperata exequenda descendet; maximè si Sanctorũ virorum exemplis, in omni Superioris imperio, cælo imperia nata cogitauerit.

quis

Digitized by Google

quis enim non alacer obtemperet imperanti Deo? In omni ergo imperio si Dei imperia considerauerimus, quis non pulso frigore ac languore lætus aduolabit ad præceptorum executionem, certus iam de illius voluntate?

Iuuabit etiam si generosum inferior animum induat, illúmque ad magna obfirmet, indignúmque viro ac Religioso esse cogitet metu compelli, vt pudeat illum seruílis ingenij, & indignetur ad mancipij nomẽ, maiorémque se statuat, quàm vt vincatur à metu: quin adeò fortium pugnatorum exemplo, antea in media arena generosam euomat animam, quàm timori locum tribuat.

Quòd si quis imperata amet, tanquam vberem materiam cælo coronandam, tanquam fœcundam messem horreo Dominico inferendam, discátque non imperantem intueri, variis fòrs affectibus obnoxium, sed promissa obsequentibus præmia; non erit difficile, metu sepositò, æternorum amore alacri mente ad imperata decurrere, certus de remuneratione, certus de præmio, amabitque imperia à quocunque ore dictata, feli-

Digitized by Google

felici æternitate commensuranda.

CAPVT VII.

Excusationes.

NOn postremum in Religione malorũ, cùm imperata à Superioribus, quasi obiecto clipeo, excutimus. palàm & in os resistere verecundia prohibet, via excogitatur qua sine rubore liceat. valetudinem accusamus, virium tenuitatem, morbum etiam languoremq; mentimur. verbo, posse negamus, nimirum quia nolumus non possumus: vt nolle non posse sit eneruandæ obedientiæ certissima regula. arbitreris tanquam nouacula aut securi iugulum illius præscindi: ita duobus verbis, Non possum, robur illius omne subruitur. Neque potest grauius quidquam Superioribus euenire, cùm nolentes cogere durum sit, & plus habeat coactio omnis domini ac iudicis quàm patris; & indulgere negantibus inconsultum sit, fit vt incerti dubiique hæreant Superiores. Si pergunt imperare, seueros cogimus; si assentiuntur repugnantibus, molliuntur animi, & nulla iam imperia sunt, nisi

Digitized by Google

quæ vltrò ſuſcipiuntur: vt vniuerſa obedientia non ab imperantis virtute aut prudentia, ſed à parentis nuda voluntate ac propenſione pendeat. decurritur enim ad tritum illud, Dicite nobis placentia, & audiemus & obſecundabimur: vt ante imperia voluntas deposcenda inferioris ſit.

Infelici ſanè ferè exitu excuſationes hæ terminantur. cùm aut in nimis indulgentem, aut fortem nimiùm Superiorem inciderint. nam & primus indulgentia perdit, & ſecundus robore non tam flectit, quàm frangit. mediam verò inuenire viam difficillimum. nec quiſquam facilè talibus ingenijs ſatisfaciet. nam vt voluntatibus iſtorum ſubſeruire graue, ita nolentes cogere durum eſt. Sanè diſciplinam paullatim omnem diffluere neceſſum eſt, cùm paucorum exemplo reliqui ferè in paria trahantur. Si enim ad imperata excutienda minùs grata ſatis eſt, Non poſſum; quis non duobus verbis moleſtiam omnem deterget, & auertet à ſe quidquid minùs naturæ, aut propenſioni cuiuſque amicum eſt?

Infortunata omnino Superioris conditio,

Digitized by Google

tio, cùm tales nactus fuerit, quibus nec imperare nec indulgere tutũ. & vix in his prudentiæ locus est. neque enim tales ratione, Dei futurorumque timore, aut vocationis amore, sed solis propensionibus suis aguntur. placent imperia? amplectuntur. displicent? excutiunt. Nec in vna re hæc res finitur. assuescũt paullatim his excusationibus, adeoq; excrescit hæc licentia, vt quidquid non placet, negent se posse, solis placituris obtemperaturi. vnde fit vt si in facilem mollemque Superiorem inciderint, ad indignissima quæque Religione dilabantur, suisque singuli motibus ac propẽsionibus agantur, nec tam ipsi Superiori, quàm hic illis obtemperet, euersa omni prudentis gubernationis regula. si in fortem & qui imperare pergat deuenerint, ad mœrores labantur & melancholias, & de deserenda vocatione cogitationes.

Nec in vno malum hoc clauditur, it ad lures, & obit paullatim domum, cùm pa- ia sibi singuli concedi velint, contendantq; sdem quibus alij prærogatiuis donari- uæ si negauerit Superior, & personarum

Digitized by Google

hæc diſcrimina admiſerit, tota familia æmulationibus & oblocutionibus repletur, nec quies aut pax vlla, ſed tanquam fluctibus ac tempeſtatibus iactatur, non ante domus totius interitum poſitura motus: quos etiam in externos nonnemo effundet, ſolatia ab his, & morbo ſuo remedia captaturus.

Prouenire hoc malum aſſolet, vel ex ſupina quadam ignauia, vel à libertatis amore, vel à Religionis tædio, vel ab alienatione à Superiore, vel à puſillanimitate mētis, vel ab amore proprio, vel à iudicij ſui tenacitate, vel denique ab innato quodam faſtu, & opinione ſui. è quibus illæ proficiſcuntur, non deprecatoriæ tantùm, ſed excuſatoriæ & negatoriæ voces, prævalida hac armatura armatæ, Non poſſum. hîc nimirum imperatis inferiores vires ſunt, ibi alienior animus munus exhorreſcit, alibi oneri ſuccumbit, valetudini noxia res aut cælum, ſocij diſplicent. vellem; ſed negat corporis animíq; robur, impedimenta quædam ſiue illa mentis, ſiue illa virium non permittunt impoſitę rei ſuſceptionem. adducitur etiam conſcientia, & mentis quædam abdita vniuerſim narra-

Digitized by Google

ta, periculaque non expresso periculorum nomine. denique vno omnia verbo clauduntur, Non possum. quid agat Superior? perget imperare? ad manum est, Non possum. nihil nimirum potest nisi quod animo collibuerit. ad hoc & vires & animus sufficit, ad imperata desunt. ad optata robur superest, ad imperata exulat. quò se vertat Superior? vrgebit nolentem & negantem posse? sæuus & crudelis habebitur, qui maiora viribus imponat. indulgebit? collabascet omnis paullatim disciplina, corruentque imperia, & in his Religio vniuersa. vt magna in talibus opus sit dexteritate ac prudentia, ne aut vniuersa corruat disciplina, aut mœroribus succumbant & opprimantur inferiores, aut otio diffluãt, & in noxium dilabantur reporem, Dominico ore deuomendi, ac paullatim spiritalia fastidiant nauseabundis in omnibus similes: nec antè finem faciant, quàm desperata vbique re, in ignauissima socordia contabescant, diffluantque in amicam otio carnem, & quia spiritu inceperunt, in fœdas corporis voluptates infortunatissimo exitu dilabantur.

Digitized by Google

Remedia.

AB exercitiorum ſpiritualium frequenti repetitione petenda, vt his accendatur ad ardua animus, Chriſtiq; Sanctorúmque exemplo diſcat gaudere duris, delectari aſperis, generoſiùs inter hæc animam poſiturus, quàm inter mollia victurus.

Aliorum deinde, ſiue eruditione, gratia, eloquentia, viribus inferiorum, exemplo animandi & ad magna impellendi ſunt. honore etiam gloriaque, ac dedecore nonnunquam excitandi.

Iuuabit interdum loci, ſociorum, Superiorumque mutatio. virum enim ſi tales nacti fuerint fortem, conſtantem, prudentem, quique exemplo præcat, ſocios etiam ſerios, & ad labores promptos, ſola non rarò verecundia ignauiam deponent, quam ſub tepentibus ſocijs, mollibuſque Superioribus nutriebant.

Quòd ſi emendatio non ſucceſſerit, non inutile fuerit tales ad poſtrema officiorum reijcere, nullo loco habere, nulla familiaritate coniungere, vt pudore tandem vincendi manum maioribus admouere incipiant

for

Digitized by Google

fortiùs certiuſque hoc etiam fiet, ſi iuniores alacres & ad ardua prompti illis præferantur, ſi præmijs donentur, laude afficiantur, ac ad illuſtriora munia obeunda admoueantur.

CAPVT VIII.

Interceſſiones.

VEræ ac genuinæ obedientiæ impedimentum, dum imperata aliorum interceſſionibus infringũtur, & alioſum vertuntur importunis intercedentium precibus: vnde periculum creari Religioni poteſt, ne in omni imperio voluntas primùm inferiorum, propenſioque inueſtiganda ſit, nec quiſquam alia ſuſcipiat, quàm ad quæ propenſam voluntatem reperit, vſurus in non placentibus aliorum interceſſionibus, quorum operâ imperata euertat: maximè cùm apud Superiorem facilem, pronumque in ſuorum voluntates res agitur.

Hinc etiam ſequitur, cùm ſubterfugiunt impoſita onera, qui Superioribus in primis idonei videbantur, vt imparatiores,

Digitized by Google

minuſque idonei; non ſine graui totius corporis detrimento, rebus admoueantur.

Tollitur deinde omnis rectè gubernandi ratio, libertaſque, Superioribus ſollicitis in omni imperio de voluntate ſuorum, vt non tam Superiores, quàm inferiores præeſſe videantur, vt quorum voluntati magis quàm ſuperiorum fiat ſatis.

Exurgunt verò ex his interceſſionibus ingenia mala. cùm paulatim iuuenes, patronos ſibi apud Superiores parant, & præprouida ſollicitudine tanquam in caurelam, antè ſibi mœcenates conciliant, habituri auxiliatores & propugnatores quacunque neceſſitate occurrente. atque hinc partium videas ſuboriri ſtudia, dum varij variorum beneuolentiam captant, eorum nimirum, quos apud Superiores plus poſſe arbitrantur.

E quibus initiis quaſi diſſenſionum iactis fundamentis, mutua paulatim animorum coniunctio ſcinditur, dum huic potiùs, quàm illi adhæreſcimus, & hos tanquam in clientelam datos, magis quàm alios tuemur. quid enim reliquum, niſi vt ratione di-

Digitized by Google

diuersorum patronorum ac clientum eamus in factiones, dum hunc laudamus, damnamus alium: illum supra merita extollimus, alium infra dignationem deprimimus?

Hinc etiam aulici paulatim irrepunt mores, mutuæ obseruationes, ac ne paulatim patrocinationis studiũ intepescat, frequentes, cum insigni temporis iactura, miscentur confabulationes: inter quas fieri non potest quin sæcularia intercúrrant colloquia plurima, mutuæ aliorum detractiones, ac in primis patronorum, ac clientum aliorum; subdolæ etiam, curiosæque in iis quę gubernationem tangunt, indagationes; & iam tanquam in diuersorum patronorum clientes conspirationes subnascuntur; consuetudo cum aliis rarior, cum illis frequentior.

Nec vera tamen inter patronos hos ac clientes, solidáue amicitia est: mentita enim omnis beneuolentia est, quæ, quamdiu apud Superiores aliquid poterit patronus, tamdiu adhæresçet; ille si gratia aut munere exciderit, cadit omnis ille simulatus amor,

Digitized by Google

& alium circumspicit mœcenatem, plusque iam in priore damnat, quàm antè laudabat. Neque hoc mirum, si cogitemus, non hominem clientes hosce, sed fortunam illius fuisse veneratos.

Minor etiam inter vnius partis clientes amor est, quos sola patroni veneratio continebat, cùm intus potentibus æmulationum ac inuidentiæ fluctibus concuterentur, si aut vnus carior aut frequentior, aut munere aliquo, aut verborum consultationumque prærogatiua prælatus, innumerisque alijs ex causis, quas solers sibi inuidentia fingit.

Decurritur tandem etiam vsu, & quadam consuetudine intercessionum harum ad externorum intercessiones, magnorum nonnunquam virorum, Principum etiam, & benefactorum, vt hac quasi armata manu extorqueant à Superioribus imperata. Quare nihil euenire benè constitutę Religioni deterius potest, magisque noxium: cùm enim neque negare Superiores audeant, neque concedere sæpe tutum sit, hęrent anxij, & victi magnorum precibus, quæ illis pro imperio sunt, succumbunt, permittúnque

Digitized by Google

que & illis, & Religioni nocitura. nam cùm neque mores delictaque interdum ſuorum aperire religioſa caritas permittat, neque negare petentibus audeant, damna naſcuntur, nulla poſtmodum prudentia reparanda.

Remedia.

MInùs recedat Superior à ſententia ſemel maturè concepta, interceſſoribus intercurrentibus, quàm ſi ipſi quas proferunt difficultates, vltrò proponant.

Seriò interceſſores moneat, & ab interceſſionibus deterreat, doceatque quàm noxiæ illæ omni bonæ gubernationi ſint.

Interceſſores hos, patronoſque, ſi pergant importuniùs ſuorum cauſam agere, ſeriò non ſemel monitos à ſe remoueat Superior, aliiſque functionibus diſtineat; vt hoc exemplo à patrocinijs hiſce terreantur reliqui.

Inuigilet deinde Superior, vt valida manu clientelas patrociniaque reſcindat; occurrat mitiis, nec permittat noxia hæc molimina ſuccreſcere, ſeculares haſce aulicaſque noxias in primis Religioni conſuetudines; terreatq. ab his, grauib. etiã propoſitis pœnis.

Digitized by Google

Munere etiam si quo splendidiore fungantur religiosi hi mœcenates, exuantur, quo desinant ex officij magnitudine audaciam sibi ad patrocinandum sumere, reliquique à simili conatu terreantur.

Si externos patronos Superiores aut iusto metu veriti fuerint, aut factis etiam senserint, ad ea loca patrociniorum prouocatores transferant, in quibus omnis cuiuscunque patrocinij spes præscindatur. vt dum destitutos se patronis viderint, vni potiùs virtuti quàm aliorum gratiæ, beneuolentiæ, ac potentiæ incumbant.

CAPVT IX.

Laborum fuga. Otij amor.

MAlorum vitiorumq; adeò omnium seminarium. ex hoc namq; omnium generum prosiliunt mala, in Religionis interitum nata, omnemque succum, seminaq; fœcundissimi antea illius agri emedullantia ac perimentia. & quid speraria Religioso potest otij amatore, quæ non timeri mala? nam vt omnino nihil agat remotissimũ

ab

Digitized by Google

ab ingenio humano eſt, quod occupationibus gaudet, nec in ignauo conſenescere perpetuò poteſt otio. refugit res inſtituti, ac vocationi ſuæ proprias? conuertit ſe ad alienas; & cùm domi deſint quibus delectetur, tranſit ad Religioni noxia, ſeque ſuoſque non rarò in aperta conijcit diſcrimina. Si negata, aut non conceſſa illi ſæcularium rerum negotiatio, deflectit ad animi mala; paulatimque tam altè ignauiſſimi teporis huius venena bibit, vt ne excutere quidem hæc dum volet poſſit. tantum inueterata vitiorum conſuetudo poteſt, vt verſa iam improbitas in naturam videatur, quam cum ſola vita deponat.

Proſiliunt ex hoc otio murmurationes, dictorum factorumque aliorum obtrectationes. nam cùm paria alijs aut nolimus, aut vitio noſtro non poſſimus, fit vt damnemus in ijs, quæ nos aut magnitudinis terrore, aut otij amore fugimus: & cùm deſperemus aſſequi in alto poſita, pigeatque ad ardua dexteram porrigere laboribus territos, dolemus reliquos generoſo difficilium calcatu, quaſi per ſudores & ſanguinem ad excelſa

Digitized by Google

decurrere. naſciturq; hinc optimarum quarumcunq; rerum inuidentia: à quibus dum ob coniunctam ferè individuo quodam nexu difficultatem, manum remouemus, alienæ virtutis inuidentia ſtimulamur & depaſcimur; conamurque reliquos aut propoſitis, ac in immenſum auctis difficultatibus terrere, aut ſperatorum ex iis fructuum extenuatione auertere. quòd ſi non aſſequamur, ambitioni, aut inani placendi Superioribus aliiſque ſtudio conatus hoſce aſcribimus.

Inualetudinis deinde metu ab arduis quibuſque reliquos auocamus. ac ſi quæ tota Religione exempla ſint eorum, quos in medio magnarum rerum conatu valetudo aliquando deſtituit; ingenti illa amplificatione in terrorem adducimus; deteriora etiam ob oculos ponentes. quæ res non parum momenti ad terrorem habet. Voluntario interim ſilentio teguntur innumeri, quorum maximis conatibus valetudo reſpondit. tacentur deinde quos in otio aut immatura & inexpectata mors præoccupauit, aut perpetua quædam inualetudo tenuit.

Digitized by Google

nuit. tacentur denique quorum inualetudo otio creuit, decreuit laboribus, quiq́ue non antea otio natam ægritudinem depoſuerunt, quàm ſe laboribus darent, quorumq́ue quaſi per gradus laboribus valetudo creuit, vt tantum valetudinis accederet bonæ, quantum laboris.

Et ſanè plurimum damni ex amico hoc quorundam otio reliquis accedere negare non poſſumus. Valent enim hæc maximè in iunioribus in exemplum, ac ſub prætextu valetudinis tuendæ, otij creſcit amor: quod ſemel deguſtatum, minùs generoſa pectora perfacilè in ſolidum, quietis quadam dulcedine ad ſe rapit, detinetq́ue illicibus his prærogatiuis, moleſtiarum & laborum carentia.

Ad hos interim otij amatores prono quodam lapſu vitia decurrunt. & ferè omnes tales in ſomnum pronos, in cibum ac potum æſtuoſos, in corporis denique commoda omnia procliues videas, ac tandem in carnẽ labentes. Laboribus ſanè caro frangitur, ſudoribus tanquam fluminum ſuperfuſu flamma illius reſtinguitur, otio roboratur, ac

Digitized by Google

ac tanquam olei superiectu accenditur: & vt non facilè insurgit laboribus tanquam cæstibus domita, ac quasi pedibus conculcata caro; ita non facilè prostrata iacet, otio fota, delicijs commodisque exstimulata. Docemur hoc omnium Sanctorum monitis, & quotidiana propè in omni Religione experientia, vt ad lapsum non alia pronior via sit. & ferè bona pars illorum, qui semel ad Religionis aratrum porrecta manu, retrò respexerunt, ad Ægyptias ollas, ad honores & cõmoda; ab otio, & laborum fuga viam sibi ad præcipitia prostrauerunt: vt verè dixerit Sapiens Pro. 15. *Via pigrorum quasi sepes spinarum: via iustorum absque offendiculo.* & alibi Pro. 19. *Pigredo immittit soporem, & anima dissoluta esuriet.* Gregor. Past. p. 3. c. 16. nam *mens quia se ad superiora non stringendo non dirigit, neglectam se inferiùs per desideria expandit. Et dum studiorum sublimium vigore non constringitur, cupiditatis infimæ fame sauciatur: vt quo se per disciplinam ligare dissimulat, eo se esuriens per voluptatum desideria spargat. cui rectè per Salomonem dicitur, Pr. 20. Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo æstate, & non dabitur ei: qui enim nunc ex bo-*

Digitized by Google

nis operibus non exudat, cùm sal iudicij feruentior apparuerit, quia frustra regni aditum postulat, nihil accipiens æstate mendicabit.

Remedia.

A Superiorum in strenuos operarios beneuolentia sumenda sunt. vt quos magno religiosóque conatu in proximorum salutem incumbentes vident, nullis laboribus, nec propriæ valetudini parcentes, eos & singulari affectu prosequantur, & currentes sistant, & iniecta paterna manu, beneuolè reprimant, deque necessarijs omnibus vltronea ac munifica dextera, etiam reluctantibus prouideant.

In alios verò, quos in medio magnorum laborum cursu fractos reperiunt, vniuersum paternum affectum profundant, nihil deesse patiantur, & quantum Religio patitur, peculiaribus fauoribus prosequantur, vltro misceant colloquia, consilijs etiam dandis adhibeant, nec quicquam illis eorum quæ ad honestam recreationem, decentémque ac religiosam animi laxationem faciunt, deesse patiantur, vltróque etiam ingerant, &

ad

Digitized by Google

ad illa cogant.

Exemplo deinde ſuo, magnorum Imperatorum more, reliquos Superior excitet. Incredibile quantum hoc in ſubditorum animis valeat, vt vel ſolo pudore etiam illi excitentur qui ad otium promiores ſunt.

Exemplis denique, maximè in Religione, aut in Eccleſia Dei illuſtrium, qui affecta etiam valetudine, magna ingenti auſu conatuque aggreſſi, ad felicem exitum deduxerunt. Iam ſi vita laborantes deſtituat, quid in omnem æternitatem glorioſius, quàm fortium militum more, in mediis ſudoribus, laboribus, ſanguineque vitam ponere? nec ingloria aut ignaua morte vilem animam emittere; factáque priùs fortia indecora morte ſignare?

Proderit etiam vt, ſi quos otio & ignauiæ ſe dare viderint, nulla eos ſibi familiaritate iungant, nullis familiaribus colloquiis dignentur; ſed tanquam ignauos, & Religionis quoſdam quaſi fucos ac vomitus auerſentur. vt vel dedecore, ac prudenti quadam paterni affectus repulſa contemptúque ad meliora impellantur.

Vtile

Digitized by Google

Vtile etiam fuerit tales in humilibus quibuſque officiis continere, & ab omnibus dignioribus remouere; ad extremas etiam quaſdam habitationes, minúſue nobiles reiicere; aliorum etiam monitis, ac in primis Præfecti ſpiritus ad labores prouocare, præmiis ac non rarò minis etiam propoſitis; vt quos non poteſt amor, non magnorum exempla, impellat timor & verecundia è contemptu nata.

Neque res vlla potentiùs dæmonum incurſibus reſiſtit, impetum frãgit, quàm perpetua ſeriarum rerum occupatio. Hinc illud Bernardi ad Fratres de monte: *Varijs autem officijs occupatus, nullis vacabis cogitationibus, & dum ab alio tranſis ad aliud, opuſq; ſuccedit operi, illud ſolum mente tenebis, quod agere compelleris.* & Hieron. ad Ruſtic. *Facito ſemper aliquid operis, vt te ſemper diabolus inueniat occupatum*: Eccli. 33. *multam enim malitiã docuit otioſitas*. Vitabit ſanè quiſquis ſaluti ſuę ſtudet, quiſquis illi ex animo conſultũ volet. neq; enim poteſt mens humana, tãquam in ignauo quodã ſopore tota cõquieſcere. ſemper aliquid agat neceſſum eſt: igni perſimilis, qui érũpit in

in flammas, in ſcintillas, in fumum: & antè ferrum diſrumpet & chalybem, quàm arctetur anguſtijs. facit idem mens noſtra, antè diffringet hæc vincula quibus illigatur, quàm vt in pigro hoc carcere ignaua delitescat. bona deſunt? verſabit mala. hæc ne illam teneant, melioribus diſtincatur. nec magno admodum hîc molimine opus eſt. aſſueſcat bonis; abibunt in naturam. fœcundus nimirum animorum ager. ſementem immitte bonam, reſpondebunt fructus.

CAPVT X.

Studiorum neglectus.

QVem inter prima Religionis mala ſi quis numerauerit, non multùm aberrabit: nam quid à iuuentute ſperes, ſtudiorum ardore ſepoſito? vt nihil agat in illo ętatis flore & æſtu, nequidquam ſperes; vt ad meliora conuertat mentem, fruſtra expectabis: nam qui ſemel excuſſit iugum, ad quod ab obedientia deſtinabatur, reliqua contemnet. & quid poteſt in ea ætate maius

eſſe

Digitized by Google

esse, quàm solida fundamenta victuræ in omnem ætatem eruditionis, in salutem proximorum natæ, serio magnóque conatu & ausu iacere? aut quæ res plus apud proximos in venerationem, admirationem, laudem, fidem, sequelam valet, quàm profundæ vt virtutis, ita & conceptæ eruditionis opinio? quam non facilè ignauus quisquam & altioris eruditionis contemptor consequetur. prodet se illius aliquando infantia & inscitia, tantúmque ferè à salute illorum promouenda decedet, quantum ab eruditionis opinione.

Eam ad quæ se adolescens neglectis conuertet studijs? ad otium, laborum fugam, ad vitia denique omnia, quæ ex otio nasci consueuerunt. aliqua nimirum re necesse vt vacuam à studijs mentem occupet: desunt alia? conuolabit ad vitia, ac tanquam in præceps actus, toto pronus corpore ad ea delabetur; trahétque exemplo suo tenerrimum quemque, inde robustiores etiam, & quibus plusculum virilis pectoris est: tandémque iunctis quasi manibus viribúsque, ad profunda labentur vitiorum.

Et

Digitized by Google

Et ferè virtutes comitantur ſtudia, vt quem ſeriò totíſque animis videris illis incumbentem, pari propè generoſitate virtutibus inſudantem reperias. idem enim propè ardor æſtuſque qui in ſtudiorum, in virtutum amorem rapiet. longè ſanè erit à vitiis, vt quibus aſſiduis ſtudiis aditum præcluſerit. ſeriis enim occupata mens non facilè illorum importunitati patebit. occupatio omnis moram poſtulat, poſcitque tempus: quod ſi negaueris, excluſeris ab occupatione. ille negat, qui vniuerſum animum iis detinet, & cuius totam mentem ſtudiorum occupauit amor, ſancta quadam æmulatione, proximorumq; ſperata ſalute, tanquam ſtimulis actus. qui cùm omnem aditum præcluſerit vitiis, virtuti aperuiſſe cenſendus eſt, quæ vltro vacuam vitiis mentem occupare ſolet. ſanè paratior mens talis ad virtutum ſuſceptionem eſt.

Iam ſtudia ferè ipſa, ardorque illorum, mentem ad magna & generoſa prouocat, ad contemptum minimorum & viliſſimorum quorumcunque excitat; ad deteſtationem impellit vitiorum, vt quæ indigna arbitratur

Digitized by Google

tur viro ad maiora gradienti: & cùm veretur maculam gloriæ, abstinet ab iis, quę ad contaminandam illam nata sunt. cùm verò virtutem nullo studiis impedimento & dedecori, adiumento verò & honori maximo esse senserit; tanquam in amicam, studiorúmque suorum sociã prona voluntate rapitur.

Adde, longa nos edoctos experientia, pari propè feruore religiosos ferri in orationem, piáſq; exercitationes, quo rapiuntur in studia. Nã & studiorum neglectus ignauiáque transit in orationem; & sciẽtiarum ac eruditionis ardor in orationis studiũ. nec difficile est æstuãtem studiis animum pari in orationem æstu transferre: vt languentem in studiis, ignauiáque otiúque amore subactum, in reliquis ferè languere ac ignauescere videas.

Ab hoc verò studiorum lãguore omnium propè spiritualium rerũ nauseã proficiſci, ac quoddã piarum rerũ fastidiũ reperies; indeetiã murmurationes, detractiones, inuidentias, cibi potúſq; auiditatem, cõmodorúmq; corporis, ac complacẽdi aliis studium. Nam cùm deesse sibi ad maiora subsidia videant, & otij amantes, laboribúſq. territi, nolint ad ar-

Digitized by Google

ardua conniti, ab aliis ambitioni suæ subsidia mendicant. Inde iam placendi conatus, adulationes, & politici spiritus ingentia semina, in validas arbores nascitura, ni potentibus sectionibus & vstionibus fortiter obuiam eatur.

Remedia.

OMnia propè à Superiore pendent. nec difficile est, adolescentiores maximè, quasi substratis ignibus in studiorum ardorem impellere; si modò priùs hoc æstu inardescat Superior, remque non perfunctoriè, sed seriò tractet. Si frequenter suos quà publicè, quà priuatim animet. Si ardentes, laude & præmijs; ignauos, dedecore & pœnis prouocet. Si hos etiam amoueat à studijs; illos externa quadam paterni affectus beneuolentia accendat.

Magnum etiam momentum in hanc rem magistri adferunt. quos si studiorum laborumque amantes nacti fuerint, pari ardore sanctæ cuiusdam æmulationis studio ad illa rapientur, maximè si frequentes & seriæ cōmendationes illorum accesserint; si amica quæ-

Digitized by Google

quædam cum ſtudiorum amantibus familiaritas, & externa beneuolentiæ neceſſitudo; ſi frequens in conatu animatio; ſi ignauos non patiantur inultos; ſi in priuatis publiciſque illos diſputationibus ad ruborem etiam patiantur deprimi; ſi acrioribus ſtimulent verbis; ſi frequenti diſputationum ac defenſionum recurſu hos fatigent; vt quos non ſociorum exempla, non Superiorum monita, erubeſcentia extimulent, & pœnarum metus.

Plurimùm etiam proderit ad animos excitandos, monita Præfecti ſpiritus, aliorumque domeſticorum Patrum, quibus languidiores familiari aliquo nexu conſtricti ſunt, ſociorumque prouocatio.

Inuigilandum etiam Superiori erit, in linguæ Latinæ vſum. ferè enim linguæ illius neglectum, ſtudiorum neglectus ſequitur. quem enim linguæ Latinæ & elegantia & copia delectat, delectant etiam ſtudia, [illegible] quibus parari illa non poteſt. quem ſerò nulla capiunt ſtudia, nec elocutione audebit. Mutuo enim ferè contemptus ſe uorum horum, amorque ſequuntur. ne-

l que

Digitized by Google

que facilè ſtudiorum contẽptor linguæ elegantiam amabit, aut ſequetur, ſequeretur, ſi amaret. rapimur enim ad amata. amaret, ſi ſtudia amaret, quæ linguę calamíq; elegãtia exornãtur. Dandáque in hoc genere opera Superiori eſt, vt elegantiæ etiam in elocutione ſtudeant ſui. & turpe eſt ab externis in hoc genere Religioſos vinci. turpius etiam, non poſſe animi conceptus Romana lingua, terſa & fluente exprimere: ſed hęrere ad ſingula virum alioqui non ineruditum, vt qui ſcientias profitetur, balbutiat ad illarũ explicationem. Neque erit difficile, ſi exemplo præeat Superior, laudéque, præmiis ac pœnitentiis reliquos excitet, maximéque iuniores, & humaniorum literarum magiſtros, ac cuiuſcunque profeſſionis ſtudioſos. ſerióque caueat, ne qua in recreationibus lingua, quàm Latina vtantur, vt aſſuetudine vſúque promptam ſibi illam, [illegible] támque faciant; ne barbarie ſua & Religioni & ſibiipſis dedecori, & aliis graues ſint.

LIBER

LIBER TERTIVS.

SVPERIORVM ET INFERIORVM COMMVNES MORBI, ET CVRATIONES.

CAPVT I.

Orationis neglectus.

RATIONE enim tanquam rore suo, aut cæleſti imbre deſtitutus animus neceſſe areſcat, abeátq; in vagum puluerem, omni vento ſæcularis afflatus varie diſpellendũ. Et ſane qui agro quamuis natura ſua fertili imbrem rorémque fœcundantem ſubtraxerit, ille ſimul ſperatos fructus in ſemine tanquã falce demetit. Ac licet nonnunquã ſemen bonitate ſua ex-

Digitized by Google

urgat, ſpemque in herba promittat; niſi nube rigetur, æſtu ſæuiente, omni meliore ſucco viduatur, vt in cineres tandem diues illa ſponſionibus herba fatiſcat, ornatu ſuo nudata, ſpoliata robore. Eadem in animo cogita. Sortitus aliquis mentem bonam eſt, & promittebat Dominicis horreis meſsē amplam; verùm negatus cælo ros ſuus, & fœcundans ſubtracta pluuia, miſeram reliquit ſibi, omneſque illas locupletes ſponſiones vertit in arenam. Cæleſtes illæ pluuiæ mentem vndique irrigantes, & quadam pinguedine ſua fœcundantes, gratiæ ſunt cælo repoſitæ, quas ex opulenta nube ſua depluere Dominus conſueuit in animum orationi ac pietati deditum: nec ferè delabi gratiam illum imbrem copioſo fluxu permittit, [illegible] orationum precúmque vi pellectus, Cre[illegible] nubem illam diuinam non pluere, niſi [illegible] mentium noſtrarum vapor ſumma petie[illegible] ac quaſi in cęleſtibus orationū vi concre[illegible] rit, à cæleſti ſole magno in ſublime tractus. atque hinc Proph. Regius Pſ. 142. *Meditatus ſum in omnibus operibus tuis, & in factis manuum tuarum meditabar. Expandi manus meas ad te: anima*

Digitized by Google

nima mea ſicut terra ſine aqua tibi. & commodiſſimum huic orationum generi nocturnum ac matutinum tempus. hinc illud eiuſdem: Pſ.62. *Memor fui tui ſuper ſtratum meum, in matutinis meditabor in te.* & Pſalm.76.& 33. *Meditatus ſum nocte cum corde meo, & exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum.* & alibi: Pſal. 118. *Peruenerunt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua.*

Vt cibo potúque ſpoliatum corpus diu vitam tolerare non poteſt; ita & mens noſtra orationis cibo fruſtrata, quo vno nutriri, foueri, roborari ſolet, omni breui ſpiritáli vita exuitur. nam vt corpori terreſtri cibus ſuus terra eſt, ita animo cæleſti à cæleſtibus ſperari cibus debet. quo fruſtratus cõtabeſcat, ac quaſi meliori ſucco emedullatus, exareſcat: maximè dum vis illius concupiſcentiarum vndique ignibus obſeſſa eneruatur, hoſtilibus illarum flammis excocta; euigoratúrq; robur omne, potenti harum incurſu protritum, vt niſi à cælo nouæ accedant vires, noua ſuggerantur robora, diu ſalua conſiſtere mens noſtra nõ poſſit: ſperari verò à cælo non debẽt, niſi valido orationum

Digitized by Google

noſtrarum prouocamento excitatus Dominus cœleſtibus ſuis donis roborauerit egentem, ſtipaueritque contra incurſantia inimica agmina potentibus dexteræ ſuæ armis, firmiſque illam diuinæ gratiæ propugnaculis fulſerit, ac in circuitum vallauerit contra nocte dieque procurſantes hoſtiles acies: vt quantum nimirum hinc inimicitiarum ac oppugnationum, tanta inde gratiarum ac propugnationum materies ſubminiſtretur. quod ſine orationum aſſiduo cultu fruſtra ſperemus.

Et ipſa ſanè oratio, validum in omnes hoſtiles procurſus propugnaculum eſt: illa enim mēs noſtra de propinquo iuncta Deo, ſub protectione dexteræ illius, omnes hoſtiles ridet conatus, valentiore clypeo diuinæ manus tecta; perennique diuinæ potentiæ aſſociatione, non metuit minitantes ac procurſantes mundi ac inferorum acies. Vt dama in ſummo inacceſſi montis vertice venatorum ridet conatus, & ſæuientium infra canum illudit rabiem ſecura de loco: ita anima orationum quibuſdam alis ad ſuprema euecta, & Deo ſuo inhærens, de vicini-

Digitized by Google

cinitate illius omnem hostilem sæuitiam contemnit, secura de protectione. Eleganter in hanc rem Chrysostomus libr. 2. de Oration. *Quemadmodum ciuitas, quæ muris cincta non est, facilè venit in potestatem hostium: propterea quòd prorsus absit id quo fuerat hostium incursus arcendus: sic & animam non munitam precibus diabolus facilè in suam redigit potestatem, nec multo negotio omni scelerum genere implet. Nam ad animam quidem precibus munitam, non audet propiùs accedere, metuens robur ac fortitudinem, quam illi deprecatio subministrauit, magis vegetans animam quam cibus vegetat corpora.*

Quod anima corpori, hoc oratio est animę: illam qui sustulit, vita simul exuit; hãc qui subtraxerit, meliore vita spoliabit: & cũ omnis animi vigor, vitaque à cęlestibus donis, diuinisq; inspirationibus pendeat, quibus necessum est carere mentem, quæ ex orationis neglectu talibus destituitur, fit vt mortuo similior sit, vt quæ cælesti vita, qua vna verè viuit, spoliata, in ignauo quodam sopore consepulta iaceat. Et sanè nisi continuo diuinorum influxu fulciatur, labascit & colliquescit tota, mortemq; bibit,

tot modis diu noctúque ab inimica inferorum manu propinatam, ignara generis ſui, improuidáque futurorum, immemórque creatoris ſui ac Dei: & iam hoſti mancipata, & duro æternùm ſeruitio obſtricta. Hinc illud Chryſoſtomi li. 1. de orand. Deum: *Quiſquis non orat Deum, nec diuino colloquio cupit aſſiduè frui, is mortuus eſt & vita carens, experſq; ſanæ mentis. nam hoc ipſum euidentiſſimum ſignum eſt amentiæ, non intelligere magnitudinem huius honoris, nec amare deprecandi ſtudium, neq; hoc habere perſuaſum, quòd animæ mors ſit non prouolui ad Dei genua. quemadmodum enim corpus hoc noſtrum, ſi non adſit anima, profectò mortuum eſt ac fœtidum, ſic anima niſi ſeipſam incitet ad orãdum, mortua eſt ac miſera, ac grauiter olens.* Et deterior longè animæ mors eſt, quacunque corporis morte; cùm deſtituta anima cæleſti vita ſua, orationis neglectu, graui ſomno defoſſa iacet, vt nec diuinæ virtutis rorem influxúmque ſentiat, nec mala ſua perſentiſcat, nec amiſſorum bonorum deſiderio tãgatur; tanquã vna obliuionis ſpongia, quidquid fuerat antè bonorum, deletum videatur. quæ omnia ab orationis demiſſo ſtudio pau-

Digitized by Google

paulatim irrepunt, donec ad extrema demum hominem ſuum deducant, & ad miſeranda Religionis præcipitia propellant.

Exempla nos docent illorum, qui deſerta Religione, ab orationis ferè neglectu initia ruinę duxerunt; neque quiſquam ad crimina deſcendit, aut in iis inualuit, callumue obduxit, qui non antè in orationis ſtudio intepuit; vt meritò oratio meditatioque tutelaria arma, validaque aduerſus hoſtem propugnacula dici poſſint, quibus munitus animus, nullo hoſtili robore ſuperari poteſt. ſtat inuictus aduerſus carnem, mundũ, diabolum, validis his ſpiritalibus armis protectus. Sed neque exareſcere mens poteſt, perenni hoc orationum fonte rigata, cæleſtiumque indies gratuitis donis perpluta. quòd ſi validè vndique oppreſſa ceciderit, promptiùs exurgit, periculaq; vulneraq; orationis ardorib. excita agnoſcit; neque diutiùs proſtrata licet, inhærere luto huic poteſt; quæ potentibus hiſce diurnis adminiculis, & tanquam auxiliaribus præualidis copiis fulcitur.

Quod cor viuenti, hoc oratio eſt animæ.

Digitized by Google

illud ſuſtuleris, vitam ademeris. orationem tolle, & tanquam clauo & cæſtibus animæ vitam excuſſeris, quam ab oratione habet. qua ſpoliata, tanquam in ignauo ſopore proſtrata ac conſepulta iacet.

Quod condimenta menſis, hoc animæ oratio. inſulſus ſine illis cibus, & faſtidio ac nauſeæ propior: idem euenit animæ oratione deſtitutæ, nauſeabúdos tranſiget annos, & in ignauo languore, ac diſplicentia etiam ſui deſidem vitam trahet.

Quod gemma annulo, hoc oratio animæ, annulli decor gemma, animæ gloria oratio: à qua ſplendorem lucemq; accipit, gratam cæleſtium oculis, adeoque & Dei.

Quod flos horto, pomerio poma, botrus vineæ, nemori laurus, paſcuo flumen, vallibus torrentes, fontes montibus; hoc animæ oratio. hinc mentis gratiſſimi flores quibus cæleſtis Sponſi vertex coronatur, hinc illa malogranata dilecti manib. decerpta, hinc botrus vineæ Engaddi quo inebriatur ſponſus, hinc æterna laurus nullo fulmine ferienda, hinc felicia oculorum flumina, torrentéſque ſingultibus ab alto ductis proruen-

Digitized by Google

ruentes, fontéſque ſummo montium Domino ſalientes.

Quod laſſo requies, mœrenti gaudium, inopi aurum, fatiſcenti robur, nerui corpori, ſpiritus ſanguíſque vitæ; hoc animæ oratio eſt. alta ſecuráque pace mentem firmat, ingenti lætitia perfundit, cælorum opibus donat, vires ſuggerit, diuinóque quodam ſpiritu animat iacentem ac torpentem, ac nobiliore quodam cæleſtium donorum ſanguine, pectoris mentíſque venas implet.

Quod ſol diei, luna noctibus, nauigantibus ſtellæ; hoc oratio eſt animæ. ſol enim diem animæ pulſa criminum nocte ſtatuit, cæleſtéq; lumen præfert, diuiníque amoris radiis calefacit, gratiarúmq; donorúmque fœcundo influxu inopem mentem, omníque ope deſtitutam locupletat: ſcelerum verò tenebris oppreſſis, denſaque delictorum caligine circumſeptis, errantibúſque in tenebricoſo peccatorum ſenticeto, noua luna felices aperit & oſtendit, & à fallentium errore viarum reuocat. tentationum denique fluctibus oppreſſis, ſæuíſque tentationibus iactatis, inter ſcopulos & breuia

Digitized by Google

oppugnantium nos vndique hostium, tuta littora, portumque gratissima stella designat, desperatisque rebus, & tantùm non insurgentium vndique vndarum procellosis iactibus absorptis manum eminus porrigit, & ad tot votis, suspiriis, lacrymisque optata deducit.

Quod gluten, calx, clauí, funes iungendis firmandisque rebus, hoc oratio Deo & homini. qua vna tanquam glutine adnecti-mur, tanquam calce astringimur, tanquam clauo conterebramur, tanquam fune colligamur illi. Deme quibus illa in humanis iunguntur, & collabascent quæ associata mutuo fuerant. tolle orationem, qua vna coadunescit anima Deo, nec multo, dilabimur, & denectimur illi, quantumuis potenti priùs orationum vinculis constricti. ita perpetuari oratio debet, si perpetuanda cum illo coniunctio est.

Quod secures prævalidis secandis lignis, quod mallei igneisque ferro domando, hoc oratio duris veteribúsque peccatorum nodis secandis, ac inueteratis, ac quasi chalybatis criminum consuetudinibus contun-

den-

Digitized by Google

dendis ac emolliendis est.

Quod speculum faciei, hoc oratio animæ est. illud maculas deregit, oratio animæ nævos, vt nihil reconditæ deformitatis, aut internæ inuenustatis latere diu possit orationis speculo proposito. intima enim peruadit, & nudam oculis proponit. siquid tortuosum, si quid degenerat aut aberrat à fine cui creatum, vniuersum nudat & aperit, & tanquam è latebris eruit, ac in apertam deducit lucem.

Quod musica homini, hoc oratio Deo. neque enim vllus illi concentus gratior oratione supplici mẽte & corde prolata. nullus illi cantus suauior, inter suspiriosos ductus tanquam inter saxa & scopulos mœrentis animæ & cupientis dissolui, & esse cum sponso suo: nulla illi musica sonantior densis oculorum fluminibus imbricata, ac tanquam salientium ac supernè cadentium lacrymarum modulis variegata: hinc tardè ac quasi gemmatim prosilientiũ, vt ad grauitatem de composito credas fluere; ibi celeri motu ac quasi mutuo se fatigantium & opprimentium lapsu, vt in multitudine festino-

ſtinoque lapſu, arbitreris ludere; vbique in venuſtatem, lætumque cæleſtium oculis proſpectum.

Quod cella vinaria ſitienti, quod torcular muſto plenum, quod vinea odorato flore grauida, quod arboribus floribuſq; conſitus hortus; hoc oratio eſt animæ, vt bibat & inebrietur ſpõſus. neque alijs clauibus amoris cellæ aperiuntur, aut cæleſtia reſerantur vaſa, aut torcularia redundant, aut vineę diuitem autumnum ſpondent, aut animorum horti gratos cæleſtibus fructus, cæloque perennaturos flores ſpondent.

Quod hominibus cellę aromatum, hoc oratio eſt animæ. hinc illa currebat in odorem vnguentorum dilecti ſui, non aliis quàm orationis paſſibus; & non aliis quàm orationum ſponſę ſuæ odoramentis excitus ſponſus, columbam ſuam, ſpecioſam ſuam amplectitur.

Quod gladius anceps bis acutus, bis hoſtem feriens, hoc oratio animæ. in quamcumq; enim ſe aduerſarius partem verterit, ſigna intulerit, aciem direxerit, paratum orationi deditum reperiet. quódque inſtructiſ-

Digitized by Google

ctiſſimus exercitus in inimicam aciem, hoc oratio eſt animæ. nam hac vna cælorum angelorúmque legiones, ipſéque cæleſtium ductor legionum Deus, euocatur. neque inſtructior alia acies eſt, quàm mutuo ſibi ſuccedens oratio.

Quod nobiliſſima medicamenta morbis medendis, hoc oratio eſt animæ. neque potentior vlla medicatio, nulláque certior curatio quàm ab oratione venit. Docent hoc omnium ætatum exempla. nobile ſanè mithridaticum, generoſa theriaca oratio eſt. cui valentiſſima inferorum, mundi, carníſque venena comparata flacceſcunt.

Quod corona regia nobiliſſimarum gẽmarũ multitudine variegata regio vertici, quod armillæ aureæ pretioſorum lapidum textura collucẽtes, quod ornatus regius argento, auro, purpura grauidus regio corpori; hoc oratio eſt animæ. Nullæ enim gemmæ cælo lucidiores oratione, qua verticem, collum, brachia dilecti ſui ſponſa, tanquam nobili amoris vinculo ſtringit, ſibíque æternùm adnectit. nullum argentum, aurum, purpura cælo gratior. hac vna decorat ſpon-

Digitized by Google

ſponſum ſuum ſponſa, purpuratq; nobiliſſimo auro gemmiſque intertexto pallio, amoris ſui teſſera, latè interlucentibus votiuis flammarum ſuarum deſiderijs, tanquam primis cælorum ſtellis.

Remedia.

FRequentes Superiorum de damnis neglectæ orationis exhortationes & monita: de fructu etiam & varia vtilitate frequentatæ orationis.

Exercitationum ſpiritualium annuus vſus, & frequentior etiam, ſi qua neceſſitas poſtulauerit, aut maior quædam ignauia teporque hominem occupauerit, vt annuo vno exercitiorum igne non videatur poſſe accendi.

Præfectorum ſpiritualium in hanc rem incumbentium aſſidua ſollicitudo, diligenſque in vnoquoque inueſtigatio, ſerieque monitiones.

Frequens lectio piorum librorum, eorumque maximè, qui de neglectæ orationis damnis, quique de fructu, emolumentis, & orationis neceſſitate ſcripſerunt.

Iu-

Digitized by Google

Iuuabit in primis frequens ſeriáque cogitatio innumerabilium propè bonorum quæ ex vnica oratione diuite venà promanare ſolent.

Hac vna quidquid in humanis intercurrit áduerſitatis, tanquã molli ſpongia deletus, aut tanquã flumine diluitur, aut tanquã valido vento inimicæ nubes metum incuſſurę pelluntur, omniaq; procurſantia mala vt leues aquilone iactatæ paleæ difflantur.

Hæc tormentis ſuperiores cultores ſuos facit, pœnarumque contemptores, ignibus, clauis, ferro, cruce maiores; neque ſentit animus in neruo, ſub ènſe & ſecuribus qui per orationem coniunctus Deo eſt. credas in aliena carne carnifices ſæuire, cùm mens per orationem conditori ſuo iuncta eſt.

Hæc facit contemptorem ſæculi, cùm hac vna diſcat homo, quantum inter cæleſtia & humana diſcriminis interiaceat, quantóque diuina terrenis potiora, quantúmque æterna perituris antiſtent.

Hac intellectus illuſtratus nil niſi cæleſtia ſapit, deſipítque illi quidquid hîc magnum & nobile, quod illis comparatũ non niſi

niſi calcantium protrimentum pedum eſt.

Hac voluntas cæleſti amore inebriatur, vulneratur, nec quidquam iam felici vulnere ſaucia præter dilectum quærit cælo recluſum : illum turturis inſtar compare deſtituti, ſuſpirioſis queſtibus amore languidis, lacrymíſque ſuauè fluentibus, ardentibus votis depoſcit.

Hæc vna ingentem animo voluptatem parit, cùm mens cæleſtibus potata gaudiis mœrorem omnem detergit, illúmque in gaudialem diem conuertit.

Hæc incorruptos nos ſeruat Deo, cùm hac vna ſalis inſtar condiamur, & ab omni vitiorum putredine intacti ſeruemur. neſcit mens putreſcere hoc animorum ſale confricata, intáctamq; ſe ſponſo ſuo ſeruat.

Hac vna ductrice virtutes omnes parantur, vitia extirpantur. Docemur hoc ętatum omnium ſæculorúmque exemplis, cùm eos legamus omnibus ſemper virtutibus cultiſſimos fuiſſe, qui ſpeciali orationis prærogatiua florerent.

Hæc nos iungit Deo, diſiungit ſæculo, diſcriminárq. ab huius amatoribus. ſine qua ſola

Digitized by Google

ſola ab his veſte diuidimur; pareſque nos angelis facit. cùm hac vna ad angelorum faſtigia tollamur, & mente Deo quodam familiarioris coniunctionis nexu aſtringamur, & quantum diuina permittunt, mutuę cuiuſdam amicitiæ vinculo colligemur.

Sanè nihil tam potens eſt quod oratione non conſequamur. hac ſcelerum veniam conſequimur, extenſam in vindictam iudicis manum, animumq; flectimus, æternis ignibus pœniſque abolitis. hæc enim vna certa vt præmiorum, ita & pœnarum felix procreatrix eſt. ſine qua nullæ cæleſtes gratiæ, auxilia nulla ſperanda ſunt. petite & dabitur vobis. mentiri Veritas non poteſt, præmia petenti ſpondet; negatura torpenti.

Et certè vana ſine hac omnis noſtra religio eſt, & vmbræ ſimilis, cùm quidquid ſolidæ religionis eſt, ab oratione tanquam capite, & diuite fonte defluat; inaniſque omnis ſine hac medulla, ſine his neruis, ſangineq; vis ac robur, & vmbræ quàm corpori ſimilior ſit. nemo verò huius cultor aut cecidit grauiùs, aut diu in delicto proſtratus iacuit, cùm orationis quadam quaſi manu erige-

Digitized by Google

geretur in pedes, in ſpem vitæ melioris, peractæque pœnitudinem culpæ.

Qui verò hanc negligit, præcipitio proximus eſt, facilis ad lapſum, pronus in ruinam, cùm, quibus per orationem firmabatur præſidiis ac fulcimentis, ſpoliatus ſit.

Et nemo ſanè carni reliquiſque vitiis paruit, niſi hac nudatus. nemo hac munitus ſanguinem hoſti dedit, vulneráue mortem allatura retulit. quid? quòd adeò potens ab hac vna medicatio petatur, vt innumeri huius ſolius præſidio firmati in æterna caſtitate ſteterint. cùm perpauci hac deſtituti in ſepulcrum caſtimoniam deduxerint.

Et verò quicunque Religionis deſertor audiuit, antè orationem proiecit & calcauit: à cuius neglectu, per contemptum ad iurata Religionis ſigna deſerenda, regia via deſcenditur.

CAPVT II.

Ariditas, & in oratione diſtractio.

QVA mens tanquam terra ſibi relicta, nullo aut rore rigata, aut pluuia de cælo

Digitized by Google

lo pasta, arescit, abitque in cinerem, ventis non multo post insurgentibusque tempestatibus futura ludibrium: vel quacunque etiam decidua cœlesti nube fœcundata fuerit, quibuscunque mortificationis rastris ac vomere prosciſſa; manet tamen in inerti sua sterilitate, nec nisi perpetua vigilique cura assurgit aliquando ex ignaua & infœcunda sua procubatione. Quod vt faciliùs dignoscatur, remediáque malo huic admoueantur, aridi tatis ac distractionum harum causæ examinandæ sunt. quare videndum,

Num ex innata quadam naturæ conditione, instabilitate ac leuitate, quæ certis adhærescere nesciat, aut vni insistere, aut materiæ defectu, discursus inopia, aut adnata aridi tate malum oriatur. quod frequens multis malum est, eóque maioribus remediis eget, quò cum natura illis pugnandum est: frequénsque hoc vitium non tantùm in iis, qui omni studiorum adiumento carent; sed doctis etiam, quibus innata quędam mentis inconstantia est, aut quibus impotens imaginationis vis dominatur, quáque violenter in alia rapiuntur, vt incogitantes ab omni o-

ratione

Digitized by Google

ratione alieniſſimis immergantur. Crederes nauem validis irruentibus aquilonibus, nequidquam pugnante domino, ad inimica littora rapi. quo maior cura ac ſollicitudo adhibenda, ac principiis omni ſtudio occurrendum eſt, præſcindendo omnes auocantium occaſionum radices, nec vel tenuibus parcendo ne exurgant in maius malum, habitumque induat qui patitur; & è leuibus his initiis innaſcantur, non niſi violenta poſtmodum manu medicanda.

Num ex inordinato ad vitia affectu, ſiue à natura ingenito, ſiue vſu exercitioneque comparato: quæ res impedimenta adfert plurima, nec patitur mentem cæleſti rore rigari: ſaxeſcit enim, ac quaſi rupeſcit anima vitiorum habitu roborata, omniſque è cæleſti nube imber proruens è rupeo hoc mõte facilè dilabitur; aut ſanè vt in profundam vitiorum arenaream congeriem decidens tam altè ariditate illius, exſuccoq; ſolo imbibitur, vt nulla propè tantarum cæleſtium aquarum veſtigia ſuperſint. Euertendum proinde omne hoc ſolum frequenti potentiſque ſuſpiriorũ ductu, tanquam raſtris, exſcin-

Digitized by Google

scindendęque animorum illę rupes violenta manu, serio conatu, frequenti lacrymarum fusu. nec desperandum aut intermittẽdus labor, donec cum radice excaudicemus malum. Maior omni malo animus sit, & vincemus. Nihil inuictum audenti; succedit sperata victoria, si validè insistamus operi. Terretur tiro clamoribus & minis, veterano etiam vulneribus crescit animus. Idem corandũ nobis, ab ipsa difficultate animus sumendus. Vincit quisquis vincere audebit.

Num ex occupationum multitudine, quibus spiritale semen suffocatur, animúsq; ad externa rapitur potenti illorum dominatu totus possessus, ac quasi in seruitutem redactus, assiduóque illorum vsu adeò altè pertinctus, vt vix elui hic color possit, quacunque etiam cælesti pluuia inebrietur.

Num ex cælestis influxus subtractione ariditas hæc proueniat. Causę hîc inuestigãdę negati aut subtracti influxus, diuinarúmque gratiarum; nostra ne culpa subtractio hęc euenerit, impedimenta ne à nobis iniecta sint; repercussus cælestis influxus duritia cordis nostri, delapsus frigore ac tepore nostro

noſtro, protritus nimia ad ſęcularia effuſione, excuſſus contemptu, ac ingratitudine noſtra, repulſus peccatis noſtris; proiectus, ac in fugam actus occultis vitiis noſtris, ſuperbia inprimis, mente nō caſta, detrahendi facilitate, mutuæ charitatis diſperſione, obedientiæ ac paupertatis neglectu, regularum ac conſtitutionum tranſgreſſione, politici & ſæculares ac aulici ſpiritus proſecutione ac imitatione? An verò nulla cauſa noſtra, ſed vel innata quadam naturæ. tanquam puluerulenti ſoli, ariditate. An ſolius Dei nutu, idque aut in meritorum augmentum, aut exercendę virtutis ac roboris cauſa, aut in exemplum denique & inſtructionem aliorum.

Quibus omnibus ſeriò occurrendum, cùm ferè ex hac ariditate ſpiritualium rerum nauſea enaſcatur, omniumque virtutum faſtidium; cùm languorem ſuum mens conſiderat, tædioque ac diffidentia quadam ſperatæ emendationis, in deſperationem tandem melioris conſecutionis labitur, indéque ad extrema malorum omnium prorumpit, ad vocationis ſuæ languorem, negle-

Digitized by Google

glectum, contemptum, desertionem, ad vitia denique omnia. Neque quidquam tam graue aut immane est, quod his initiis, tanquam è copioso fonte, fertilique vena non profluat, ac in apertum vitiorum omnium campum prosiliat. Vt meritò huic malo magnis remediis occurrendum sit, ne vniuersa animæ nostræ area cælesti imbre destituta, arescat tota, & in steriles soluatur arenas, aut in noxias degeneret miricas, in venenarios frutices, in cespites dominum fallentes, solaque fuliginosa fauilla diuites, spemque fœcundæ glebæ solique mentientes.

Validè nos monet Cyprianus de Oration. Dom. *Quæ segnitia est, alienari & capi ineptis cogitationibus & profanis, cùm Dominum deprecaris? quasi sit aliud quod magis debeas cogitare, quàm quòd cum Deo loquaris: quomodo te audire à Deo postulas, cùm te ipse non audias? vis esse Deũ memorem tui cùm rogas, quando ipse memor tui non sis?* bene in segnitiei detestationem, in verecundiæ prouocationem. audiri venimus: & dũ preces fundimus, animus aliis distinetur. Simulationis hæc species est, & illudentis non deprecantis Dominum. nemo

m reus:

Digitized by Google

reus iudicis aduolutus pedibus incertus de exitu, inter mensarum delicias animo lasus accumbit: nemo pauper eleemosynam supplicibus deposcens votis, opes suas ostentat: nemo eger medicas in dubia valetudine deposcens manus ludit & ridet. nos tot criminum rei, omnium egeni, extremis malorum morbis iactati, peccatorum vulneribus conciſi quid exſpectamus? remedia poſcimus, & tam ignauo frequenter pectore, vt orandi potiùs videamur veniſſe quàm oraturi. hinc illa increpantis Domini verba ſunt, Mat. 15. *Hypocrita, bene prophetauit de vobis Iſaias, dicens, Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.* Scio vix ſperari in humanis poſſe, vt ab omnibus aliarum rerum cogitationibus liberi vacuiſque, ſoli Deo inhęreamus, nec iactemur aut feramur ſæculi motibus, conatum tamen adhibebit Religioſus, totumque ſe diſpellendis illis impendet, dolebitque de importunis varium rerũ procurſibus monitore Caſſiano Collat. 23. c. 7. *Quis tantum ſpiritus potuit vnquã retinere feruorem, vt non interdũ lubricis cogitationibus, in ipſa quoque orationis intentione tranſ-*

Digitized by Google

trãslatus repẽte de cælestibus ad terrena corruerit? qua licet omnia nõnullis, qui sunt crassioribus vitiis inuoluti, leuia, atque à peccato penè aliena videãtur, sciẽtibus tamen perfectionis bonum, etiam minimarum rerum multitudo grauissima est. Sequatur proinde magno conatu Apostolum præeuntem 1. Cor. 14. *Orabo spiritu, orabo & mente: psallam spiritu, psallam & mente.*

Remediæ.

PRimi generis iuuari poterunt, si frequentibus feruentibusque mentem animent pascantque iaculatoriis orationibus memores Apostoli, Colos. 4. *Orationi instate vigilantes in ea.* &, 1. Thess. 5. *Sine intermissione orate.* Frequenti etiam sed breui ferè, & interrupta piarum rerum lectione; ac si quando meditationi se dederint, propositæ meditationis primo puncto perlecto, seriò de eodem aliquid cogitent, similitudinibus, aliisque à se inuentis materiam extendentes, claudantq; breui aliqua oratione, Transeant deinde pari modo ad secundum, tertiũ, quartum, donec inueniant in quo animus magis conquiescat, in eoque persistant.

Secundi generis, si laborauerint, vtas-

Digitized by Google

fectionum radices assidua cura, & particularis examinis studio euellant, sperare victoriam possunt, maximè si temporario & aduentitio malo tenentur: si adnato, & quod cum ipsa quasi natiuitate adoleuit; maiore diligentia & assiduitate opus erit, maiore etiam cautela & custodia sui; amico etiam aliquo monitore, maximeque spiritualium rerum Præfecto, qui vbi dignum aliquid monitione obseruauerit, non parcat.

Tertij generis nulla videntur re magis iuuari posse, quàm frequenti per annum spiritualium exercitiorum repetitione: frequentatæ enim per exercitia meditationes facilè animum memorem sui, etiam in mediis occupationum turbis statuent, nec patiétur superuacuè effundi. Audet in mediis occupationibus regijs Propheta Psalm. 38. *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescit ignis.* & Psalm. 140. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* quid non poterit Religiosus si conatum adhibuerit? Iuuabit etiam ante occupationum aggressiones, animum cum Deo componere; illisque finitis, dicta factaque secum examinare.

Digitized by Google

minare. vnde illud Sapientis Eccli. 18. *Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum.*

Quarti generis, animi submissione (Eccli. 35. *oratio humiliantis se nubes penetrat*) tolerantia, perseuerantia, spe meliorum, diuinorum decretorum conformatione iuuari poterũt: maximè si sibi persuaserint, ariditatem hanc, subtractionemque diuini influxus euenire ad gratiæ & gloriæ augmẽtum, ad amoris & ardoris excitationem; dum negata in amorem sui prouocant, fortiusque accendunt, & alliciunt ad se animos, & tanquam calcaribus cogunt, parantq; ad condolentiam in aliorum ariditatibus: ad eruditendam demde mentem, in aliorum instructionem; ad submissionis augmentum, & spiritalis superbiæ victoriam; ad virium etiam nonnunquam conseruationem, ne ex spiritualium consolationum & illustrationum affluxu contabescant; ad patientiæ denique exercitationem, imbecillitatisque suæ cognitionem, cùm vident, quàm nihil possunt, cùm solitariè sibi relinquuntur.

Digitized by Google

Nemo hîc dicat, Non possum. quanti omnium litterarum rudes inculti, omnibus educationis probæ præsidiis destituti, moribus indomiti & efferi, & barbara gẽte nati, ad summum orationis apicẽm, venerunt? si non defit animus, reliqua aderunt. nulli enim tam natura nouerca fuit, quæ illum orationis præsidio nudauerit. facile est protendere cælo manus, mentem, verba. &, si verum illud Sapientis est Eccli. 15. *Appositit tibi aquam & ignem: ad quod volueris porrige manum tuam. ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei dabitur illi. quoniam multa sapientia Dei, & fortis in potentia, videns omnes sine intermissione. oculi Domini ad timentes eum, & ipse agnoscit omnem operam hominis. Nemini mandauit impiè agere; & nemini dedit spatium peccandi.* quanto promptiùs faciliúsque mentem per orationem coniunget Deo, Creatori, Domino, Regi, Iudici, Medico, Redemptori, Patri, animæ suæ Sponso? nulli occludit ostia Deus & pater, cùm ipse vltrò prouocet Apoc. 3, *Ecce sto ad ostium & pulso. si quis audiuerit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo,*

Digitized by Google

& ipſe mecum. & alibi Matt. 23. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* non repelle, admitte rogantem. aderit; nec ſolitarius. non ſolet nuda venire munificentia, ſed cęleſtibus inſtructa gratuitis donis, quibus obſequentem, paſci & ornari deſiderantem, cibat & beat animam. (Prou. 8.) *delicię* enim illius, *eſſe cum filiis hominum.* nulla hoc in re elucet magis, quàm in oratione: vt gaudere videas Deum, ſi potenti ſubmiſſaque ſuorum oratione, prouocetur ad dona, ad familiares congreſſus, ad amicas mutuáſque ſermocinationes, vt exuiſſe illum arbitreris perſonam Dei, induiſſe hominis.

CAPVT III.

Neglectus lectionis ſpiritualium librorum.

EQuibus hauriuntur arma tutelaria aduerſus hoſtes, quorum robore opprimimur, medicaminaque in ſpiritualium morborum, priuſquam animum obſederint, præcautionem; vbi obſederint, depulſionem: diſcimuſque ex his non magno negotio,

Digitized by Google

tio, quæ multorum ſæpe annorum dubia nõ rarò pugna, & periculis non tantùm proximi, ſed & immerſi, & obruti etiam malis didicerunt viri magni: vt quaſi vno oculi iactu & morborum & medicamentorum, pugnarum & victoriarum diſcamus genera. ita quod aliis ſudoribus & ſanguine ſtetit, nobis non magno labore parémus. Idem hîc accidit, quod aurum per immenſa terrarum mariſque ſpatia, inter vitæ mortiſque ſpem metumque quærenti; quod alteri extra periculorum terrores laborumque moleſtias vltrò defertur.

Et ferè videmus eos qui piorum librorum lectionem negligunt, ad minùs probatos decurrere, è quibus non rarò nocituras flammas hauriunt: & iam ardet fornax, & iaculatur in propinquo flammas, quorum antè pectus frigora & glacies conſtrinxerat.

Completur deinde homo totus veſanis his ignibus, non multo pòſt in alienum ſexum erupturus; hiſtoriis etiam fallentibus & mentientibus, inaniumque litterarum ſcoria, vaniſſimarumque fabularum narrationibus. inde iam furit in tragœdia, amat in co-

Digitized by Google

tom cœdia, liuet in satyra, ludit in epigrammate, adulatur in elegia, bellumque intonat in aliis, omnemque intus non rarò faciem induit noui alicuius lupanaris. & ferè harum rerum curiosiores gentilitatem cum his imbibunt, & cum illa animæ mortem.

Hinc colloquia nascuntur parum religiosa, modesta, casta, sæculum & aulam redolentia, alieniſſima ab omni pietate: & totus homo procurrit in historias aut veteres, aut nuperas, in narrationes nihil nisi vanitatem loquentes; vt in exilium pulsam credas omnem sermocinationem religiosam. sequuntur liberiores cachinni, inmoderati risus, gestus solutior, vox clamosior, diffunditurque vniuersus homo in sæculi mores. Contrà quos piorum librorum frequentata lectio delectat, paria etiam colloquia, & cogitationes delectant; vt in mediis etiam externarum rerum occupationibus, piis cogitationibus pascantur, facileque ad illas in quacunque etiam secularium consuetudine descendant, vtanturque pro re nata talibus magno solatio suo, magno aliorũ fru-

Digitized by Google

ctu; monendis etiam, & ad optima quæque impellendis, copioſam in promptu ſuppellectilem habeant, qua & ſolenter mœrentes, reprimant effuſos, erigant deiectos, deprimant arrogantes, animẽt timidos, refrenent audaces, mitigent iracundos, excitent languentes, recreent afflictos; medicamentis denique ad omnem ſpiritalem morbum curandum abundent. Neque enim deeſſe his remedia poſſunt, è tot præſtantiſſimis ſpiritualium rerum officinis deprompta.

Sed neque deeſſe materia poteſt in omni ſerio, aut familiari colloquio, proximorum ſaluti aptata: ſemper enim ex iis quæ à lectione repoſuit aſſiduus ſpiritalium lector, ad manum habet plurima, quibus vtatur, ac tanquam è locuplete penu depromat vina, magnorum antea torcularibus & calamis protrita.

Et ferè optimum quemque Deóque cõiunctiſſimum piorum lectionibus delectari videmus; plúſq; ex illis ſolidę haurire voluptatis, quàm quotquot ſęculo immerſi ex omni conuiuiorum apparatu, inaniúmque lectionum & confabulationum ſerie: cùm

&

Digitized by Google

& animi gaudia certiora, tutiora, puriora, potentiora omnibus corporis voluptatibus sint, possessorémque suum via recta ad felicem æternorum fruitionem ducant; corporis verò ad interitum, & miserandam pœnarum flammarùmque perrennitatem,

Et experiuntur illi, qui studiis hisce capiuntur, tanta frequenter animorum solatia, tàmque valida, vt præ his non deligant orbis imperia, contemnántque quidquid hîc magnam, tanquam verrucam terræ adnatam, tanquam folium aquilone raptum, tanquam puluerem vento agitatum, tanquam bullam concha excussam; rideántque magnorum omnium conatum in gloriam, in diademata & sceptra, in purpuram & opes momento eripiendas, & vt plurimùm ignibus præmiandas.

Discet deinde ex his libris lector morbos sæpe suos, quibus ignarus premebatur; simúlq; remedia discet; variarum etiam tentationum, & inimicarum fraudum circumuentiones, dolósasq; hostilium insidiarum machinationes, vt cùm dolos cognouerit, nouaculásque spongia tectas, effugere sciat

Digitized by Google

pericula,& imminentia vitæ damna. totum denique ſeipſum, tanquam in ſpeculo intuetur, abditarúmque ſæpe ægritudinum intima depaſcentia viſcera cauſas agnoſcit, mortémque è propinquo minitantem: de cuius vicinitate, aliorum docetur exemplis, viréſque robúrq; induit, prudentibus Scriptorum conſiliis tanquam clypeis, ferro & vallo cinctus; variámque breui ſapientiam colligit, cùm è ſingulis quod prudentiſſimum eſt haurit; ac tanquam in vnum faſciculum compoſitum ſibi ac occurrentibus neceſſitatibus ſeponit, vſurus vbi res ratióque poſtulauerit.

Iam cùm in humanis animus ſibi non ſufficiat, ſed à variis ferè profutura mutuari cogatur, breuíque ſcriptorum compendio, multorum ſudoribus vti poſſit; facilè videmus quantis deſtituantur auxiliis, qui aut aliorum, cùm poſſint, meſſes colligere negligunt, aut alienos labores contemnunt, neq; horrea quidē ſua aperire dignantur, aut torcularia mutuare, alieno autumno grauidanda, aut alieno pecore ſtabula locupletanda.

Et ſanè ſtolidum videtur, quod ſine labore

Digitized by Google

bore possis, ingenti sudore, nec rarò non profuturo, parare velle: quasi ingratæ sint opes, quæ vltro obueniunt, ac, nisi sanguine sudoreque diu tingantur, displiceant. Docemur ab apibus, quæ à variis propinanda mella sugunt, etiam à venenariis quibusdam floribus; vt mente captum non immeritò dicas, qui vltro oblatam ab aliis scientiam, rerumque prudentiam contemnit; tanquam si inglorium, sit alienis noctibus & lampadibus erudiri, & sapientiam discere.

Remedia.

FRequens prouocatio sui in amorem librorum piorum, certumque in eorum lectione tempus diebus singulis seponere, quod nullis occupationibus elabi patiatur.

Examinis etiam particularis circa hanc rem institutio.

Communicatio cum aliquo spirituali viro circa ea quæ quis legit, & maximè cum Præfecto spiritus, aut illo non inferiore.

Pia quædam curiositas in variorum lectione excitata, desideriumque varia cognoscendi. Prudenter Hieronymus ad Demetria-

Digitized by Google

mettiadem, *Vnum illud tibi nata Deo, præq; omnibus vnum prædicans & repetens, iterumq; iterumq; monebo, vt animum tuum ſacræ lectionis amore occupes, nec in bona terra pectoris tui, ſementem lolij auenarumq; ſuſcipias.* & alibi ad Celentiam. *Maximum ad iuſtitiam auxilium eſt, implere diuinis eloquiis animum, & quod opere exequi cupias ſemper corde meditari.* ibidem: *Præcipua tibi cura ſit, legem noſſe diuinam, per quam poſſis quaſi præſentia cernere exempla Sanctorum, & quid faciendum ſit, quidúe vitandum, illius conſilio diſcere.* Inuitat in hanc lectionem magnis non ſponſionibus Auguſtinus in pſal. 18. *Sunt quædam delicia ſancta in libris, ſunt gaudia ſpiritalia ex diuinis eloquiis ſcrutatis & inueſtigatis, ex dulcedine inuentionis, quam præceſſit labor inquiſitionis.*

CAPVT IV.

Examinis diurni neglectus, aut perfunctoria conſcientiæ diſcuſſio.

QVÆ res maiora ſecum damnà trahit, quàm prima fronte cuiquam videatur: nam cùm ex ſeria, & non perfunctoria ſui diſcuſſione & mala retegantur, & malorum

Digitized by Google

lorum cauſæ; perfacile eſt ad eorum remedia deuenire, ſecareq; ad radicem, aut cum ſemine ipſo euellere. quod in leuibus, ac à ſuperficie tantùm tentatis morborum diſcuſſionibus perdifficile eſt: in quibus perraro ad malorum fontes deſcenditur; vt vel palliata tantùm ex illa naſcatur curatio, vel ignauo hoc neglectu, tacitè ſuccreſcat malum, vireſq; ſumat maiores, quàm vt vis vlla poſtmodum aſſiduitaſque curaque domet & frangat: reperitque tandem homo animæ ſuę hortum cum certo interitu ſementis bonæ, tribulis, ſentibus, zizaniiſque tam densè validèq; conſitum, vt niſi ferrum & ignem admoueat, deſperanda ſalus & fœcunditas ſit. Ita quæ neglectu inualuêre mala, morâ ipſâ ingentia incrementa ſumunt, cùm fœcundior ſemper fertiliorq; noxiorum prouentus ſit. quod in accurata diurna excuſſione locum habere non poteſt, cùm hac vna, quidquid noxium eſt in ſemine, & à radice, tenero etiam tum caule euellatur. neque enim patitur ſeria hæc diurnaque cura mala ſuccreſcere, aut in nocituros frutices arboreſque coaleſcere.

Naſ-

Digitized by Google

Naſcitur ex examinis diurni neglectu ſpiritualis quidã tepor, ac totius hominis languor: qui examinis vi excitari ſolet, ac tanquam ſuppoſito igne exardeſcere, & exurgere in flammas, quibus animi gelu diſcuſſionis frigore concretum ſoluitur. omniſq; mentis torpor tanquam acrioribus ſuppoſitis aculeis pellitur, animiq́ue ſomnus vigili hac excubatione pulſatur.

Labitur etiam facilè ad ſæculi mores, quicunque hanc ſui diſcuſſionem ſegniùs obit. neque pronius quidquam eſt, quàm ad illos prolabi, cùm firmamenta tuendæ Religioſæ modeſtiæ deſint; quæ à diurno examine petenda ſunt. nam niſi continuo quaſi freno mentem contineas, ad aſſueta, & naturæ adgenita dilabitur.

Spiritualibus etiam ſpoliatur armis negligens diſcuſſor ſui. neque enim ſolet illius mentem Deus ſpiritualibus armare ſubſidiis, ac tanquam auxiliaribus copiis protegere: ſed cęleſtibus deſtituit influxibus, quibus & ſe tueatur, & audẽter in hoſtes eat. ſed neque vlla re validiùs armatur pectus, quàm noxiorum depulſu, ſalutariumq́ue accerſione.

Digitized by Google

ſione, vtrumque ſolerti conſcientiæ diſcuſſione conſequimur.

Exuitur hinc etiam paullatim cognitione diuina, cùm enim ex huius neglectu, ſui ignoratione tanquam denſa nube integatur homo, fit vt in cæleſte lumen aciem intendere non valeat. ſoletque Deus lucis ſuæ radios iis ſubtrahere qui & prioris vitæ noctem, & diurnas incurſantes tenebras aſſidua cura non depellunt; ſed in alto negligentiæ cuiuſdam ſomno intepeſcunt perpetuis erroribus ac labyrinthis inerrantes: è quibus nunquam ſe explicabunt, cæleſti ſole ſubtracto.

Sed & nulla re alia à primæuo maiorum ſpiritu degenerare pleroſque videmus. nam cùm diligenti ſui diſcuſſione & praua emẽdentur, & futuris proſpiciatur damnis; fit vt illius neglectu & excreſcant mala, ac tanquam habitum quendam induant, eantque quaſi in naturam, nec præcaueantur damna; ſed cæco quodam impetu in illa proruamus, ac tanquam atra nube tecti in præcipitia voluamur. Et nulla certè reſpublica diu ſtare poteſt, quę legum tranſgreſſoribus impu-

Digitized by Google

punitatem concedit, & in qua cùm bonis negentur præmia, tum improbis condonantur pœnæ. idem in animo, & interiore mentis republica fieri consueuit: in qua nisi iudicem adhibueris, qui delicta puniat, qui in omnem partem intentum oculum habeat, quique seria indagatione in transgressionem inuigilet; nihil exspectandum aliud, quàm quod in republica iudice destituta.

Magnam etiam homo ex hac diligenti discussione suiipsius cognitionem consequitur: qua destitutus, nulla propè spes reliqua bene prudenterq; dirigendi salutis vias. neque enim fortuitò quis se suaq; cognoscet. magnum studium assiduáque diligentia necessaria est, vt quis tam abdita, tórque inuiis vijs recondita, tot anfractibus implexa agnoscat. quod ferè solius examinis vsu euenire consueuit. discit deinde ex hoc quibus subiacet pericula.

Crescit è seria hac cogitationum, verborum factorúmque disquisitione, prudentia. neque enim ille facilè cogitatione, verbo, aut reipsa labitur, qui sua omnia ad quotidianam incudem reuocat. quíque quoties pro-

Digitized by Google

prolixiora cum externis habita colloquia, toties in se redit, audita dictáque discutit maturitatem enim talis ac circumspectionem in omnibus induet, doctus tacere & loqui, neque facilè in pœnitenda aut erubescenda proruet.

Magnum etiam ex hac accrescit animo robur. cùm enim illa duce in noxiorum veniamus cognitionem, quorum detractione melior manet animi habitudo, fit vt huius vires solidentur: non secùs ac corpus corrupti sanguinis emissione roboratur, valetudiníque suæ restituitur.

Continetur dehinc mens in perpetua quadam puritate ac castimonia. vt enim ex assidua zizaniorum eliminatione agrorum perstat integritas, frequentíque domus ac vestiũ emundatione, nitor quidam ac mundities seruatur: ita frequenti seriáque sui discussione, mentis quidam nitor seruatur, ne aut sordibus obtegatur, aut aliquid de splẽdore remittat, aut maculas contrahat; quibus improuida cuiusque negligentia crescentibus, omnis decor obfuscatur. quod vbi euenerit, nihil familiarius, quàm nitoris, pu-

Digitized by Google

puritatis, castimoniæ loco, sordes & impura vota subnasci.

Ducit deinde hæc discussio ad contemptum sui, magnamque animi submissionẽ, cùm in miseriarum nostrarum nos cognitionem deducat, milleque submississimæ mentis caussas præbeat, ac quadam verecũdia totum hominem perfundat. indeque exurgit in admirationem laudesque protegentis, eleuantis ac miserantis Domini: cùm & delictorum suorum frequentiam, & ignoscentis Domini benignitatem contuetur: maximè cùm inter illa nouorũ semper beneficiorum augmenta videat, meritarumq; toties pœnarum condonationem. quæ omnia non possunt non ad toties totque nominibus debitarum gratiarum actionem hominem impellere: simulque metum incutere, ne, si negligentiores in hac fuerimus, benignam misericordemque manum suam subtrahat, & ad immania præcipitia labamur.

Paternum ac benignum in aliorum lapsibus animum inducit, commiserationis viscera aperit. dum enim sua diligens scrutator de-

Digitized by Google

delicta cognoſcit, periculáque quæ ſola potenti diuina manu euaſit; facilis in aliorum culpis eſt, nec tam indignatione, quàm commiſeratione impellente medicam ac paternam manum adhibet, conſcius infirmitatum ſuarum.

Inſtruit etiam ac erudit, peritúmque animarum medicum ſtatuit. neque certior quiſquam illo eſt, qui in ſe mala expertus eſt, quíque ex ſe, aliis mederi didicit, præcauere damna, præſentia pellere, prouidere futuris. ille namque, & morborum magnitudinem, initia, incrementa, exitum, & medicamentorum vim in expertus, faciliùs tutiúſque in alio exercet, quod in ſe didicit. neque vlla certior ſcientia eſt quàm quę experientia naſcitur.

Magnam deinde ſpiritalis lætitiæ cauſſam præbet. cùm diligenti hac diſcuſſione, peccata ac imperfectiones mœrorum ac dolorum cauſſæ euellantur; ac tanquam validis frequentatíſque ventis, noxiorum habituum nubes depellantur. hinc ingens exurgit animo gaudium; innocentiæ nimirum iuuæ, diuinęque protegentis ſe dexterę: quod

gau-

Digitized by Google

gaudium in illa mente esse non potest, quæ ingentium secum turbarum causas circumfert. nam cum è negligenti sui discussione, vitia habitusque praui indies augmentum sumant, necesse etiam prauorum motuum ac turbarum caussas crescere. cùm nullis aliis rebus, tam potentes insurgant animo tempestates, quæ illum continua iactatione tanquam decumanis fluctibus variè in omnem partem impellunt.

Denique ex hac sui sedula peruestigatione, ingens delictorum pœnitudo, melioris que vitæ seriò institutio exoritur. hic enim æternùm profuturæ fluunt lacrymę, quibus tanquam flumine sordes eluuntur; exurgũt ab alto ducta suspiria, quibus tanquam prę ualido fulmine cælos penetramus. Et sanè cùm è neglectu examinis huius, in densa ignoratione nostri versemur, fit vt paullatim grauissima etiam crimina ignoremus, obducto mentis oculo, frequentata scelerum cõgerie. cùm contrà, qui diurna hac sui disquisitione assueuit, non facilè in pœnitenda labatur; aut si labatur, remedia ad manum habeat, seipso pòst robustior & cautior.

Digitized by Google

tior. adeoque vix fieri potest, vt qui seria ac diligenti bis per diem discussione conscientiam perscrutatur, in grauius aliquod delictum corruat; maximè cùm in singulis discussionibus animum in delictorum, etiam minimorum seriam pœnitudinem, ac emẽdationis propositum excitet, in præteritorum lapsuum seuerum dolorem, ac in futurorum cautam prouidentiam.

In quam rem illud in primis proderit, si in singulis conscientiæ discussionibus, seriò, & non perfunctoriè particularis alicuius vitij, in quod frequentius labimur, rationem à nobis seriam poscamus, conferendo inter se præsentis hebdomadæ dies, dispiciendoque quos in propositi vitij victoria progressus fecerimus, cum forti validoque emendationis proposito. quæ res vel vna ad vitiorum extirpationem, ratioresque lapsus plurimum potest.

Remedia.

MAgnorum in Ecclesia virorum in exactam examinis institutionem nos meritò mouere debent monita. Ephrem

Digitized by Google

Tom.3.Serm.Aſcet.verba ſunt: *Diebus ſingulis veſperi & manè diligenter conſidera quo pacto ſe habeat negotiatio tua, ac mercimonij ratio. & veſperi quidem ingreſſus cubiculum cordis tui, examina teipſum & dicito; Putáſne hodie in aliquo Deum exacerbaui? nunquid verba otioſa protuli? num per contemptum negligentiamq; peccaui? nũ in re aliqua fratrem irritaui? num alicuius famam detractionibus laceraui?* Eadem matutino tempore præſcribit. eadémque S. Dorotheus Serm. 1. *Veſperi ſedulò quiſque perquirat & inueſtiget, quomodo pertranſierit diem illum. rursũ manè examinet quomodo exegerit noctem illam.* & D.Bernardus Lib. de vita ſolit. *Manè præteritæ noctis fac à temetipſo exactionem, & venturæ diei tu tibi indic cautionem. veſperi diei præteritæ rationem exige, & ſuperuenientis noctis fac indictionem. ſic districto nequaquam tibi laſciuire vacabit.*

Bonorum, quæ à ſeria ac frequentata conſcientiæ diſquiſitione naſcuntur, recordatio; malorúmque ac periculorum, quę à diſquiſitionis neglectu proficiſcuntur, commemoratio. & ferè ſola frequens diligenſque diſquiſitio ſui ſatis erit ad omnia vitia ſu-

Digitized by Google

ſuperanda. Sapienter Chryſoſtomus de cõp. cord. *Hoc ſolum eſt quod à nobis expoſcitur, vt ſemper recordemur mala noſtra, & conſcientiam geſtorum noſtrorum habeamus ante oculos, vt pro his ſupplicemus Deo.*

Fortis, ac ſæpiùs iterata apud animũ ſuum propoſitio, ſeriò in accuratam conſcientiæ examinationem incumbendi. Quòd ſi quæ impedimenta intercurrerint, quæ dilationẽ ſuadeant, aut conſuetum examinandi tempus adimant; nullo tamen caſu, quantacunque neceſſitate occurrente, omittenda diſquiſitio hæc erit; ſed primo quoque tempore à grauioribus vacuo, exequenda.

Proderit etiam vitæ mortiſque incertitudinem ſæpe ſibi proponere, variorúmque ſubitos caſus, miſerandos & inexpectatos exitus, momentaneóſque exceſſus, & in ſũma non rarò valetudine, robore ac iuuenta, improuidos raptus: è quibus timorem ſimilis in nobis exitus prouocemus, pérque ſerias has conſcientiarum diſquiſitiones, mẽtem ad ſubitas has & momentaneas mortes paremus. Ad quam rem iuuabit in primis, ſi quando aut grauius delictum, aut grauius

Digitized by Google

periculum occurrerit, non expectare consueta disquisitionum tempora, sed subitam in se excitare pœnitudinem, prouocareque in se contritionis actum.

Consultum etiam fuerit, si quando negligentia nostra disquisitio hæc omissa fuerit, vltronea aliqua pœnitentia animum ad maiorem sui curam prouocare: vt hac quasi monitione teporem, ac ignauum à se neglectum pellat.

CAPVT V.

Tepiditas in iis quæ spiritum tangunt.

VT non immeritò tales lenta tabe, & febri hectica cõsumi dixeris, quorum robur pedetentim emedullatur, vt nec sentientes mala sua corruant, quoque ruinæ propiores sunt, eò minùs pericula sua persentiscant.

Nec alteri rei commodiùs hæc tepiditas, animiq; languor comparari potest, quàm blattis & tineis, interiora validorum etiam lignorum rodentibus, vt si moram feceris, nudum corticem, exeso robore reperias.

Rectè

Digitized by Google

Recte etiam assimilari tepidus potest hydrope aut aqua intercute laboranti, à qua paullatim opprimitur & suffocatur. Ignauus planè morbus, qui à paruis initiis serpendo, tibias ferè, indeque vniuersum corpus occupat: suffocatque quidquid generosorum spirituum toto sparsum iacebat corpore, enecatque quidquid magnum abditum latebat fibris, vertitque in limosam quandam saniem quidquid venis claudebatur valetudinis bonæ.

Melancholicis etiam humoribus pregrauato similis est tepidus: nauseabundo in omnibus stomacho. ad omnia varius & inconstans, sibi aliisque grauis, aliorum contemptor & sugillator, inuidiaque in prosperioribus aliorum successibus intumescēs. cui cùm nihil placeat, displicent omnia. frigidos calentesque iuxtà auersatur. nec bonus haberi potest, nec malus vult. Prou. 13. *Vult* nimirum *& non vult piger, anima autem operantium impinguabitur.*

Sed & similis est limaci, ignauissimæ inambulationis pigra fœdaque vestigia relinquenti; cùm inerti volutatione corpus re-

Digitized by Google

ptando trahit, ſignatque ignauas circumductiones ſpurca colluuie, ingenti ſpectantiũ calcantiumque faſtidio. idem in tepido reperies, qui in omni actione, teporis ſui lenta veſtigia relinquit, nauſeam ardentibus paritura, & ſanè nihil ab illo exſpectes, præter ignauas quaſdam molitiones, pigro tepore ſignatas, vt aliquid voluiſſe illum potiùs, quàm feciſſe deprehendas: adeoque nec voluiſſe quidem, niſi quæ propenſioni ſuæ amica, amicum teporem fouent.

Vetus dictum & verum, Potior eſt exercitus ceruorum leone ductore, quàm leonum ceruo duce. vt videamus omni gentiũ ſententia, quantum poſſit ardor, animúſq; excelſus; quantum ſecum detrimenti damnique trahat mens vilis & tepore quodam cincta. leo nimirum vnus tot ceruos leones facit, ceruus vnus tot leones ceruos. Ita accenſus ductoris animus in reliquos ardorem ignemque diffundit; mens tepida ducis in omnes teporis languoriſque ſui virus iaculatur. Ad ardua ſanè, & victura idoneus eſſe tepidus non poteſt; cùm quæ in poſteritatem abitura ſunt, calorem & ignem

quæ-

Digitized by Google

quendam exigant: ſine quo nemo manum extendit ad victura. Ingens nimirum animus eſſe debet, qui ad excelſa dexterã porrigat. hunc animum interior quidam æſtus propellit. at in tepido languet omne pectus, caretque hoc magnarum cogitationũ prouocamento. & ſanè niſi amoris quidam æſtus hominem protrudat, quid ſperari magnum poteſt? cùm ab vno amore meritorum magnorumque menſura naſcatur. ab illo nemo excluditur. pares Reges diuiteſque ſeruis pauperibúſque ſunt. nulla conditionum, genituræ, opum, honorum diſcrimina amor nouit. hunc amorem in tepido non reperies: ardoribus enim amor omnis fulcitur, ignorat frigora. Iam quam mercedem à Deo tepidus ſperet, mercedis menſura deſtitutus? neque enim ille tam donorum magnitudinem, quàm largientis ardorem intuetur. miſera alioqui futura pauperis cõditio, qui ſola mente, magna magnis remuneranda præmiis donare poteſt. ita viduę illius Euangelicę laudatus animus, nõ minuta duo. & maiora hæc fuerunt magnorum theſauris, cùm ab ingenti animo duo venirent

Digitized by Google

rent minuta, abitura in talenta, si opes animis pares fuissent.

Nec in vno primo possessore suo tepor hic manet, sed noxiæ instar scabiei ac pruriginis contubernales occupat. arbitreris lepram latè se spargentem, ac in obuia quæque sæuientem. ita serpit hoc malum, & ab vno capite totam propè non rarò familiam occupat. extinguiturque vnius exemplo ardor quidam mentis, ac quasi iniecto flumine tepescit prior flamma. & qui ignis antè fuerat, nunc solo fumo, ignem aliquando fuisse ostendit. pœnitet nimirum ignium quia pœnitet laborum: molliaque blandaque amplectimur, cùm domesticum exemplum videmus. noxia enim potentia in exemplum & imitationem sunt.

Ingens deinde teporem pusillanimitas comitatur, animus deiectus, varij metus ac timores plurimum inanes, suspicionumque integra nemora. quæ omnia potiendarum rerum desperatione clauduntur: è qua malorum omnium extrema nascuntur. bonitatis diuinæ diffidentia, miserationis desperatio, ac denique cælestium non iam neglectus

Digitized by Google

ctus tantùm, ſed & contemptus quidam. nam cùm labores fugiat, videatque ſe ad illa ſine his peruenire non poſſe, in contemptum illorum deuoluitur: cùm carere cæleſtibus malit, quàm ſudorem in illorum proſecutione fundere. ita carior illi cæleſtibus ſudor eſt. vt ſimilis ſit illis qui apud Sapientem inclamant: Sap. 2. *Extinctus cinis erit corpus noſtrum, & ſpiritus diffundetur tanquam mollis aër, & tranſibit vita noſtra tanquam veſtigium nubis, & ſicut nebula diſſoluetur, quæ fugata eſt à radiis ſolis. Venite ergo & fruamur bonis, vino pretioſo & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis, coronemus nos roſis antequã marceſcant: nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra.* cùm enim deſperent cæleſtia quæ ſolis laboribus parantur, vertunt conatum ſuum mollem ad humana, omnemque in iis felicitatem ponunt, cùm non magnis ſudoribus hæc parentur, vt quæ obuia ſint, & vltrò etiam ſe ingerant, imò & non rarò etiam reluctantur ſe obtrudant.

Et verò nemo è nobili Religioſo vertice, niſi per immania teporum præcipitia ad malorum profunda delapſus eſt: vt per te-

Digitized by Google

piditatis incrementa, tanquam per præcipites gradus, aut decliuia montium, ad infelicia præcipitia labamur. nemo etiam Religiosam stationem signaque in quæ iurauerat desertor reliquit, qui non priùs à teporibus his proritatus ac delinitus, longa quasi manu ad turpem infortunatamque fugam deductus fuerit. nemoque spiritalis militiæ desertor audiuerit, qui excusso tepore, fortiter Religiosam semitam presserit.

Benè dictum à Sapiente: Sap. 4. *Spuria vitulamina non dabunt altas radices, aut stabile firmamentum collocabunt. Et si in ramis in tempore germinauerint, infirmiter posita à vento commouebuntur, & à nimietate ventorum eradicabuntur. confringentur enim rami inconsummati, & fructus illorum inutiles & acerbi ad manducandum, & ad nihilum apti.* Spuria in Religione vitulamina, & torpore quodã desides sunt, remotissimi à germanorum Dei filiorum affectu. neque altas in ea radices tepor aget: neque debilius vllum fundamentum tepore est. cui quidquid superstruitur, aduersis ingruentibus, radicitus euellitur: sed neque si excreuerit in arborem, ramos fructusque dabit

Digitized by Google

dabit perennaturos: ac si quos dederit, insuaues, & in fauillas aut quasi in farinam cõmolendos dabit. insipida enim omnis operatio tepentium est, & stomachum motura. vnde illud Apoc. 6. *Vtinam frigidus esses, aut calidus: sed quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo.* Nec mirum hoc videri debet. cùm tepidus omnis instar tepentis sit aquæ, vomitum prouocantis. quid verò fœdius vomitu in humanis? nauseantis verò hîc stomachi consuetudo exprimitur; qui noxia à se valido impulsu repellit, vt reliquo corpori bene sit: ne, si nocitura hæc contineat, ad reliqua abeat hoc virus, & toti paullatim corpori interitum paret. Hinc grauis etiam illa interminatio; Iere. 48. *Maledictus qui facit opus Dei negligenter.* nec mirum, cùm in tantæ maiestatis oculis constitutus, ignaua quadam socordia diuinas res exequitur, tantis promissionibus locupletatas, tanquam si res ludicras pertractaret. ita dum ludit in re salutis, infelici plurimùm exitu luditur; & seriò destituitur à Domino, qui non seriò tanti Dei res peregit.

Fortiter proinde per Sapientem nos Do-

Digitized by Google

Tom.3.Serm.Aſcet.verba ſunt: *Diebus ſingulis veſperi & manè diligenter conſidera quo pacto ſe habeat negotiatio tua, ac mercimonij ratio. & veſperi quidem ingreſſus cubiculum cordis tui, examina teipſum & dicito, Putáſne hodie in aliquo Deum exacerbaui? nunquid verba otioſa protuli? num per contemptum negligentiamq; peccaui? nũ in re aliqua fratrem irritaui? num alicuius famam detractionibus laceraui?* Eadem matutino tempore præſcribit. eadémque S. Dorotheus Serm. 1. *Veſperi ſedulò quiſque perquirat & inueſtiget, quomodo pertranſierit diem illum. rursũ manè examinet quomodo exegerit noctem illam.* & D. Bernardus Lib. de vita ſolit. *Manè præteritæ noctis fac à temetipſo exactionem, & venturæ diei tu tibi indic cautionem. veſperi diei præteritæ rationem exige, & ſuperuenientis noctis fac indictionem. ſic districto nequaquam tibi laſciuire vacabit.*

Bonorum, quæ à ſeria ac frequentata conſcientiæ diſquiſitione naſcuntur, recordatio; malorúmque ac periculorum, quę à diſquiſitionis neglectu proficiſcuntur, commemoratio. & ferè ſola frequens diligenſque diſquiſitio ſui ſatis erit ad omnia vitia ſu-

Digitized by Google

ſuperanda. Sapienter Chryſoſtomus de cõp. cord. *Hoc ſolum eſt quod à nobis expoſcitur, vt ſemper recordemur mala noſtra, & conſcientiam geſtorum noſtrorum habeamus ante oculos, vt pro his ſupplicemus Deo.*

Fortis, ac ſæpiùs iterata apud animũ ſuum propoſitio, ſeriò in accuratam conſcientiæ examinationem incumbendi. Quòd ſi quæ impedimenta intercurrerint, quæ dilationẽ ſuadeant, aut conſuetum examinandi tempus adimant; nullo tamen caſu, quantacunque neceſſitate occurrente, omittenda diſquiſitio hæc erit; ſed primo quoque tempore à grauioribus vacuo, exequenda.

Proderit etiam vitæ mortiſque incertitudinem ſæpe ſibi proponere, variorúmque ſubitos caſus, miſerandos & inexpectatos exitus, momentaneóſque exceſſus, & in ſũma non rarò valetudine, robore ac iuuenta, improuidos raptus: è quibus timorem ſimilis in nobis exitus prouocemus, pérque ſerias has conſcientiarum diſquiſitiones, mẽtem ad ſubitas has & momentaneas mortes paremus. Ad quam rem iuuabit in primis, ſi quando aut grauius delictum, aut grauius

Digitized by Google

periculum occurrerit, non expectare consueta disquisitionum tempora, sed subitam in se excitare pœnitudinem, prouocareque in se contritionis actum.

Consultum etiam fuerit, si quando negligentia nostra disquisitio hæc omissa fuerit, vltronea aliqua pœnitentia animum ad maiorem sui curam prouocare: vt hac quasi monitione teporem, ac ignauum à se neglectum pellat.

CAPVT V.

Tepiditas in iis quæ spiritum tangunt.

VT non immeritò tales lenta tabe, & febri hectica cõsumi dixeris, quorum robur pedetentim emedullatur, vt nec sentientes mala sua corruant, quoque ruinæ propiores sunt, eò minùs pericula sua persentiscant.

Nec alteri rei commodiùs hæc tepiditas, animiq; languor comparari potest, quàm blattis & tineis, interiora validorum etiam lignorum rodentibus, vt si moram feceris, nudum corticem, exeso robore reperias.

Rectè

Digitized by Google

Rectè etiam assimilari tepidus potest hydrope aut aqua intercute laboranti, à qua paullatim opprimitur & suffocatur. Ignauus planè morbus, qui à paruis initiis serpendo, tibias ferè, indeque vniuersum corpus occupat: suffocatque quidquid generosorum spirituum toto sparsum iacebat corpore, enecatque quidquid magnum abditum latebat fibris, vertitque in limosam quandam saniem quidquid venis claudebatur valetudinis bonæ.

Melancholicis etiam humoribus prægrauato similis est tepidus: nauseabundo in omnibus stomacho. ad omnia varius & inconstans, sibi aliisque grauis, aliorum contemptor & sugillator, inuidiaque in prosperioribus aliorum successibus intumescēs. cui cùm nihil placeat, displicent omnia. frigidos calentesque iuxtà auersatur. nec bonus haberi potest, nec malus vult. Prou. 13. *Vult* nimirum *& non vult piger, anima autem operantium impinguabitur.*

Sed & similis est limaci, ignauissimæ inambulationis pigra fœdaque vestigia relinquenti; cùm inerti volutatione corpus re-

Digitized by Google

ptando trahit, signarque ignauas circumductiones spurca colluuie, ingenti spectantium calcantiumque fastidio. idem in tepido reperies, qui in omni actione, teporis sui lenta vestigia relinquit, nauseam ardentibus paritura, & sanè nihil ab illo exspectes, præter ignauas quasdam molitiones, pigro tempore signatas, vt aliquid voluisse illum potiùs, quàm fecisse deprehendas: adeoque nec voluisse quidem, nisi quæ propensioni suæ amica, amicum teporem fouent.

Vetus dictum & verum, Potior est exercitus ceruorum leone ductore, quàm leonum ceruo duce. vt videamus omni gentium sententia, quantum possit ardor, animúsque excelsus; quantum secum detrimenti damnique trahat mens vilis & tepore quodam cincta. leo nimirum vnus tot ceruos leones facit, ceruus vnus tot leones ceruos. Ita accensus ductoris animus in reliquos ardorem ignemque diffundit; mens tepida ducis in omnes teporis languorisque sui vim iaculatur. Ad ardua sanè, & victura idoneus esse tepidus non potest; cùm quæ in posteritatem abitura sunt, calorem & ignem quen-

Digitized by Google

quendam exigant: ſine quo nemo manum extendit ad victura. Ingens nimirum animus eſſe debet, qui ad excelſa dexterã porrigat. hunc animum interior quidam æſtus propellit. at in tepido languet omne pectus, caretque hoc magnarum cogitationũ prouocamento. & ſanè niſi amoris quidam æſtus hominem protrudat, quid ſperari magnum poteſt? cùm ab vno amore meritorum magnorumque menſura naſcatur. ab illo nemo excluditur. pares Reges diuiteſque ſeruis pauperibúſque ſunt. nulla conditionum, genituræ, opum, honorum diſcrimina amor nouit. hunc amorem in tepido non reperies: ardoribus enim amor omnis fulcitur, ignorat frigora. Iam quam mercedem à Deo tepidus ſperet, mercedis menſura deſtitutus? neque enim ille tam donorum magnitudinem, quàm largientis ardorem intuetur. miſera alioqui futura pauperis cõditio, qui ſola mente, magna magnis remuneranda præmiis donare poteſt. ita viduę illius Euangelicę laudatus animus, nõ minuta duo. & maiora hæc fuerunt magnorum theſauris, cùm ab ingenti animo duo venirent

Digitized by Google

rent minuta, abitura in talenta, si opes animis pares fuissent.

Nec in vno primo possessore suo tepor hic manet, sed noxiæ instar scabiei ac pruriginis contubernales occupat. arbitreris lepram latè se spargentem, ac in obuia quæque sæuientem. ita serpit hoc malum, & ab vno capite totam propè non rarò familiam occupat. extinguiturque vnius exemplo ardor quidam mentis, ac quasi iniecto flumine tepescit prior flamma. & qui ignis antè fuerat, nunc solo fumo, ignem aliquando fuisse ostendit. pœnitet nimirum ignium quia pœnitet laborum: molliaque blandaque amplectimur, cùm domesticum exemplum videmus. noxia enim potentia in exemplum & imitationem sunt.

Ingens deinde teporem pusillanimitas comitatur, animus deiectus, varij metus ac timores plurimum inanes, suspicionumque integra nemora. quæ omnia potiendarum rerum desperatione clauduntur: è qua malorum omnium extrema nascuntur. bonitatis diuinæ diffidentia, miserationis desperatio, ac denique cælestium non iam neglectus

Digitized by Google

ctus tantùm, ſed & contemptus quidam. nam cùm labores fugiat, videatque ſe ad illa ſine his peruenire non poſſe, in contemptum illorum deuoluitur: cùm carere cæleſtibus malit, quàm ſudorem in illorum proſecutione fundere. ita carior illi cæleſtibus ſudoreſt. vt ſimilis ſit illis qui apud Sapientem inclamant: Sap. 2. *Extinctus cinis erit corpus noſtrum, & ſpiritus diffundetur tanquam mollis aër, & tranſibit vita noſtra tanquam veſtigium nubis, & ſicut nebula diſſoluetur, quæ fugata eſt à radiis ſolis. Venite ergo & fruamur bonis, vino pretioſo & vnguentis nos impleamus, & non pratereat nos flos temporis, coronemus nos roſis antequã marceſcant: nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra.* cùm enim deſperent cæleſtia quæ ſolis laboribus parantur, vertunt conatum ſuum mollem ad humana, omnemque in iis felicitatem ponunt, cùm non magnis ſudoribus hæc parentur, vt quæ obuia ſint, & vltrò etiam ſe ingerant, imò & non rarò etiam reluctantur ſe obtrudant.

Et verò nemo è nobili Religioſo vertice, niſi per immania teporum præcipitia ad malorum profunda delapſus eſt: vt per te-

Digitized by Google

piditatis incrementa, tanquam per præcipites gradus, aut decliuia montium, ad infelicia præcipitia labamur. nemo etiam Religiosam stationem signaque in quæ iuraverat desertor reliquit, qui non priùs à teporibus his proritatus ac delinitus, longa quasi manu ad turpem infortunatamque fugam deductus fuerit. nemoque spiritalis militiæ desertor audiuerit, qui excusso tepore, fortiter Religiosam semitam presserit.

Benè dictum à Sapiente: Sap. 4. *Spuria vitulamina non dabunt altas radices, aut stabile firmamentum collocabunt. Et si in ramis interim germinauerint, infirmiter posita à vento commouebuntur, & à nimietate ventorum eradicabuntur. confringentur enim rami inconsummati, & fructus illorum inutiles & acerbi ad manducandum, & ad nihilum apti.* Spuria in Religione vitulamina, & torpore quodã desides sunt, remotissimi à germanorum Dei filiorum affectu. neque altas in ea radices tepor agit, neque debilius vllum fundamentum tepore est. cui quidquid superstruitur, aduersis ingruentibus, radicitus euellitur: sed neque si excreuerit in arborem, ramos fructusque dabit

dabit perennaturos: ac si quos dederit, insuaues,&in fauillas aut quasi in farinam cõmolendos dabit.insipida enim omnis operatio tepentium est,& stomachum motura. vnde illud Apoc.6. *Vtinam frigidus esses, aut calidus:sed quia tepidus es,incipiam te euomere ex ore meo.* Nec mirum hoc videri debet. cùm tepidus omnis instar tepentis sit aquæ, vomitum prouocantis. quid verò fœdius vomitu in humanis? nauseantis verò hîc stomachi consuetudo exprimitur, qui noxia à se valido impulsu repellit,vt reliquo corpori bene sit:ne,si nocitura hæc contineat, ad reliqua abeat hoc virus, & toti paullatim corpori interitum paret. Hinc grauis etiam illa interminatio; Iere.48. *Maledictus qui facit opus Dei negligenter.* nec mirum, cùm in tantæ maiestatis oculis constitutus, ignaua quadam socordia diuinas res exequitur, tantis promissionibus locupletatas, tanquam si res ludicras pertractaret. ita dum ludit in re salutis, infelici plurimùm exitu luditur; & seriò destituitur à Domino, qui non seriò tanti Dei res peregit.

Fortiter proinde per Sapientem nos Do-

Digitized by Google

minus ad labores inhortatur Prou. 6. *Vade ad formicam, ô piger, & considera vias eius, & disce sapientiam: quæ cùm non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe quod comedat. Vsquequò piger dormies? quando consurges è somno tuo? paullulum dormies, paullulum dormitabis, paullulum conseres manus tuas vt dormias, & veniet tibi quasi viator egestas, & pauperies quasi vir armatus. Si verò impiger fueris, veniet vt fons messis tua, & egestas longè fugiet.* Erubescat tepidus doceri à formica. cælo natum doceri ab infima bestiarum, & prudentiam discere ac futurorũ prouidentiam ab insensato animalculo. vt paret hic sibi quod æternùm prodesse queat: tepore nunquam parauerit, labore & sudoribus æterna veniunt. Nam quid aliud speret torpore marcescens, quàm vt ab egestate tanquam ab armato prematur, per rennibus cælorum diuitiis excluſus? Pro. 10. *Egestatem enim operata est manus remissa: manus autem fortium diuitias parat.* Sapientis verba sunt & illa Pro. 28. *Qui operatur terram suam, satiabitur panibus: qui autem sectatur otiũ, stultissimus est.* Addit Prou. 13. *Qui mollis & dissolutus est in*

Digitized by Google

est in opere suo, frater est sua opera dissipantis. Et illud Pro.18. *Pigredo immittit soporem, & anima dissoluta esuriet.* Egestatem anima remissa, fortium verò manus viriliter certantium, & de genu pugnantium, quibus à vulnere & sanguine crescit animus, opes parabunt æternas. Hinc meritò stolidissimi censendi sunt otij sectatores, quibus animę panes cęlestes gratiæ, & æterni fontes cælestium donorum negantur. hinc illa esuries, & infelix tepentium sitis, quæ à negato cælesti cibo potúque nascitur; atque hinc etiam promissorum diuinorum bonorum abdicatio. hæredes eramus. excludit nos tepor vt tam illustribus indignos. quæ sola virtute, vigili cura, profusis sudoribus, indefesso labore parantur.

Eleganter torpentem describit Sapiens Prou.26. *Sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo. abscondit piger manum sub ascella sua, & laborat si ad os suum eam conuerterit.* Et tamen *sapientior sibi piger videtur septẽ viris loquentib. sententias.* Cõmoditatib. nimirũ suis tãquã molli lectulo indormit piger, frigora metuens. hinc illa ignauia retractę

Digitized by Google

dexteræ, oriqúe cibum negantis, negat ſubtrahitque hunc ſibi animæ cibum tepidus, laborem faſtidiens, quo ſolo cibus ille paratur. nec pudet illum à puellis puériſque vinci: quorum non pauci contemptis calcatiſque mollibus, per dura & aſpera cęleſti cibo paſti ſunt: per vulnera nimirum & ſanguinem cælo inſcripti. &, quod ſtolidiſſimum eſt, ſapiens ſibi piger videtur; quaſi prudenti circumſpectione & ignes & frigora fugiat, & inimica corpori deuitet: gaudet nimirum blandè lúdentibus, & quadam dulcedine molliter diſſuauiantibus: damnat quos duris & aſperis calcatis, per ardua viam ſibi ad æternitatem ſternere videt, quaſi naturæ aduerſantia vltro auidi amplectantur: ignari, æterna illis præmia, ſorpentibus verò nullo æuo morituras pœnas parari. & Prou. 24. *Per agrum hominis pigri tranſiui, & per vineam viri ſtulti: & ecce totum repleuerant vrtica, & operuerant ſuperficiem eius ſpinæ, & macęria lapidum deſtructa erat.* tepentibus enim dormientibuſque nobis, ac tanquam de re ſalutis nimiùm ſecuris, nocitura aduerſarius ſemina inſpargit, oppletque malarum cogitationum

Digitized by Google

num ac desideriorum zizanijs pectus, valido antè virtutum aratro subactum.

Hoc malum vbi inualuerit, ad ardua quęque ignauissimos reperies, sed neque facillima nisi placentia admittent. Vrges, & instas operi? negant se posse, inualetudinem causantur, onerisque muneriscque magnitudinem, impares vires.

Succedit his quædam spiritualium rerum nausea, horror paupertatis, obedientiæ & pœnitentiarum, omniscque omnino austeritatis; dum mollia captat animus, & blandientibus se totum immergit, deferuescente spiritus ardore, ac vniuersim mutua refrigescente caritate.

Itur deinde regia via ad corporis commoda, ad prodigam in cibum, potum, somnum profusionem, ad voluptatem denique suaue ridentem, prouocantem, & ad se molles hosce spiritus allicientem.

Neque aliud sperari ab hoc tepore potest. nam vbi elanguit ardor spiritus, extabuitq; pristinus æstus, ac quasi in fauillam cælestes antè flammæ abierunt, nihil nisi inanem fumum, leuemque ac euanidum vaporem

Digitized by Google

ſperare poſſumus.

Et certè abacto priſtino ardore, animiq; calore emortuo ac conſepulto, omnium ſpiritalium rerum mortem quandam ac interitum ſequi neceſſum eſt: incipítque exinde viuere caro, cùm quantum illi ſpiritus decedit, tantum illi vitæ accedat; quantumque ſpiritui cura cæleſtis ſubtrahitur, tantum huic ſæcularis auræ ſuccreſcat. è tepore proinde illius, ardor huius enaſcitur: ita nãque in his comparatum eſt, vt quantum detrahitur vni, tantum addatur alteri, quantum decreſcit vni, tantum alteri accreſcat: vt vnius interitus, vita ſit alterius.

Inuigilandum proinde ne noxius hic tepor animum occupet. nam vbi illum ſemel poſſederit captiuumque duxerit, nequidquam ferè melioribus ignibus excites: tam alto ſopore pectus illiditur, vt nec potentiſſimis quidem ſpiritalibus prouocamentis è profundo, quo tenetur, ſomno, ad ſe redeat, & nihil iam huic in omni vita ferium. vt ludicra, & comœdiæ ſcenam grauiſſima quæque peragit: nec vt ſua, ſed vt aliena retractat: ſi dederis, accipiet, & vix aliquando

vel

Digitized by Google

vel offerenti manum porriget: quòd si vltro non ieceris, nec desiderabit quidem, multóque minùs sudorem effundet, aut laborem impendet: sed neque spe felicis æternitatis, aut infelicis æternitatis metu commouebitur: in gloria, aut in gloriùs vitam ducat, iuxtà habebit. propone vtriusque vitæ præmia, laboribus terretur: propone huius & alterius iudicia vitæ, tabescet ignauia; nec aut ad vnius gloriam, aut ad alterius prouocabitur tormenta. narra quæ æternitatem tangunt, fabulæ illi videntur; quæ Iudicem Deum, tragediæ fragmentum. Nec plurimũ magis præmiis pœnisque propositis mouebis, quàm cadauer minis: imple mẽtem terroribus, imple gaudiis, virtutis speciem propone, & quidquid in illa prouocat in sequelam, in admirationem, in laudem, in animi tranquillitatem & pacem nullo calamo explicãdam; adde cælestem amorem, & quidquid vnquam flammarum iaculatum est cælum, quidquid ignium infernus; emarcidum truncum arbitraberis: nisi quòd belluarum more pronus rapiatur in corporis commoda, felicitatemq; in his ponat suam: quid-

quidquid verò ingenio, labore, induſtria aſſurgit ad magna, execratur.

Sed neque fidi huic quidquam poteſt, nec tutò aliquid committi, vnáque ferè huic beatitudo eſt, in ignauo otio & fabulis conſeneſcere: niſi quòd, vt dixi, carnis plerumque vitia ſequantur hunc teporem, éò maiora validioráque, quo languor hic maior eſt, altioreſque in homine radices egit. quod vbi euenit, nihil in eo, non dicam Religioſo, ſed nec Chriſtiano dignum reperies.

Remedia.

ORationum, meditationum vſus frequentior, piorum librorum, vitarumque Sanctorum frequentata lectio: neque credi poteſt quantum exempla in imitationem poſſint. puerorum enim virginumque ignes calcantium, tormentis tanquam roſis inambulantium, pœnas tanquam menſarum delicias amplectentium, cogitationes, quem non teporem pellãt? iam Chriſti Domini paſſio, calentes lacrymæ, fuſus ſudor, ſparſus ſanguis, immitia verbera, corona ſpinea, immania vulnera, claui, crux, lancea, quid

Digitized by Google

quid non poterunt in religioso pectore, si seriò frequententur?

Mortificationum deinde, Sacramentorum, ac confessionis vsus solito maior: consultissimumque fuerit fortibus pœnitentiis tanquam immissis ignibus teporem pellere. validissima enim remedia sunt quæ à sensibus petuntur. magnus ille est, qui nusquam pepercit sibi: prudens, qui in se punit quod in alio displicet: fortis, qui pœnarum metu ad magna se cogit.

Spiritalium exercitiorum crebrior repetitio; frequēs vsus piarum apud Deum aspirationum, maximéque earum, quæ aut in amorem illius, aut in laborem ex præmiorū aut pœnarum magnitudine impellunt, mētémque ad duriora ac diuina prouocant, auocant à suauibus & perituris. quę si frequēntentur, tanquam perpetuis flammis inardescit animus, ac tanquam suppositis ignibus ęstuant præcordia Deo plena. quibus accensus non facilè intepescit animus.

Diligens examen orationum, ac meditationum factarum, seriáque negligentiarum distractionúmque in illis disquisitio. Serium

Digitized by Google

rium deinde emendationis propositum, excitationesque pellendæ tepiditati idoneæ. Neque satis fuerit in eo qui tepore hoc oppugnatur, si bis per diem examen instituat. iteret frequenter, post Sacrum, Horas, pias lectiones, conciones, catechizationes, prolixiora colloquia, studia. Incredibile est quantum breuia hæc examina, mentem sibi præsentem contineant, quantum animent; dum & lapsus suos & pericula intuetur, & fortibus seipsum propositis ad magna excuit.

Frequens consideratio diuinæ præsentiæ, magnitudinis illius, potentiæ, scientiæ. hæc qui propiùs considerabit, facilè tepore exuet inimicum Deo.

Iuuabit etiam in terrorem cogitatio iudicantis Dei, incertitudinis vitæ, æternarum pœnarum, paratorumque cælo præmiorum. vtriusque enim æternitas vehemens calcar est fortiter audendi & explendi.

Proderunt etiam frequentatæ per diem cogitationes, Omnem diem primum, omnem vltimum esse; illum in ardorem, hunc in terrorem. & magnorum illud, Quare ve-

Digitized by Google

nisi quis instituti finis?

Commodorum deinde incommodorumque discussio, quæ aut ex ardoribus, aut repore nascuntur, non poterit non ingenti spe bonorum, malorúmque metu, mentem accendere ac terrere, reporemque omnem excutere. verè Prosper. Sent. 112. *Sicut corpori noxium est, corpoream escam non posse percipere; ita animo periculosum est, spiritales delicias fastidire.*

Caussam denique reporis consultissimum fuerit inuestigare, inuentámque valida manu euellere. neque sanè quidquam facilius quàm repertam pellere: qua etiam ignorata, nihil solidi sperandum est. cùm ab huius cognitione omnis victoriæ spes pendeat. & principijs maximè inuigilandum est. maximè cùm in hoc vitio à tenuissimis, & quæ propè sensum omnem fugiunt, quasi per insensibiles gradus ad extrema ducamur, eorum more qui per præcipitia labuntur, qui non antè desinunt quàm ad ima varijs infelicibusque volutionibus deuenerint. inijs proinde fortiter insistendum, ne in medio infortunatissimarum volutationum

serè

serò remedia cogitemus, cùm non teporem tantum sed & nauseam ac spiritalium contemptum imbiberimus. Iam cum hostibus vndique cingamur callidis audacibusque, non tepentibus consiliis opus est. domesticam patimur carnem, quæ nullã oppugnationibus moram concedit: ambientem mũdum, ludentem, blandientem, allicientem, multa promittentem: insurgentem crudeli, effera, subdolaque simul infestatione dæmonem, singula vigili cura obeuntem, ac in omnem momento omni perdendi occasionem intentum. quo magis tantis domi foriſque hostibus in æternis nocendi excubiis stantibus, ignauia teporeque pulso, inuigilandum quaqua parte saluti est. nusquam indormiendum. omnia etiam tuta circumspicienda, metuenda: nusquam, nunquam arma ponenda, ne hostili pateamus ferro, ne insidiis, ne inglorio tandem exitu tepentem pigramq; vitam signemus. Et sanè turpe est Religiosum, ab opum, honorum, voluptatumq; amatoribus vinci: quos ingenti ardore alacritateque ad summa vitiorum tendere videmus, non sudoribus, non sanguini par-

Digitized by Google

parcentes. & quid non audet auida humanarum fors hoc momento perituraru rerum sitis? quanto molimine in breui peritura insurgit, cum audaci calcatu per contemptum etiam vitæ ad ruitura vota sua pergat? Turpissimum verò tantis illis æstibus in momentanea hæc insurgentibus, Religiosos beata æternitate proposita, ad cælorum non peritura præmia, ignauo protrudi potius quã progredi gressu. quid hic speret, nisi qualia ab ignauo pectore exspectãda sunt, post grauem nimirum cum euangelici talenti fossore, Domini reprehensionem, pœnarum æternitatem?

Teporis autem ferè hæ causſæ. 1. Consuetudo è sæculo in Religionem deportata, quæ in naturam abiit. hæc valido frequentique conatu, ac quasi flatu prouocatis sopitis ignibus, & sæcularium adhuc cogitationum cinere tectis, contrariisque consuetudinibus pellenda erit.

2. Naturalis quædam animi inconstãtia. qua nulli certæ rei inhærentes, ad varia semper manum protendimus, nouorum auidi, veterum pertæsi: omnia nimirum ten-

Digitized by Google

tentasse iuuat, cùm vna ferè veritas virtusque gradiantur via; dubia semper error, sui consiliorumque ignarus.

3. Defectus bonæ voluntatis. quæ vna potentissima spiritualium omnium profectuum caussa est. excitanda illa erit Christi Sanctorumque exemplis, poenis, præmijs, æternitatis vtriusque.

4. Imprudens & supra vires feruor, violento molimine expressus; qui ferè in languorem degenerat, cùm indiscreto conatu robur omne paullatim exteritur, viresque vniuersim concidunt, totaque valetudo eneruatur, nec se ad magna potest extendere, intempestiuis ardorum laboribus fracta. prudentia corrigendum hoc malum, & sapiente Superiorum ductu.

5. Domesticæ disciplinæ neglectus. cùm teporis languorisque omnis, conniuentia excessuum, mater sit: qui Superiorum vigili cura emendandus. vetus enim illúd verum, Vbi rigor, ibi vigor. si prudenti Superioris manu ducatur, ne nimius rigor in seueritatem labatur, inde in animorum alienationem, & odia.

6. La-

Digitized by Google

6. Laboris fuga, otij amor. vellemus nimirum, sed labore terremur. extimulanda proinde voluntas erit potentibus timoris Dei, & infelicis æternitatis stimulis.

7. Institutionis, & boni exempli in Superiore defectus. doceat; plus tamen rebus, quàm verbo, & imitatores habebit. nam vel solo rubore sequentur præeuntem.

8. Insurgentium difficultatum metus. qui ad infima abijcit, terretà magnis. expellendus ille, propositis fortibus in vtroque sexu in prima iuuentute exemplis, præmiorumque magnitudine.

9. Pusillanimitas. quæ è diuinæ protectionis & auxilij diffidentia nascitur. hęc ingentibus Christi sponsionibus, omniumq; ætate testatissimis exemplis depellenda erit. animúsque ad æterna & magna erigendus, ingentíque in Deum fiducia excitandus.

10. Neglectus minimorum. sunt enim hęc tanquam flabra ignem prouocantia, tanquam ligna flammarum & calorum materies, tanquam pulueres qui densati prospectum adimunt, tanquã raræ nubeculæ, quæ compactæ noctẽ inducũt, lumen adimunt.

11. Pro-

Digitized by Google

11. Profusa passim loquendi licentia, quæ ferè hauriuntur quæ internum æstum minuunt, profunditúrque omnis animi calor. in cuius locum tepor succedit, & generosi antè pectoris languor.

12. Nimia ad externa effusio. restringenda hæc erunt, & excitandus solitudinis cælestiúmque amor, vitæ breuitate æternitatéque proposita. quòd si obedientiæ imperio implicamur externis; frequentibus repetitísque per diem piis aspirationibus, mens indissociabili quasi quodam nexu, iungenda Deo: temporaliáque negotia, diuinorum incentiuis farcienda erunt. ne his destitutus animus, diffluat in puluerem.

Quoties denique deuotionis feruor intepuerit, consultum fuerit illud B. Bernardi de conuer. ad clericos, cap. 30. grata memoria repetere: *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad culpam præteritam quæ remittitur, ad gratiam præsentem quæ immittitur, ad inferni pœnam quæ euaditur, & ad gloriam futuram quæ repromittitur.*

C. A-

Digitized by Google

CAPVT VI.

Mortificationis neglectus.

EQuo ſimul omnia propè mala naſci videmus. Neque cum inmortificata hac affectuum ratione, caſtitatis, paupertatis, obedientiæ obſeruatio, aut ſolida aliqua virtus conſiſtere, aut in vocatione conſtantia ſperari prudenter poteſt. diu fortè in alta permittitur pace, nec bella ſentit, aut inimicas experitur acies; continebit ſe intra modeſtiæ, ac quaſi virtutis limites: at vbi inſurrexerit hoſtis, nec minis tantùm, ſed cõſerto fortiter pede, armis & ferro inaſſuetum malis pectus aggreſſus fuerit; cadent animi, labaſcent genua, & ferè antè ſuccumbet, quàm verbera ſenſerit, adeóque ad ſolas etiam hoſtiles expalleſcet minas, & victorem agnoſcet, cuius non expertus eſt dexteram. Tironibus hoc cuenire ſolet, quos ſolus hoſtilium armorum fulgor terret, & in fugam vertit. Veteranus, cui cum pugna & lucta, dandíſque accipiendíſque vulneribus quædam quaſi amicitia interceſſit, quíque non vno pugno diſculptum pectus

Digitized by Google

habet; animos à sanguine induet, assuetus post vulnera victoriarum.

Perpetuam deinde mentis inquietudinem sequi necessum est, internæque pacis turbationem. neque enim quies sperari potest, vbi perpetua turbarum causa est: cumq; vniuersa spiritalis vita, fructusque à benè mortificatis affectibus pendeat, tanquam à benè subacta & proscissa terra, semineque mortuo simillimo sperati agrarij fructus; fit vt mortuo similior dici possit, in quo crudi adhuc dominantur affectus, à quorum fœcunda malignitate nihil nisi agro Dominico nocitura proueniant: neque enim è scrupeo hoc agro, lolijs ac zizanijs obsito, magna expectari possunt. nam vt non improba terra sit, ruderibus tamen, ac miricis innascentibus, quidquid est seminis boni suffocatur, ac quasi inimico pede proteritur, vt magno licet se conatu in herbam nonnunquam erigat, spem tamen raritate sua fallat, nec ad maturitatem deueniat; cùm ferè in medio sperati fructus noxiorum pondere corruat, aut exarescat.

Sequitur deinde domestica vniuersim tur-

Digitized by Google

turbatio, dum ab huiusmodi malè mortificatorum affectuum inquietudine, domestica pax turbatur, commouentur animi, & ab vnius sæpe malè subacta mente multorum sequuntur commotiones, & quædam quasi tempestates; dum his tanquam flabris, iuniorum in primis, minusque solidorum animi grauiùs commouentur, excitantúrque in paria exemplo, ac in imitationem prouocantur; dum ferè ad pessimorum imitationem natura feramur, nihilque proniùs sit, quàm præeunte aliquo tanquam duce, reliquos sequi, à quibus vniuersa domestica pax scinditur, ac quasi imis sedibus concusso mari, tranquillitas in tempestatem vertitur; cùm neque iam quisquam alteri cedere, nemo insurgentium quorundam impetus declinare, nemo durioribus interdum irruentibus, molliora, ac veluti saxis puluillos obiicere, nemo procurrentibus locum, spatiumque cursui concedat. quod vbi fit, & aspera duraque paribus incurrunt & illiduntur, quid nisi fragmenta & ignes expectes? Vnde postmodum animorum alienationes, acerbioresq; indignationes nascuntur,

Digitized by Google

perpetuíſque propè hiſce mentium æſtibus vniuerſa familia iactatur, periculíſque plena ſunt omnia; dum ſinguli immortificatis impacatíſque motibus præcipitio, quàm certæ ſtationi viciniores ſunt. neq; fieri poteſt, vt à malè ſubactis animis, non ingentes inſurgant fluctus, qui pacata etiam aliorum littora conturbent ac quatiant; vt totum iam domeſticum elementum in non conſuetos exurgat motus naufragiis proximos.

Sed neque quidquam magni ab his expectari poteſt, cùm in perpetuo non vano metu Superior ſit, ne in pertractãdarum rerum decurſu, ſi quid non placiturum occurrat, aut minùs iudicio illorum conforme, erumpant è cruda hac affectuum compoſitione, in vniuerſo corpore pœnitẽda. neque committi illis quidquam poteſt, à quo Religioni decus ſperari, aut damna timeri poſſint: ſemper enim iuſtus ille metus, Superiorum inſidet animis, ne qua parte elabantur, ne qua in erubeſcenda erumpant.

Quòd ſi iuſto hoc Superiores metu ducti, non credant honoratiora, periculum eſt ne ingraues & nocituras indignationes inſurgant,

Digitized by Google

gant, & dum se contemptos arbitrantur, in saluti suæ Religioniq́ue nocitura prorumpant; vt ad quamcunque se Superior partem flexerit; non effugiat pericula. Quare nescio an aliquid grauius euenire possit, cùm neque si fidat, neque si diffidat Superior, immortificatæ huius mentis scopulos euitare possit. vt autem inter hæc turbati pectoris, tanquam turbidi maris breuia, tam certò clauum dirigat, vt in neutram partem illidat nauem; ingens omnino industria, longaq́ue experientia, & prudentia necessaria est: ac nec in summa illa quidem semper effugere naufragia poterit.

Remedia.

AB ipso Religionis ingressu peti debent. nam & suauiùs & tutiùs peruincuntur mala, ac quasi in semine suo præfocantur in primo illo quiduis ferendi æstu, quàm cùm mora inualuerunt, calórque ille victoriæ suiipsius elanguit & deferbuit.

Non ab omnibus simul inchoanda res est, vniq́ue rei primò admouenda manus, & à facilioribus, minúsque radicatis initia

Digitized by Google

ducenda sunt, vt assuescat paulatim animus vincere, audeatque etiam maiora tentare.

Proderit in primis adhæc particularis examinis seria institutio, frequensque commodorum incommodorumque ex hoc neglectu nasci solitorum in vtramque partem, exemplorumque tam veterum, quàm recentium commemoratio.

Prudenter Leo monet in sermon. de natali 7. Machab. *Toties peccatis morimur, quoties in nobis peccata moriuntur. & pretiosa in conspectu Domini etiam ista mors Sanctorum est, vbi homo occiditur mundo, non terminatione sensuum, sed fine vitiorum.* & Augustinus Epist. 114. ad Sophiam. *Moriatur homo, ne moriatur; mutetur ne damnetur.* optanda mors, qua vna viuimus, qua spoliati morimur. prudens delectus, mori vt viuas: non viuere, ne moriaris. bene viuit qui moritur. felix mors qua vna viuimus: infortunata vita qua morimur. Habemus in hanc remillud Domini. Luc. 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* & apud Ioannem Ioan. 12. *Qui amat*

Digitized by Google

amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam. Eleganter in hæc verba Augustinus Trac. 51. in Ioan. *Magna & mira sententia, quemadmodum sit hominis in animam suam amor vt pereat, odium ne pereat. Si malè amaueris, tunc odisti: si bene oderis, tunc amasti. felices qui oderunt custodiendo, ne perdant amando.* & Chrysostomus Homil. 66. in Ioan. *Aenigmati simile hoc dictum videtur: non tamen ita est, imò verò præcipua sapientia plenum. Et quomodo qui amat animam suam, perdet eam? qui absurdis eius cupiditatibus obtemperat, qui præter debitum ei indulget: quemadmodum è contrario, qui odit eam in hoc mundo, custodit eam: hoc est qui non paret ei cum noxia iubet.* Facit hoc Religiosus omnis, qui se salutemque suam amat. mortis huius non tantùm oblatas fortiter amplectitur causas, sed vltro quærit, tanto futurus Deo gratior, quanto pluribus mortibus nobilitatus. fœcunda mors, qua centupla fœneratione in vitam exurgimus æternam. eo magis quòd interminantem habeamus Dominum: Ioan. 12. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum*

Digitized by Google

manet. & Apostolum ad Rom. 8. *Si secundùm carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* & de se Propheta Regius Psal. 43. *Propter te mortificamur totâ die, æstimati sumus sicut oues occisionis.* monetque Apostolus Colos. 3. *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram.*

CAPVT VII.

Regularum etiam minimarum neglectus.

DE quo illud dici potest. Eccli. 19. *Qui spernit modica, paulatim decidet.* & ferè à minimorum neglectu & transgressione itur ad maiora; vt hæc minima, gradus quasi quidam sint ad ingentia præcipitia. neque facilè quisquam primo quasi saltu ad deterrima descendit. à paruis ferè initiis ad summa exurgimus, & maxima quæque mala à tenuissimis profluxêre principiis; quæ neglecta, nulla postmodum arte reparanda damna attulerunt. Nec mirum à tam leuibus subnasci maxima: serpunt enim mala, & dormientibus nobis, ignauoque quodam somno illisis, succrescunt tenerrimi frutices in arbores

Digitized by Google

arbores ingentes, quæ ſuperbo poſtmodum vertice de robore ſuo gloriantur, deſpectántque infra ſe poſita.

Nec inter parua hæc numeranda, à quibus ad maxima decurritur, ad immania vocationum præcipitia, ad carnem & ſanguinem, & omni ordini erubeſcenda. ita tenuis nubecula, ſolis proſpectum adimit: & parua paruis innexa animum denſa caligine cingunt, proſpectumque vt meliorum, ita & periculorum adimunt. Sanè à ſcintilla neglecta ad humilem arenam nobiliſſimæ proſtratæ iacent ciuitates, è leui vulnere & morbo, frequentes magnorum mortes. & non gutta cauat lapidem? tam mollis elementi pars minima ſaxa & rupes. & ſtillicidia rara tectorum, ferrum & chalybem, & duriſſima quæque marmora, ferro non raro imperuia, exedunt.

Iam quàm magna è minimis proſtrata iacent? à tineis & blattis emedullantur robora. & minimum animal, fluctuum rabiē, ventorum ſęuitiam, & nauium ludit magnitudinem. à cuniculis & formicis vrbes euerſas leginus. crocodilum ichneumon inte-

Digitized by Google

rimit, basiliscum mustelá, bufonẽ araneus, & ab imbelli populo & fudibus armato ingentia armata agmina internecione delera sunt. Eua in vno serpentis alloquio perit, Adam in Euæ? inde in omnem posteritatem vnius pomi improbitas transit: & pereunt tot millia quæ totius paradisi nec cespitem nouerant. in vno mulieris aspectu cadit Dauid, leones & vrsos & Goliadas affluctus sternere; in Dalila Philistæorum terror victorque Samson, in variis Salomon. pietas, fortitudo, prudentia, qualia nulla ætate, in femina iacent. & non nobilissimi ductoris felicitatem vna Iudith stitit? & quantula res mulierculæ aspectus vnus, familiarior sermocinatio vna, curiosior non casti penicilli intuitus vnus, impurior calamus, lasciuior cantus, mollia verba? & tamẽ in omnem ex his ætatem bella retulit non vnus, & intulit sepulcro vulnera, ab vno curiosiore oculorum iactu, vna in omnem vitam pœnitenda lasciuiore lectione, vno leui infeliciq; contactu. Dictum verè Curtij li. 6. *Nil tutò in hoste despicitur: quem spreueris, valentiorem negligẽtia facies.* Quãtæ deinde, ac quàm validæ res è mi-

Digitized by Google

è minimis exſurgunt? è tenui limo ingentia licia, è minimo ſemine ingens arbor exoritur, è zizaniorum vna aut altera plantula neglecta totus ſilueſcit ager. & quid inualidius ſtramine & ſerico? adnecte, & nullis viribus comfringes. è minimis arenis ac lapillis quanti ſurgunt montes, vaſtiſſima palatia, ſuperbiſſimæ moles, celſiſſimæ turres? quę ijſdem quibus ſteterant artibus euertes. minimorum aggeſtione ſteterunt, minimorum ablatione corruent, & quàm tenuibus initiis ad ſummam erigimur eruditionem? è minimis elemẽtis, è mutis inanimatíſq; voculis. è paruis etiam opibus ad auri talenta, è plebeio ſago ad orbis imperia.

Tepeſcit in his paulatim Religionis ac inſtituti ſui amor, dum ea negligunt quæ proprij inſtituti ſunt, & per quæ magis etiam, quàm à maximis, ab aliis diſtinguimur. Votorum namque obſeruationes & violationes, cõmunes omnibus reperies, ſi votorum vim robúrque ſpectes. minora reliqua licet ſint, tamen ab his diſcriminibus & ornamentis, reliquorum diſcrimina naſcuntur. Et ferè qui vocatione deſerta, ſæculum

Digitized by Google

petierunt, à minimorum neglectu ac contemptu inceperunt, à quibus pedetentim ad extrema venerunt. Vetus dictum: Nemo repentè factus est pessimus. nec solet humani generis hostis ad immania quædam scelera Religiosum primo impulsu propellere: paulatim, ac quasi non sentientem ducit ad præcipitia; è quibus sera sæpe pœnitudine vetera respectantē ad malorū profunda deturbat.

Tepescit perfectionis desiderium, incredibile enim est quantum leuiora hæc profectum ornatumque secum trahant; vt si quis in veste aureas hinc inde licet minutas stellulas interspergat, venustiorem lōgè dabit, vt credas aliam ab illa priore: ita in Religioso, minimorum obseruatio magnum decus splendoremque adfert, vt toto cælo alium horum obseruatorem putes ab eorum violatore, & tanquam alienæ militiæ, ductorumque diuersorum stipendiarios.

Tenebrescit deinde paulatim his quasi nubibus, obtegiturq; mentis nostræ lumen; & obscurantur animorum radij, quibus ductoribus ad virtutum summa ducebamur, collustrabamurq; in perfectionis semita.

La-

Digitized by Google

Labascit etiam amor Dei, diuinarumque rerum, dum paulatim abducimur à perfectionis studio; tædet laboris, minora errata, leuioresque offensiones nihil facimus. Non sunt amantis signa solis mortem inferentibus terreri, & auocari ab amati offensione: signa sunt in amore languentis ac tepentis. Nam quis hic amor, promiscuè nõ tantùm offendere amatum, sed prona voluntate ferri in has offensiones? Sanè nemo negare potest, diminutiones hîc esse amorum, tantoque plures, quanto in pluribus transgredimur, & deflectimus ab iis, quæ illi amica & accepta sunt. Quisquis enim amat, si verè amat, minimam amati vitabit offensionem, & sæuiorem morte omnem amati offensam æstimabit: adeoque ferrum antè & secures patietur, ac in medios etiam deuolabit ignes. mites flammæ sunt, dulce ferrum est, si in eum locum deductum se viderit, vt aut offendendus amatus, aut illa eligenda sint; oculosque suos in amati oculos defert, in illis habitat; illis testibus, iudicibus, præmiatoribus res omnes peragit; displicere si quid senserit, mortem antè de-

Digitized by Google

liget, omni offensa mitiorem.

Quare quicunque Religiosus vero fertur in Deum amore, eum vocationis suę auctorem ac ducem, etiam in infimis quæret in quo placeat, fugiet in quo displiceat. ac instituti solius amore, si verè amat, nihil patietur negligētia sua effugere, nihil intepescere: ac quadam illius quasi zelotypia tactus, minima maxima arbitrabitur, & ab illis deflexisse, à magnis aberrasse putabit.

Nec diabolus Religiosum primo aggressu in magnis petit: scit se repellendum. à minimis paullatim ad ingentia præcipitia ducit, sera in lapsu pœnitentia. suadet Eremitæ pascere gallinas, inde gallum, tertiò ancillam quæ nutriat, tandem in illa lapsum. Sed neque quisquam à Religione cecidit, è tam nobili celsoque vertice ad profunda valliū, qui non per minima delapsus sit. nec præcipitia timuit qui in minimis stetit. & vt nemo repentè fit optimus, ita nec pessimus. gradatim & per minima ad illa exurgitur, ad hæc descenditur. ita rapidissimi torrentes, vastáque flumina, à lentis minimísque fontibus, ingentia maria à non magnis flumi-

Digitized by Google

minibus enascuntur. vt verum sit illud Gregorij in Past. par. 3. *Hoc agit sentina latenter excrescens, quod patenter procella sæuiens. & minuta sunt quæ erumpunt in membris per scabiem vulnera, sed cùm multitudo illorum innumerabiliter occupat, sic vitam corporis, sicut vnum graue infictum pectori vulnus necat.*

Remedia.

CVm natura sua facillima curatio minimorum sit, neglectus tamen difficillimam illam facit. fit enim vt, cùm minimis indormiamus, ac extra metum in illis versemur, à neglectu tanta incrementa sumant, vt antè perimant quàm metum incutiant. & licet non rarò à tepore spiritúsque quodam languore neglectus hic proficiscatur; à superbia tamen frequenter originem trahit. quasi indignum sit virum doctrina ac prudentia clarum, talibus alligari. quæ res cùm ad præsumptionis præcipitia ducat, ingentium causa malorum est. Sanè non sunt parua quæ ad interitum ducunt, quæ diuinum amorem, vocationisque minuunt, quæque à perfectionis studio deducunt, quæ

ad

ad ingentia, non longa manu præcipitia ducunt, & ad nullis postea votis lacrymisque emendanda mala præcipitant.

Cogitet neglectum hunc minimorum paullatim ire ad plures, abireque in posteritatem. principiis proinde obsistendū monent prudentes. nec contenti summa cacumina resecasse; ad radices manus securesque admouendæ sunt. nisi enim ad viuum rescindantur, ac in semine suo euellantur; cum fœnore repullulascent mala, & agrum alioqui fœcundum, tanquam iniecta manu occupabunt. Nemo igitur prudens malorum initiis ignoscet, secutura verebitur, & ventura mala in radice cōscindet. tutò hoc fit, nec magno molimine, cùm tenero adhuc frutice leui manu spurium germen euellitur. in quo, vbi adoleuerit, expugnando ignibus & securi opus est.

Cogitet deinde de omni verbo otioso reddendam rationem. grauis omnino res cùm minimorum transgressio reuocanda ad iudicium Dei est. iam vt damnatio in violatoribus, ita præmiatio in obseruatoribus consideranda. præmiator enim Deus, non

quanta,

Digitized by Google

quanta, ſed ex quanto res proueniant intuetur. Hinc illud Mat. 25. *Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam.* & illud Lucæ 19. cap. *Quia in modico fuiſti fidelis, eris poteſtatem habens ſuper decem ciuitates.* Magna paruorum merces; vt ingens in tranſgreſſore paruorum pœna. cùm qui talentum domini ſuffoderat pœnarum metu, audit: Mat. 25. *Inutilem ſeruum eijcite in tenebras exteriores: illic erit fletus & ſtridor dentium.*

Seria hic adhibeantur minimorum examina, vt capiamus (Cant. 2.) *vulpes paruulas quæ demoliuntur vineas.* in magnis enim vix opus monitore à ſubdolis & ex inſidiis irruentibus cauendum. & ſanè non facilè labetur in magnis, qui parua ſtudiosè vitat. quid? quod qui parua vitat cauétque ne in his offendat Deum, ne Ordinum ſtatuta tranſgrediatur, ingẽtem Dei & vocationis amorem oſtendat. Et ſanè nemo filius in oculis piæ matris patriſque, nemo ſeruus in oculis domini & regis, nemo reus in oculis iudicis, etiam in paruis delinquit: nos in oculis magni Patris, Domini, Regis, Iudicis, Dei, quid

Digitized by Google

quid facere deceat?

Seriæ etiam Superiorum monitiones, & pœnitentiæ; ita tamen vt ne nimiùm frequẽtentur, ne quasi in consuetudinem vertantur, ac tandem in contemptum: rariora proinde in hoc genere placent magis, sed quæ pondere suo premant. secreta seriaque adhibeatur monitio: periculorum malorumque impendentium metu, exemplisque aliorum, qui ab his principiis ad extrema deuenerunt, terreantur: de decore etiam proposito, cùm indignum sit illum qui sæculo opibusque contemptis, calcata carne, dignitates spreuit, ab his minimis vinci, dextramque, ac victoriæ signum tam leuibus præbere: quæ cùm in virum, vereque Religiosum inciderint; non magis illum lædere, quàm illisa tectis grando consueuit. & ferè qui in paruis se virum ostendit, is non tam animum quàm maiorum sibi materiam ostendit defuisse: maioribus etiam animis ad hæc procursurus; vt à quibus scenam mercedemque sperabit ampliorem.

Vtamur iisdem artibus quibus ad lapsum diabolus. è minimis ad maxima ducit, ad im-

Digitized by Google

immania ſcelera; è minimis nos etiam abducamur ab illis, ducamur ad virtutem. certè minimorum cura & ſtudium ab imminenti non tarò nos exitio tueri ſolet. ita sũma libidinum proritamenta, minimarum regularum cogitationibus propelluntur. nec alia re certiùs tutiuſque aut tentatio fugatur, aut inflammatio tanquam iniecto flumine extinguitur, aut commotio quantumuis valida ſedatur, quàm variarum minimarum rerum ab illis remotarum ſeria cogitatione; vt obiectorum fortuitò capillorum, aſſerum, tignorum, feneſtrarum, ſimiliúmque rerum leui ac tranſcurſoria enumeratione.

CAPVT VIII.

Silentij tranſgreſſio.

QVANTA è loquacitate, liberáque quiduis quouis loco effutiendi licentia, mala vereri debeamus, nemo ignorare poteſt; cùm paulatim ex hac ſilentij tranſgreſſione, à vanis ad nocitura decurramus; minúſque iam circumſpecti negligentioréſque

resque verborum nostrorum obseruatores, facilè etiam apud externos in pœnitenda labamur. Neque enim modum adhibere currenti, ac per præcipitia prolabenti facile est: nescit enim finem sui, qui labitur, donec per infelices circumuolutiones deponitur potiùs, quàm cõquiescat. Idem in hoc linguarum procursu reperies. faciliùs vniuersum sistitur, quàm vt in medio prolapsu reprimatur. assuesce silentio, etiam cum voluptate taciturnitatem coles: assuesce fabulis, cũ mœrore linguam continebis. tantum in vtramque partem assuetudo valet.

Ac vbi paulatim inter domesticos creuerit hoc malum, nihil tam sanctum est, quod in sociorum sinum non diffundatur. nascitur quiduis effutiendi libertas, secretum res postulet, an secùs; damna ex euulgatione secutura sint, an bona, iuxtà habetur: dixisse enim, terminus est, vt quæ voluuntur corporum, iacuisse.

Assuetus deinde animus quiduis profundendi libertate, nihil, nec externis quidem clàm facit; amici illi, an inimici sint, pro eodem habet: neque enim personam intuetur,

Digitized by Google

tur, sed effutiendi quod concreditum illi erat, libidinem. Scitè Sapiens Prou. 25. *Sicut vrbs patens, & absque murorum ambitu, ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum:* Greg. Past. p. 3. cap. 15. *quia enim murum silentij non habet, patet inimici iaculis ciuitas mentis: & cùm se per verba extra semetipsam eijcit, apertam se aduersario ostendit. quam tanto ille sine labore superat, quanto & ipsa quæ vincitur, contra semetipsam per multiloquium pugnat.*

Itur deinde ad mulierculas, & huic tam prodigo omnis secreti sexui domestica cõmittuntur, ac cogitata etiam propè scelera; plusque illis iam creditur quàm Superiori, quàm Parenti: quibus tacuisse, crimen est; maximè dum inter socias mutuo prouocamento quidquid reconditum erat, produnt in amicitiæ quoddam pignus, nouique fœderis testationem.

Sequitur deinde ex hac prona locutione noxia in omnium mores vitámque curiositas, cùm mens confabulationibus assueta, destituta proprijs, aliena quæ narret quærit. si obuia desint, intima scrutatur, & nunc per ambages, nunc dolis & astu, nunc aper-

Digitized by Google

aperto cęlo profunda rimatur: nec quid quã tam abditum, quod horum oculos aureſque fugiat: & dum gloriam quandam à nouarum rerum narrationibus venantur, nihil ne in amiciſſimo quidem intactum relinquunt: & cùm vera deſint, ad vanum ſuſpicionum ſuarum campum decurrunt, & in alieno agro, etiam hyeme media, quod doloſa metant falce reperiunt; mendaciis, cùm veris deſtituantur, diuites. inde plenis iam plauſtris, aliorum fama proſtituitur, & ille ingenioſiſſimus habetur, qui de ſuo quàm plurima in alieno reperit, & mendacio, tanquam peregrina veſte eiuſdem contubernij ſocios induit; fitque dicendi quodam vſu ac conſuetudine, vt falſa pro veris habeant; non dicta, non facta vſpiam pro indubitatis teſtatiſque narrent, nec mendacium ſentiant mendacij auctores. abiit nimirum in naturam, & laudem etiam ſperant ab ingenioſa criminatione. ita in aliena fama & ſãguine natant hæ linguæ, poſtquam ſilentij ſemel frenis laxatis, vicina proterũt paſcua, proculcant nemora; improba linguarum falce, flore ſępè medio, ſpem annorum multo-

Digitized by Google

torum demetunt, ter impij, in Deum, in socios, in Religionem, ac in salutem etiam proximorum, quam barbara hac libertate euertunt; dum fidem nomenque eis adimunt, à quorum æstimationis integritate plurimorum salus pendebat.

Variarum etiam in oratione distractionum occasio sequitur; cùm mens tam variis onerata, ægrè se ad orationis quietem componere potest. occurrunt audita, narratáq.; & quidquid imbibit curiosa in alienos mores inuestigatione, non supremis tantùm natat labris, sed suprema cordis occupauit: vt dum mens orationem meditatur, importuna hæc suggestione aliò eam vocent, & ad se trahant. nec potest facilè animus tot dictorum auditorumque lusus speciebus, ad meliora se conuertere, aut supra hæc sese erigere, tanta illorum mole oppressus. Contingitque non rarò, vt nullo fœcundiùs tempore narranda nascantur. fertilis nimirum in talibus area est orationum tempus: hîc suggeruntur, quæ alibi ignorantur: hîc inueniuntur abdita, & sociorum effodiuntur thesauri, imis sæpe defossi pectoribus

bus,denſiſſimiſq; tecti ac damnati tenebris. tantum poteſt inimicus homo,&conſuetudine improbitas firmata.

Denique Religioſus, à quo merito perpetuam cum Deo coniunctionem exigas, totus ab illa auertitur,& in vana,ac nõ profutura,noxiáque etiam profunditur. Neſcit mens inhærere Deo, ſui Deíque per fabulas prodiga.ignorat cum Deo coniunctionem, quæ ſolitudinis amica non eſt, cùm illa in omnia ſe profundat temerario auſu : neque poteſt coniungi Deo , quæ tanta vanarum narrationum congerie diſiungitur, neque tanta vanarum rerum varietate cincta, erigere caput poteſt, aut cæleſtibus inhærere, quam narratarum auditarúmque rerũ maria oppreſſerunt,abſorbuerunt fluctus. Nõ fert æmulum Deus;aut amari ſolus vult,aut amari non vult. quantúmque coniungeris aliis,tantum ab illo diſiungeris. vis illi coniungi,pelle quidquid te diſiungit,quidquid alteri iungit. Inter potentiſſima, quæ te cõiungunt alteri,loquendi quædam prodigalitas eſt, & narrandarum rerum curioſa inueſtigatio:amat enim hæc, quicunque ſtu-

dioſiùs

Digitized by Google

dioſiùs his incumbit; quantúmque hæc amat, tantum ab amore illius decedit; quantum accedit Deo, tantum ab illis recedit: nec alias, quàm diuinas narrationes nouit, quiſque Deum amat.

Quemcunque ergo videris propenſum in aliarum rerum narrationes, cogita res illas amare, Deum non amare: nam ſi amaret, plenus diuinis eſſet narrationibus. profunditur enim quiſque in ea quæ amat, vt animo, ſic ore: non profundi, non amare eſt. & ea amantur, in quę quis profunditur. Neſcit amor mentiri, vt nec tegi. prodit ſe ignis, & amorem ſuum loquitur.

Sed neque magni quidquam ſperari ab eo poteſt qui pronus in hoc vitium eſt, nec quidquam Religioſo dignum. vt meritò dicat Apoſtolus Iac. c. 1. *Si quis autem putat ſe religioſum eſſe, non refrenans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, huius vana eſt religio.* Comitatur enim hoc vitium detractio, ſecretorum violatio, muliebris inconſtantia, ſæculi mores, imprudentia magna. vt meritò Sapiens Eccli. 5. *In multis ſermonibus inuenietur ſtultitia.* & alibi Prou. 29. *Vidiſti hominem velocem ad lo-*

Digitized by Google

loquendum, ſtultitia magis ſperanda eſt, quàm illius correptio. ſed neque diu immunis à peccato talis eſſe poteſt: Prou. 11. *In multiloquio enim non deeſt peccatum, qui autem moderabitur labra, prudentiſſimus eſt. argentum electum lingua iuſti, cor autem impiorum pro nihilo.* Et Eccli. 20. *Qui multis vtitur verbis, ladet animam ſuam.* hinc illa monita: Eccli. 3. *Indiſciplinata loquela non aſſueſcat os tuum, eſt enim in illa verbum peccati.* & alibi: Prouerb. 4. *Omni cuſtodia ſerua cor tuum, quia ex ipſo vita procedit: remoue à te os prauum, & detrahentia labia ſint procul à te.* atque hinc illæ etiam preces: Pſalm. 140. *Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantia labiis meis.* & alterius: Eccli. 22. *Quis dabit ori meo cuſtodiam, & ſuper labia mea ſignaculum certum, vt non cadam ab ipſis, & lingua mea perdat me?* magni Regis magnum votum, vt meritò inclamet: Eccli. 14. *Beatus vir qui non eſt lapſus [illegible] ex ore ſuo, & non eſt ſtimulatus in triſtitia delicti.* Prou. 21. *qui* enim *cuſtodit os ſuum, & linguam ſuam, cuſtodit ab anguſtiis animam ſuam,* nequa hoc mirum videri debet, cùm, Prou. 18. *mors & vita in manu linguæ* ſint; Iac. 3. *inquietum omnino malum, plena veneno mortifero.* & verbis pau-

Digitized by Google

pauciſſimis omnia complexus mala eſt: *Lingua ignis eſt, vniuerſitas iniquitatis.*

Remedia.

POenitentiæ tranſgreſſoribus imponantur. In inueterata verò libertate loquendi qui longiùs progreſſi ſunt, remoueantur, etiam à communi recreatione; vt vel hac pœna diſcant moderari linguam.

Curæ in Superioribus, vt recreationes religiosè tranſigantur.

Aliquorum, etiam primorum, maximeque ſpiritualium excitatio, qui reliquos in religioſa recreatione præeant, ducéſque ſint ad linguarum moderationem, moneantque etiam, maximè exemplo, ſi quis ad alia deflexerit, minuſque religioſa miſcuerit, præſcindendo omnem eiuſmodi narrationem, aliamque magis inſtituto conſentaneam ſubſtituendo.

Seria in conſcientiæ examinibus inueſtigatio cauſæ erroris huius, periculaq; ac incommoda recenſendo, præcauendo, cum firmo ſeriæ emendationis propoſito, cum profunda, & non perfunctoria diuinorum

Digitized by Google

verborum discussione: Matth. 12. *Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij.* Addantur in omni hominum genere, damna ex hoc vitio nata: quorum frequēti commemoratione reprimat effusam hanc libertatem, quam sola sępe pœnitentia sequitur; cùm emendari tam calidè effusa, ac in extremis labris, non in corde fabricata, non possint. neq; enim retrahi dicta possunt, aut indicta dicta semel haberi. & manet nō rarò offensio æterna, ex improuida paucorum verborum effusione nata. Accedit ferè in hac quiduis effutiendi libertate, quidquid in meditationibus orationibúsq; magno studio collectū erat spiritus boni, effundi ac euanescere. vt meritò vir Religiosus omnem expellēdo hoc vitio conatum adhibere debeat, certus magnam silentio prudentiæ opinionem colligi, magnam in humanisq, diuinisq; prouidentiam, raros in pœnitenda lapsus, rarissimas aliorū offensiones, magnā modestiæ famam, magnam cum Deo coniunctionem, altam internam pacem, omniumque virtutum vberem fœcundámque per omnia messem.

CA-

Digitized by Google

CAPVT IX.

Aberratio ab instituto in rebus pijs.

GRauis error, eóque maior, quo sub pietatis prætextu fallit insequentem, ducítque Religiosum sub boni specie ad instituti sui alieniſſima: neque enim quia in se bona, ideo omnibus amplectẽda sunt. quãta medicamenta multis fuerunt noxia? Et quis potest grauior error in humanis esse, quàm omnes ad eadem cogere, ijsdem fouere & pascere, ijsdem mederi velle, eadem munia & onera, remedia eadem præscribere? Nullum propè vitę genus est, in quo non reperies aliqua laudanda; non tamen ideo imitanda omnibus. Nullum Religiosum institutum, in quo non plurima videas admirationem decúsque merentia: non tamen omnia ad omne institutum traducenda. Nam cùm discrimina necesse sit esse Religionum variarum; confundit ille decorem, quem in hac varietate grata memoria decurrimus, quicunq; omnia ad omnes transferre conatur. Suos cuiq; limites præscripsit dictauitque Spiritus sanctus, suis iussit moribus

Digitized by Google

ribus contineri. non transgrediamur hæc cælo data in primis Religionis parentibus monita, ne plus aliquid, & supra cæli prudentiam sapere videamur. Hinc illa Sapientis monita: Prou. 22. *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui.*

Nobile institutum est SS. Augustini, Benedicti, Bernardi, Norberti, Dominici, Francisci; sed sua cuique stat gloria, ornamenta sua: quæ si quis in agrum suum transferat, erret. neque enim eadem fert omnia tellus. alia atque alia pro regionum terrarumque conditione, spera. omnia si omni loco cogites, falleris: vt iam è locorum varietate rerum discrimina enascantur; illa calido, illa tepenti, frigido etiam non pauca, humido plurima; sunt quæ sicco gaudent solo. Eadem propè reperies in variorum Ordinum situ vario, Spiritu sancto seminatore, rigatore, fotore & altore.

Quare vt grauissimus sæpe error esset, ex aliena republica in suam leges velle transferre, cùm alias atque alias diuersi hominum mores, ingenia, loci conditio, aliaque id genus postulent; ita grauior etiam error foret,

Digitized by Google

foret, ex aliena Religiosa familia decerpere ea velle, quæ in tuam transferas: cùm fere ita inter se connexa sint omnia, vt qui vnũ loco mouerit, plurima mouere cogatur, magnamq; illius partem veteri decore suo spoliare. Quod si noua aliunde euocata ac mutuata inseruerit, in vno consistere non poterit; sed ad magnam receptarum antè, longaque annorum experientia probatarum rerum mutationem compelletur. quo fit, vt alia iam respublica videri meritò possit, priore forma mutuatitio hoc colore deuenustata: imò monstrum è differentibus coagmentatum; vt si quis è variarum gentium vestibus moribusque vestem vnam, rempublicam vnam statuat; si quis è variis animantibus animal vnum, equino capite, bubulo pectore, ceruinis pedibus, elephantis proboscide.

Et persuadere sibi quisque debet, quidquid à primigenio spiritu degenerat, ruinæ proximum esse. transit enim quasi in aliam familiam, ad aliena castra, ad alienas aquilas, alteriusq; ducis imperia, quisquis morib. alios profitetur, alienisque induitur armis;

Digitized by Google

vt non immeritò militem credas. alieno ſacramento obſtrictum. Sanè aurigæ fortiter orbitæ inſiſtunt. nam vt vicinior planicies ſit ac planior, fòrs tamẽ ea ducet ad ſaxa, ad dubios exitus, ad inuia. prudentiſſimus turiſſimis notiſque inhæret; temerarius incerta amplectitur, & per ignota decurrit. ſapiẽs trita incedit ſemita; per inuia viam ſibi ſternit imprudens.

Nec minor illorum error eſt, qui non ex alieno agro, ſed è cerebro ſuo nouè inuenta, quia pia, quia ad ſalutem aliorum, traducunt ad vitæ genus ſuum, degenerantes à maiorum placitis, & non pauca attexẽtes nobili Religionis ſuæ vertici, quæ nulla retro nouit ætas. Non ſunt hæc viri prudẽtis, & inſtituti ſui amantis: ſunt proprio iudicio fidentis, & de ſuo cerebro nouum inſtitutum fabricantis. tales enim cùm paulatim ſuos à maiorum moribus abducant, adducantque ad ſuos, ad aliud vitæ genus ſuũ, non maiorum transferunt; vt ignari propè rerum, aliam omnino à maioribus faciem paulatim introductã ingemiſcamus: quàm eò difficilius eluimus, quò quæ ſub pietatis

præ-

Digitized by Google

prætextu immissa sunt, altiùs resederunt.

Et sanè tales aut ignorantia rerum suarũ labi necesse est, aut ambitioso nominis sui fastigio, aut quadam proprij iudicij pertinacia, aut denique imprudenti spiritualis profectus zelo. quidquid dixerimus, non leuis culpa est. Nam siue tam ignarus rerum sit, vt quæ stabiliẽdæ Religioni necessaria sunt, ignoret; siue veteris pertæsus nominis, ad nouum nouo fastu cogitationes flectat; siue nimia sui fiducia, longiùs quàm par est in nouarum rerum delectu prouehatur; siue fatuo denique zelo feratur in aliena, domestica fastidiens, lata vbique culpa est, nec excusationi locus.

Dæmonum ferè fraudibus obnoxij sunt, qui suo fidentes iudicio, noua sibi placita commentantur, facti sibi ipsis legislatores ac magistri. quibus ferè contingit quod ægroto, peritissimorum medicorum manum negligenti, deque suo cerebro medicamenta sibi in interitum commentanti: quodque [illegible]ndo prosperoque vento nauiganti, sed [illegible] vela vertenti, factus sibi ventus & infelix exitus. Et sanè periculi plenissima res, à

Digitized by Google

maiorum placitis tot lacrymis rigatis, tot sanctissimorum virorum moribus comprobatis, recedere; aut de suo illis post tot magnorum testata exempla, addere aliquid aut demere. magna sanè in hac re circumspectione opus est. Solet enim diabolus illos imitari qui sapidissimis quibusque rebus venena miscēt, quo facilius incautos in errorem & interitum trahant: vt sub bonarum rerum prætextu, ac perfectionis studio, in immania præcipitia trahat. neque enim quę apertam malignitatem improbitatemque continent timentibus Dominum propinabit; scit enim se repellendum, nec quisquam palàm porrecta venena prudens haurit. sed electissimis interspersa inscius transmittit: vt dum auidus in cibum fertur, mortem celeriùs accersat.

Remedia.

OCcurrendum proinde est huic malo ingenti conatu, & ad viuum resecandę malorum radices, ne pullulent in interitum sementis bonæ. Cautè etiam prudenterque inuigilandum huic malo, ne grandi paulatim auctu occupet & depascat intima; eo-

Digitized by Google

eoque maiori prouidentia opus est, quo sub prætextu ac specie boni trahimur in nocitura, & interitum de propinquo sub amica specie iaculantia.

Accedat frequens lectio eorum quæ instituti propria sunt. plurima enim ab instituti ignoratione nascuntur ab eo aliena.

Amoris instituti sui prouocatio. neq; facilè ab eo aberrabit, qui illius affectum altè in animum immisit: hîc ille, antè propositis ignibus in illos insiliet, quàm ab instituto deflectat.

Nihil nouè instituere, sine seria & repetita in arduis deliberatione, ac ne in tenuioribus quidē, quidquā è voluntate sua aliis incōsultis statuere: nec minùs suspecta habere diuersa à maiorum & instituti moribus, quàm vestem Ordinis & instituti alieni.

Suspectissima omnia habere, quæ aliorsum ab instituto deflectunt, aut à maiorum semita recedunt: etiam in optimis, quæque magni speciē præ se boni ferunt, si peregrina sunt, neq; domi nostrę nata, nec Religioni consueta, timidè ac lentè procedere, ac non nisi matura grauique non vna præuia

Digitized by Google

deliberatione, idque cum iis qui & intelligentes, & instituti amantes sunt: sæpe apud animum suum voluendo, quò hæc tẽdant, quò ducant euntẽ; quid sperari ex his, quid timeri possit; à quo spiritu nata: subita, & tanquam à musto è torculari adhuc spumãtia, aut ab igne calentia sint; an vero à matura seriaque meditatione, maiorumque placitis promanantia.

Iuuabit in primis nihil, quod nouitatem quoquo modo redolet, aggredi inconsulto Præfecto spiritus, multaque ad Deum prece, & sacrificiis præmissis.

Frequens etiam consideratio finis ad quem vocati sumus: à quo aberrasse, ab omnibus aberrasse est. qui verò à mediis ad illum ducentibus aberrauit, à fine decessisse arbitrandus est. facit hoc quisquis à præscriptis in Religione mediis recedit.

CAPVT X.

Auersio aut vniuersim ab instituto, aut aliquibus instituti propriis.

Quæ

Digitized by Google

QVÆ res extremæ ruinæ proxima, & periculi pleniſſima eſt, & ferè à ſuperbia nata; cùm quis iudicium ſuum auctoris inſtituti, totque magnorum in Religione virorum, decretiſque Pontificiis præferat: aut certè à deſideriis commodorum corporis proficiſcitur.

Hinc videmus eos qui aut carne, aut nominis ſui gloria pulſantur, cùm deſperauerint ea in Religione conſequi, paulatim ad inſtituti derogationem deſcendere; vt hoc quaſi pallio vitia ſua tegant. Sanè vbi inceperit animus ſe his irretire, ſingulaque inſtitutionis ſuæ, humano ſenſu ſuo, non maiorum placitis, non tantorum annorum confirmationibus, non maximorum Deoque gratiſſimorum virorum comprobationibus diſcutere; non multum ab extremo periculo abeſſe poteſt.

Deſipit deinde huic, non prima fronte tota vniuerſim inſtituti ratio, ſed vna alteraue conſtitutio, regula, Superioris ordinatio; inde ſerpit hoc malum ad plura, ac deinde corporis totius iugulum petit.

Naſcitur deinde in hoc ab omnibus im-

Digitized by Google

peratis animi quædam alienatio, & tanquã febri detentis, occupato ſemel palato ab humore febrili acido, dulciſſima amariſſima videtur: ita hominis illius obſeſſa ſemel mente ab inſtituti auerſione, aceſcunt omnia. & quæ antè mollia & ſuauia, rationiq; ac diuinis conſiliis ac placitis conſona videbantur; ea nunc dura & aſpera, & à diuinæ voluntatis decretis remotiſſima cenſentur.

Plena deinde hæc res periculi eſt, cum ferè eiuſmodi quærant aliquem ingenij ſui, cui paulatim inſtillent hæc venena; ſerpitq; hæc res non magno negotio per plures, viresq; acquirit vniuerſæ Religioni noxias. & ferè magis coaleſcunt ingenia hac ſimilitudine tacta, mutuoque ſe firmant & exacuunt, quàm probatiſſimorum quorumcunque mentes. ita ad oppugnationem, quàm ad tuitionem natura proniores ſumus, & peſſima quæque, maximeque noxia impetu feruntur maiore, miſcenturque tanquã fatua quadam circumuolutione, ſecumque trahunt, quidquid ſolidiore fundamento caret. ſi quid radice tenuiore fœcundo Religio-

ligionis solo insertum, siquid opimæ illius arbori leuiùs inculcatum, siquid trunco superficiem tantùm radat, id omne non magno impulsu corruere necessum est. Quare si quem hi deprehenderint aut commodis suis studentem, aut obedictiæ iugum reiectantem, aut potui ciboque potentiùs addictum, aut carnis illecebris proritatum, aut in mulierum familiaritatem propensiorem, aut laudis gloriæque suæ sectatorem, aut magnorum familiaritatibus inhiantem, aut orationis studium fastidientem; perfacilè in sententiam suam pelliciunt, & ab his initiis ad vniuersum institutum conuellendũ pertrahunt. Nec difficile est tales inuenire, qui in aliquod vitiorum horum proniores sint, repertoque in omnem partẽ flectere, maximè si accedat accuratior regularum q. obseruantior Superior, qui non parcat, nec impunita in illis delicta transeat. hinc enim animorum commotiones, exacerbationes, querimoniæ, oblocutiones nascũtur. Commodum proinde turbandæ rei tempus nacti priores illi in sæuas propellunt tempestates hæc maria, arentibusque his lignis flam-

flammas igneſque ſubiiciunt. & à minimis ſæpe ſcintillis ardet domus tota: à non potenti flatu, non in iras tantùm minaſq;, ſed in furores inſurgunt hi fluctus, ſecúmq; non rarò in interitum trahunt domum totam.

Euitabit has flammas, venena, peſtes, quiſquis Deum, quiſquis Religionem amat: fugietque tanquam inſanos ſcopulos multorum in Religione mortibus nobilitatos.

Remedia.

CAuſæ inueſtigandæ, è quanimirum radice germina hæc pullulent: illa enim ſemel retecta & euulſa, reliqua nullo impellente corruent.

Fiducia etiam in illis excitanda, vt fidenter ſe Superiori aperiant. Beneuolentiis etiam, ac quibuſdam confidentiæ demonſtrationibus in fiduciam excitandi, vbi ſe aperuerint, paternè iuuandi.

Veterum etiam, aliarúmque Religionum exemplis, rationéque ſingula confirmanda, dubia excutienda & diſſoluenda: in quibus omnibus magna neceſſum eſt Superiorem vti patientia; audire lubenter, operam ſuam vltro

Digitized by Google

vitro ſpondere, nullum illis aditum ad ſe negare; rem modò leuare, modò periculorum votorúmque, quibus ſe obſtrinxit, magnitudinem oſtendere, prout prudens charitas, & patientis conſtitutio ſuaſerit.

Spiritualibus deinde exercitiis, piorumque librorum lectionibus talis iuuandus.

Proderit etiam per ſpiritus Præfectum, aut per alium virum cordatum, cui æger plus fidat, medicamenta malo huic propinare, maxime ſi quando aliquid alienationis ab ipſo Superiore intercurrat; quod ferè talibus euenire ſolet.

Diſpiciendum deinde, an per alium Superiorem æger noſter, aut loci mutatione iuuari leuarique poſſit: nec quidquam omittendum quod ad latentis huius mali venenum vtile futurum ſit. Neque enim malo huic indormiendum, cùm ferè magno impetu incrementa ſumat, vbi primum hominem occupauerit. Quare nullis hîc laboribus parcendum, frequenter, & in omnem partem verſandus æger, nullâque non medicamenta tentanda ſunt.

Iuuerit

Digitized by Google

Iuuerit etiam piarum occupationum varietas, à quib. minùs abhorret. Familiaritas etiam illorum, qui in virtutibus magna incrementa fecerunt, & à quibus nullum in hoc hominũ genere periculum. Auocatio etiam conuersationis illorum, qui faciles ad hæc mala sunt, mĩnoresq; in instituti amore progressus fecerunt. Communes denique preces, ipsiusq; in primis Superioris, cui vt pastori, hæc cura magis incumbit.

CAPVT XI.

AEmulationes, etiam in rebus piis, & instituti propriis.

VT euenire frequenter solet in lectionibus, concionibus, confessionibus, cathechizationibus, externorum familiaritatibus, aliisque generis eiusdem; cùm paria aut plerumque superiora etiam cogitemus, quæ cùm ingenio, naturæque dotibus assequi non possimus, decurrimus ferè ad alienorum dictorum factorúmque improbationes, depressiones, criminationes, tanquam si his alienæ famæ derogationibus, viam ad gloriam nobis sternamus.

Ne-

Digitized by Google

Neque res alia Religiosum ad alienarum virtutum, nominisque boni detractionem facilius deducit. vt non errauerit, qui exitialem hanc Religionum pestem dixerit: nam & virtutibus derogat aliorum, & propria deuenustat ac eneruat: nec quicquam iam illi placet, semperque reperit aliquid quod reprehendat, ac in omni re magna tantam miscet acoris ac toxici, vt vniuersam massam venenet, laudéque sua meritóque decore defraudet. Ingeniosa nimirum omnis æmulatio est, nec vnquam ei quod reprehendat, deest: fœcunda damnationis mater, vt si rem non possit eleuare vniuersam, maximam tamen laudum partem detrahat, & ad apertè decurrat falsa, ad manifestas criminationes: & cùm vbique talis dictorum factorúmque alienorum vituperator ac damnator sit, tum suorum ingens laudator est. Quæ res etiam in rebus magnis fidem ei detrahit. assueti namque auditores narrationum excessibus, nec cùm vera quidem narrat, fidem inuenit. Habet hoc nimius laudator sui, vt fide etiam in verissimis careat.

Sed

Digitized by Google

Sed neque diu latere hæc ſtudia poſſunt, prodũt ſe & vulgatione ſui, animorum primùm alienationes, inde etiam odia concitant, contrariáque ſtudia, quacunque via, proba an improba adiuuanda. Ita æmulatio omnis, quæ ſuperbiæ innititur, cùm virtutum media & adiumenta deſint, à vitiis auxilia mutuatur, immemor mutuæ caritatis, inſtituti, & Dei. Acutè & verè in hac materia D. Auguſtin. tract. 32. in Ioan. *Tolle inuidiam, & tuum eſt quod habeo: tolle inuidiam, & meum eſt quod habes. Liuor ſeparat, caritas iungit.*

Nec inter domeſticos parietes ſe malum hoc continet, decurrit ad externos; ita proditor affectus ſui, fit æmulator omnis; cauſamque prębet cur & externi deſcendant in partes ac factiones denique: ingenteſque aliorum animis diſſenſionum ſuſpiciones ingenerat, quæ ad vniuerſi corporis ſubuerſiones tendunt. Neque Deo, aut gloriæ illius, ſed ſibi nominíque ſuo æmulus omnis ſtudet; paulatímque ab inſtituti & animarum zelo degenerans, ad laudes ſuas commodáque labitur, vt laborum ſudorúmque ſuorum finem ſeipſum ſibi ſtatuat.

Videt

Videt in alio, audítque laudanda? indignatur ringitúrque, & aut improbat, aut minuit laudem, sempérque aliquid solers inuidentia, etiam in laudatissima re quod vituperet, inuenit: sæpiúsque lubentiúsque in externorum, quàm domesticorum procurrit laudes. etiam in hostium religionis ac hæreticorum scriptis, quod obseruatum nō semel, inueniet quod probet; in domesticorum verò quod vituperet; quasi domesticis laudibus aliquid detractum eat suis. contingítque non rarò, vt quæ externi summa in aliquo & admirantur & prædicant, ea nos ingenti conatu deprimamus, stupentibus illis, & admiratione quadam attonitis, cùm in suos exurgere vident viros religiosos, inuidiáque odióque grauidum pectus æmula prodant verba: indéque iam prosiliunt famæ nominísque dedecorationes; fitque vt quos Religio laudatores sperabat, vituperatores inueniat. Insurgunt nimirum in matrem filij, cùm filiorum vituperationes eant in matrem, magno non infrequenter totius Religionis damno; cùm iudicia hæc plurimùm integra regna peruadant, arbitrentúrque

Digitized by Google

que quotundam hanc ſententiam, vniuerſæ Religionis ſenſum eſſe.

Bene in re noſtra Gregorius Magnus Paſt.p.3. c.11. *Quid iſtis infelicius, quos dum conſpecta felicitas afficit, pœna nequiores reddit? aliorum verò bona quæ habere non poſſunt, ſi diligerẽt, ſua facerent. ſic quippe ſunt vniuerſi conſiſtentes in fide, ſicut multa membra vno continẽtur in corpore; quæ per officium quidem diuerſa ſunt, ſed eo quo ſibi viciſſim congruunt, vnum fiunt. vnde fit vt pes per oculum videat, & per pedes oculi gradiantur, ori auditus aurium ſeruiat, & ad vſum ſuum auribus oris lingua cõcurrat, ſuffragetur vẽter manibus, ventri operentur manus. In ipſa igitur corporis poſitione accipimus, quod in actione ſeruemus. nimis igitur turpe eſt non imitari quod ſumus. noſtra ſunt nimirum, quæ etſi imitari non poſſumus, amamus in aliis, & amantium fiunt quæ amantur in nobis. Hinc ergo penſent inuidi, caritas quanta virtutis eſt, quæ alieni quoque laboris opera noſtra facit ſine labore. Dicendum itaque eſt inuidis, quia dum ſe à liuore minimè cuſtodiunt, in antiquã verſuti hoſtis nequitiam demergantur. Admonẽdi ſunt inuidi, vt cognoſcant quantis lapſibus ſuccreſcentis ruinæ ſubiaceant, quia dum liuorẽ à corde non proiiciunt,*

Digitized by Google

ijciunt, ad apertas operum nequitias deuoluuntur. nisi enim Cain inuidisset fratris acceptam hostiam, minimè peruenisset ad extinguendã vitã. liuor itaque sacrificij fratricidij seminariũ fuit. Dicendũ inuidis, quia dum se ista intrinsecus peste consumunt, etiam quidquid in se aliud boni habere videntur, interimunt. vnde scriptum est, Pro. 14. *vita carniũ sanitas cordis, putredo ossium inuidia: quia per liuoris vitium ante Dei oculos pereunt etiam quæ humanis oculis fortia videntur. ossa quippe per inuidiã putrescere, est quædam etiam robusta deperire.*

Remedia.

DEVM in omnibus quærere, illúmque vnum sibi laboribusq; suis proponere: nec aliud in his, quàm & illius gloriam, & animarum salutem intueri. quod qui consecutus fuerit, non facilè per æmulationum præcipitia labetur, prudens in solido pedem figere, in solius nimirum diuini nominis propagatione.

Proderit etiam meminisse damnorum ex æmulationibus nascentium, cùm fere nunquam illæ sine alterius, aut vtriusque etiam partis interitu, aut sine graui damno finian-

tur.

Digitized by Google

tur, maximè vbi se illæ prodiderint: tunc enim in apertam itur dissensionem. non desunt auctores alendis his ignibus idonei, donec erumpant in apertas flammas, in incendia & cineres: nec antè ferè finem faciunt, quàm lata partium tegantur ruina, quæ corpus simul vniuersum in periculorum & damnorum partem trahit.

Iuuabit etiam frequens cogitatio præmiorum à Deo repositorum iis omnibus, qui totis animis illi, cui omnia debemus, non sibi nominíque suo laborant.

Et sanè miserum est à sola popularí laude præmia sperare, quæ aut cum vita, & plerumque ante illam, finiantur; qualia euenire ab æmulo hoc liuore consueuerunt. Prudens ille est, qui pulso hoc monstro illi vni sudat, à quo æterna sperat, omnémq; aliam cogitationem aliorsum ducentem contemnit & calcat, tanquam cęlo speratorum prę-miorum blattam ac tineam.

CAPVT XII.

Amor sui.

Hinc

Digitized by Google

HINC nasci videmus non leuia m[illegible], murmurationes, impatientiã, parendi difficultatem, cùm imperantur quæ minùs placent, minuſque ex honore ſuo eſſe iudicauerit qui hoc malo tenetur; indignationes, etiam & alienationes, graueſque animorum mœrores conſequi ſolent: contemptus deinde aliorum, cenſuræ graues, detractionis ſtudium, quo quidquid in aliis magnum, deprimunt, vt ſua extollant; delectus etiam rerum, muniumque ad honorem ſpectantiũ; familiaritas cùm viris magnis principibuſque quæſita; contemptus plebeiorum, operumque vilium; captatæ confeſſiones primorum primarumque quarumcunque, neglectus infimorum: ſingularitates denique, ac prærogatiuæ in rebus honoratioribus conceſſiones. Sequitur pœnitentiarum & aſperitatum, omniſque mortificationis fuga, iudiciique ſui tenax in omnibus: ſequela, primarumque vbique partium poſtulatio: ingens denique inquietudo mentis, ſi quid ſentiant detractum gloriæ, ſi quid non conceſſum, ſi fruſtrata vota, nec expleta in omnibus deſideria, quæcunque ea demum

Digitized by Google

demum fuerint.

Concedit Superior quæ aut honori tales suo, aut commodis idonea arbitrantur? nullus rogandi finis: neque enim modum sibi amor sui statuit, delabiturque indies ad noua; vt vnius rei cõcessio gradus sit ad aliam. accenditurque hoc exemplo reliquis animus ad paria audenda & petenda; vt quiantè nec cogitationes quidem harum rerum admittebant, nunc exemplo moti, tãquam valido vento plenis velis ad similia ferantur; & imitari nunc palàm delectet, quòd priùs vt tentationem taciti auersabantur.

Quòd si neget Superior, & abnuat rogata, exurgunt ad indignationes, decurruntque ad dolos & subdolas machinationes, ad intercessores etiam externos: & quasi vltrò oblata ab illis, quæ nostris impulsoribus donata sunt, non illubentiùs quàm audacius accipimus. Ita paulatim & paupertatis, & obedientiæ ornamenta detrahuntur; & parte maxima pristini roboris spoliantur ac nudantur.

Est & illud in hac re in primis perniciosum, quòd ferè huius generis homines laborem

borem omnem fugiant, sectentur otia: ardua ne attingunt quidem, aut si tangunt, leui decurrunt manu, & superficiem potiùs radunt, quàm inlatentia petant. Nihil proinde magni ab his sperari potest, quę ferè innumeris difficultatibus, tãquam vepribus, ac densis vndique spinis obsessa sunt. nam vt primùm asperiora senserint, manum retrahunt, & ad mollia flectunt, deliguntque ignaua potiùs commoditate sordescere, quàm per ardua viam ad magna sternere: aut si quando ad difficilia dexteram porrigant, non extendunt conatum ad maiora, quàm quò eos honoris ac dignationis propriæ libido impellit: vt nunquam, aut nusquam eos Dei solius, aut Religionis gloria, aut animarum salus, sed proprium decus ad augusta protrudat.

Quæ res cum verę Religionis affectu diu stare nõ potest, atque ita præterquam quòd meritum omne corruat, domesticæ mutuæque Religionis amor diu consistere nõ potest, aut locum, quem debebat, tenere. Vnde minor iam vocationis amor, auersio etiam, & vniuersim ab illa subductio &

Digitized by Google

fuga, ac tandem odia naſcuntur, & alterius vitæ cogitationes, nauſea præſentis, & ingens faſtidium.

Atque hinc gratiam venantur externorum, amicos ſibi parantes in extremam hãc fortunam, & plurimùm deteriorem ſexum ſibi conciliant, apud quem domeſticas etiam querimonias deponunt: quòd ſexus ille facilior in commiſerationem ſit, & laxiores affectui habenas concedat, maximè ſi paribus excitetur. quæ res à periculo longiùs abeſſe non poteſt; accenditur enim vtrimque animus, ac tanquam ignes duo, mutuis ſe exacuunt flammis, celeriùs perituri, & in cineres dilabendi.

Et nihil in his dein ſanctum aut ſacrum eſt, quod non faciles lubentéſque prodant, nihilque adeò reconditum, etiam cum alterius; ac non rarò cum Superioris ipſius dedecore coniunctum, quod non vltrò profundant, & denuntient illis, quæ nihil arcanum norunt, niſi quod ignorant; quibuſq; adeò etiam ignorata pro certis vulgantur; neque diutiùs ſilent, quàm ſocia aut auditrice deſtituuntur.

Nec

Digitized by Google

Nec quiſquam Superior voluntati taliũ faciet ſatis, aut explebit cupiditatem: ſemper enim in quocunque Superiore quod deſiderent aut damnent, reperient, etiam in beneuolentiſſimo viro. omnia enim concedere, impoſſibile eſt; parca verò, imò vnum illis negaſſe, omnia negaſſe eſt: immemoréſque beneficiorum præteritorum, ad ſola præſentia mentem conuertunt, reliquorum obliti. adeò eos commodorum ſuorum vota cæcarunt, vt niſi omnia conceſſeris, omnia negaſſe videaris: feruntúrque in hunc, tanquam in iuratum commodorum ſuorum hoſtem.

Sed neque ſerias vllas monitiones admittunt, non molles ac lenes: ita dum peccare impunè volunt, puniri nolunt: vt nihil reliqui amor ſui fecerit, ſpe propè omni emendationis adempta, quam extrema quædam ſalutis ac vocationis præcipitia.

Sequitur indiuiduo quodam nexu amorem ſui, ingens ignoratio ſui. vt in rebus ſuis in perpetuis tenebris ac denſa vbique nocte ambulent. accidítque his qui hoc vitio tenentur quod phreneſi laborantibus,

Digitized by Google

qui quo propinquiores morti sunt, eo se valentiores arbitrãtur, pereuntq; dum in summa valetudinis bonæ opinione sunt. E quo deinde errore stolidissima sequuntur consilia, audent viribus non imparia tantùm, sed & sibi & Religioni noxia. nec remedia sperari possunt, cùm & graui teneantur ignoratione morborum suorum, nec monentes admittant. sibi nimirum illi sapiunt, reliquis fidem abrogant: vt omni planè spe careant valetudinis bonæ.

Cumque cæci in suis sint, oculatissimi in alienis sunt. monstro similes. domestica & è propinquo sua non vident, remotissima asiena vsque ad ossium medullas, scrutantur. quin etiam vident in alio quæ nusquã sunt: cùm solis suspicionibus in aliorum vitiis oculos habeant, in quorum tamen laudibus oculis carent. si quid lucis in aliis, nihil vident; si quid tenebrarum, vident. noctémq; non rarò in alieno cælo reperiunt in quo pleniſſima lux est, diémq; in densissima nocte sua vident ita in nocte diem, noctem in die reperiunt; prodigioso vbique errore. tãtum cæcus potest amor sui. minima illi in alio

Digitized by Google

fio vitia maxima ſunt, verruca mons eſt, pilę ſurgẽtes cælo rupes, feſtuca trabes, riſus fulmina cælo iaculata: in ſe ingentia criminum ſaxa nulla ſunt, montéſque & ſuperſtantes nubibus rupes, nullæ ſunt. quid? quòd vitia etiam ſua virtutes arbitrentur, infantiam eloquentiam, imperitiam ſcientiam, fatuitatem prudentiam, morofitatem lenitatem, aſperitatem ſuauitatem. quo fit vt in grauiſſimos errores labantur. nemo mirabitur qui cogitauerit oculos illos habere toxico ſaginatos, ac in alienis inuidia ac odio, in ſuis amore ſui grauidos: febri deinde illos maligna teneri. quo fit vt ſuauia illis amara, mella fella videantur: amoriſque ſui veneno farti ac ſaginati, nil præter venena in aliis vident, & cum improbitate ingeniofus hic amor eſt, ſiquid inter ingentes aliorum virtutes non laudandum latet, aranearum more exugit, optima intacta relinquit.

Succreſcit deinde ex hac improba radice amoris ſui, Dei diuinarúmque rerum denſiſſima ignoratio. cùm enim in omnibus ſe ſolum, cõmoda, honoremq; ſuũ intueatur qui hoc malo tenetur, fit vt longiſſimè ab-

Digitized by Google

sit à diuinorum consideratione cognitione qué. quòd si quæ cælestia intueatur, non videt ea nisi qua parte commodis illa suis subseruire posse arbitratur. & sanè tegitur spissa quadam nebula quicunque hoc vitio laborat, vt cælestis solis radios intueri non possit: aut si quos intueatur, facit eorũ more qui per obscuram nebulam, vestigia quædam cælestis luminis intuentur.

Cũ verò fiducia sui ab amore sui nata castimoniæ sit hostis, fit vt mille se pudicitiæ periculis induat, quicũq; plus æquo prudẽtiæ suæ innititur. & antè labatur infelix quã damna senserit. cumque commodis suis impensè studeat, delectatur mollibus, & corpori amica auidus amplectitur: effundit se proinde facile in cibum & potum, castitati inimica. accedunt excusationes in omnibus sui, spretaq; prudentium monita. quo fit vt cũ in præcipitio steterit, præcipitia ignoret, & antè per inuia infortunatissimo lapsu deuoluatur quã periculũ adire se sciret.

Scinditur exinde vniuersæ familiæ caritas mutuaq; animorum coniunctio, qua vna Religiones firmantur, ac tanquam ine-

no-

Digitized by Google

nodabili vinculo connectuntur. cùm enim ſinguli paullatim horum exemplo rebus ſuis ſtudeant, fieri non poteſt vt coaleſcant animi, dum ſinguli, ſe ſuaque commoda, honores, reliquaque præferri volunt aliis: quę cùm mutuò ſe ingulent perimantq;, neceſſum amorem interire, amicitiamq; penitus omnem ab illa domo exulare. nam niſi omnia probes quæ cæcus amor ſui ambit, amicitia collabaſcit. omnia probare in tanta iudiciorum diuerſitate impoſſibile eſt, niſi adulatio rebus miſceatur, quæ cum germano amorè ſtare non poteſt. accedit, eos qui hoc malo tenentur, ſibi amicos eſſe, aliis eſſe nō poſſe, cum ſolis rebus ſuis ſtudeant, aliorum commoda laudéſque ignorent.

Ingrediuntur verò huius loco doli & fraudes, omni candore ac ſinceritate pulſa: nam cùm regia via ad optata peruenire non liceat, quæruntur anfractus, ſubdolæque ſemitæ, & per obſcura viarum ad præfinitum animo tendimus. quod ſi minùs è voto ſucceſſerit, nec cogitationibus res reſponderint; ſuboriuntur mœrores, grauéſq; inſurgunt melancholiæ, ac non vltima puſillanimitas,

Digitized by Google

mitas, timoréſque, ac ingentes vndique curæ: indéq; extremus quidam lãguor, orationum ſaluúſque proximorum neglectus, ac vniuerſæ vocationis contemptus: nam cùm quæ validè animo propoſuit, his non conſequatur viis, ad alia principia vitæque genera amori ſui congrua, ſe, cogitationes, ſtudiáque ſua, toto conatu conuertit.

Remedia.

EXercitatio ſui in rebus humilioribus, maximéque in iis, à quibus potiſſimum horremus, delectuſque eorum, quæ in primis auerſamur: animo priùs per varias huius generis meditationes exculto, & ad viliora ac duriora excitato; propoſita ſibi humilitatis pulchritudine, vtilitate, neceſſitate, præmiiſque virtuti huic à Domino æternùm conceſſis: ſuperbiæ verò fœditate, damnis, miniſque ac pœnis à Deo intentatis: cælum in Lucifero, & Angelis illius; paradiſum in primis parentibus; orbem, in infelici ferè ſuperborum exitu; infernum, in miſerando æternũ arrogantium cruciatu conſiderãdo.

Mutuæ deinde caritatis per beneficia inuitatio: mutui honoris, maximè in iis, à quibus

Digitized by Google

bus alienjores ſumus, præuentio: honoratiorum operum, & quæ plus externi ſplendoris habent, aliis conceſſio: difficiliorum, minuſque in ſpeciem illuſtrium arrogatio.

Contemptus in ſe ſui, dictorumque factorumque ſuorum, præteritorumque criminum memoria.

Sanctorum hîc, magnorumque, ac Chriſti ante omnia exempla proderunt, ſi noſtra cum illis compoſuerimus: ſi quanta Deo, creationis, conſeruationis, redemptionis, innumeriſque penè aliis titulis debemus, præmiorúmque cælo repoſitorum magnitudinem frequenter conſideraverimus.

Proderit in primis frequens cogitatio verborum Domini: Ioan. 12. *Qui amat animam ſuam, perdet eam: & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.* qui odit, prauas animi propenſiones frangit ac domat: qui amat, aſſenſum illis præbet, obſequitur. ille demetit tanquam falce luxuriantes noxias herbas, nuſquam parcit, ferro & ignibus ſæuit in inſurgentem amorem, hoc vno pius, quòd impius ſit amori, nec quidquam largitur petenti.

Digitized by Google

Iuuabit etiam odio quodam ferri in hoc vitium, propositis sibi illis quæ ex hoc nasci consueuerunt: maximè quòd nec humana nec diuina, vbi inualuerit, pẽsi habeat amor sui. nihil apud hunc sanctum, nullum secretum, nisi qua parte commodis hæc suis seruiunt. pugnãt cum amore sui? violabit omnia, quò amori suo consulat. Ingens deinde cæcitas amoris socia terrere nos debet. cæcus ad æterna præmia, ad ignes æternos est. nec mortem videt imminentem fòrs cras, fòrs hodie. sed neq; finem suum consequitur hic amor sui. laudem quærunt? damnationem referunt. commodis suis student? ferè iis frustrantur. honores venantur? ignominiam referunt. cùm gloria fugientem sequatur, prosequentem destituat.

Magnum deinde calcar ad victoriam sui, cogitatio seria iudicij extremi, in quo occultissima quæque nostra retegenda sunt orbe inspectore; mortisque momento omni dubia incertitudo. & quò mihi in illa hora gloria, opes, eruditio, scriptio, eloquentia, commoda? quis tunc sensus humanarum laudum, quæ vtilitas?

Vtile

Digitized by Google

Vtile etiam fuerit ſæpiùs animo voluere, quanti nos orbe toto vicerint robore, forma, eloquẽtia, opibus, honore, commodis, prudentia, variaq̃ eruditione. æternis nũc ignibus materies æterna. quòd ſi humanas laudes ſpectemus, quanti nos laudant? quã pauci norunt orbe toto? & viceſimúſne quiſque è notis laudat? certum plures damnare. iam quò laus abſentium ignorata mihi? præſentium verò laudes, adulationes ſunt, laudes non ſunt. cùm ergo abſentium de te laudes ignores, præſentium adulationes habendæ ſint, quid certi in humanis eſt quo extollimur?

Neceſſaria in omni hoc vitio frequens ſeriaq̃ conſcientiæ per diem diſcuſſio: validum in eo propoſitum victoriæ ſui: omniaq̃ amori huic amica generosè ac conſtanter pellere; illiuſq̃ loco contemptum ſui, diuinúmq; in ſe amorem his ſimilibúſque verbis excitare, *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia. Deus meus, amor meus, & omnia. A te quid volui ſuper terram? Pars mea & hereditas mea Dominus. Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat ani-*

Digitized by Google

ma mea ad te, Deus. Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum. Exultabimus & lætabimur in te, memores vberum tuorum super vinum. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. Botrus cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi. Sub vmbra illius quẽ desideraui sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo. Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deosculer te, & iam me nemo despiciat? Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum, quia fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio: lampades eius, lampades ignis atque flãmarum. Aquæ multæ non poterunt extinguere caritatem, nec flumina obruent illam. Hæc aliaque generis huius, quæ cuique sua pietas, & amoris diuini auctor Deus suggeret, ad illius amorem nos excitabunt. beneficiorum etiam commemoratio diuinorum, gratáque recordatio, præmiorum deinde cęlo repositorum, ac passionum Domini potentissima hæc incentiua veri amoris sunt.

Orationis denique studium plurimùm in hac re poterit. in quo mẽs cælestibus colluſtratur, discutítque cælesti lumine errorẽ suum,

Digitized by Google

ſuum, agnoſcit tenebras exuítq;, melioribus cognitionis amoríſque diuini radiis perfuſa.

CAPVT XIII.

Dictorum factorumq; ſuorum commendatio, reliquorum damnatio.

EST hæc innata quibuſdam conditio, conſuetudine deinde aucta & roborata, ſua vt laudent ſola, aliena aut damnent, aut ſilentio tranſeant; laudes ſuas etiam ab imperitis auidè excipiãt; aliorum, deiecto vultu, fronte, oculis hauriant; & cùm improbare non poſſint, nunquam tamen probent. Dolent potiùs aliorum præclaris dictis factiſque, ac mœrorem ſi quando verbis obtegant, vultu tamen prodũt; ad ſua, etiam minima, & quæ laudem nullam merentur, ſi quis laudator accedat, totis animis vt ad tubas & tympana militiæ amatores, exiliunt. nec continere pruritum hunc poſſunt, os genæque gaudium teſtantur; vt ille iam illis amicorum primus maximúſque ſit, qui primus maximùſque laudator eſt.

Quò te vertas in hac vanorum hominum

num prurigine? laudabis omnia? non eſt viri Deum timentis; neque enim poſſibile eſt, non profluere ab homine quædam non laudanda, damnabis? pro hoſte habeberis. tacebis? non laudaſſe, damnaſſe apud hos eſt. quin adeò eo creſcit hæc quorundam ſcabies, vt in vno non laudaſſe, aut improbaſſe, in omnibus damnaſſe ſit. Neſcit modum aut frenum ſibi imponere laudum hęc libido: ſed neque vulgari contenta laude eſt, etiam infima in ſumma reponi laude deſiderat. ferendum quoquo modo eſſet, niſi meritò improbanda non rarò, ſummè etiã laudari vellent; vt, ni feceris, contracta ac corrugata fronte, deiectiſq; genis ac ſuperciliis mœrorem teſtentur, & amicitiæ renunciẽt. cùm enim amaſſe in illis, laudaſſe; non probaſſe, damnaſſe ſit, fit vt amorem & odia; ſola laude & improbatione metiantur.

Et ſunt plerumque hi moleſti grauéſque omnibus: nulla enim propè illorum colloquia ſine dictorum factorúmq; laude reperies. velis proinde, nolis, laudes audias neceſſum eſt: & ingerunt has nulla ſæpe tẽporum, locorum, perſonarũ habita ratione

ad

Digitized by Google

ad omnium fastidium; nec immunem quẽquam ac importunissimâ laudum suarum narratione abire permittunt, veriti ne, si vnus ignorauerit, damnati, aut non satis laudativideantur. non facerent si memores essent monitorum Sapientis Prou. 27. *Laudet te alienus, & nõ os tuũ: extraneus, & nõ labia tua.*

Nec inter domesticos tantùm, apud quos facilior venia esset, sed inter externos, & mulierculas etiam ingentibus verbis decantant sua: quæ nisi plenæ abeant commendationibus, nullum sibi dictorum factorúmque suorum fructum retulisse videntur; futuræ nimirum apud socias aut æmulas, laudum præcones confessariorum suorum; narrantúrque sæpe dicta factáque, nec dicta, nec facta vnquam: imò vniuersæ aliorum Superiorúmque laudes in illos cõmigrant: ab horum scilicet consiliis, si quid in domo vniuersa est, quod laudem mereatur, profectum est; sin aliquid infelici euentu prẽter spẽ succesſit, his monitoribus meliora euenissent. aliud suaserunt, auditi non sunt; hinc damna accepta: auditi fuissent, & alia longè rerum facies esset, & pro damnis emo-

Digitized by Google

emolumenta nata forent.

Noxium ante omnia hoc hominum genus in Religione est, multorúmque æmulationibus & inuidiæ obiectum, mutuarum dissensionum & alienationum causa. Et nati hi non Religioni, non Deo, famæ tantùm suæ sunt: nam si Deo & Religioni, gauderent vtriúsq; nominis propagatione, quam aliorum dictis factísque ingentia vident incrementa sumere. Non gaudere, non laudare, cùm meritò possis, damnare est. Et cùm de tuis minimis prodigè in omnem lætitiã profundaris; in aliorúmq; etiam maximis, doloris potiùs quàm lætitiæ signa prodas; non hoc est de Domini Religionísq; gloria, quæ talibus augescit, crescítq; in maius, dolere? quæ quibus innitantur principiis, nemo non videt; superbiæ nimirum & inuidentiæ fundamentis, quibus hæ suorum laudationes, alienorum damnationes inædificatæ sunt.

Et sanè non minùs pernicioſus est, qui alienas laudes alto silentio premit, quàm qui eleuat, aut damnat facta, quid? quod silentio suo grauiùs sæpe ille feriat, quàm aper-

Digitized by Google

pertus hic improbator: nam cùm primus ferè moderatioris ingenij habeatur, vt qui affectus suos regat. fit vt silentium illius pro aperta damnatione habeatur. Non laudasse enim cùm possit, qui modestiæ opinionem habet, vituperasse est. & ille qui apertè laudanda damnat, criminatoris potiùs nomen obtinet, & verbis ipsis, improbandique modo alienationem ostendit, incompositúmque minúsque ordinatum affectum, vt hoc ipso fide careat. at ille alter modesto seueróque silentio fidem reperit, vulneráq; infligit, altiùs penetratura, quo à profundiore mente infliguntur & veniunt.

Et tales ferè, qui alto silentio laudanda in aliis premunt, ingentes sub modesta fronte arrogantiæ montes tegunt. neque enim aliunde prouenit parca hæc alienarum virtutum laudatio, quàm ab animo laudis suæ auido: qui cùm aliorum commendationibus suis detractũ iri veretur, seriò cauet ne quid elabatur in alio laudandum apertè damnare conscientia terret, & exterioris cuiusdam moderationis opinio captata: silere posse arbitratur, nec vlla lege ad alienas laudes vul-

Digitized by Google

vulgandas teneri. qui si cogitaret plus sæpe morosos se obesse suo silentio, quàm apertum criminatorem effutiendi quidlibet licentia; non tam parcus laudator esset.

Et sanè vt homines fugiat, Deum latêre mens illa æmulationibus grauida non potest. videt illam propriarum laudum balneo, tanquam oceano innatantem, aliorumque encomiis liuidam: nec crimen effugere potest interni fastus, à quo vnico hęc silentia imperantur.

Et sanè nisi ingenti vndique cingeretur possideretúrque rerum suarum arrogantia, vt nullo non loco ac tempore auidè laudes suas venetur. non tam seuero silentio aliorum præconia premeret: quæ cùm veluti soles arbitretur officere tenuissimis lucernarum suarum luminibus, omni conatu dies illos supprimit, magnáque eos silentij sui nebula, densáque liuoris nube tegit; qui si altius pectoris sui latebras excuteret, perfacilè fundamenta taciturnitatis huius erueret, & in abditæ arrogantiæ suæ profundum nullo negotio veniret.

Quamquam palàm ac quasi aperto mar-

te

Digitized by Google

te dicta factáque aliorum damnare, maioris cuiusdam impudentiæ sit: neque tales aliud expectare debent, quàm vt pari licentia feriantur. ferè enim hæc diuinæ cuiusdam vindictæ remuneratio quædam est, vt damnari sua ab omnibus sentiant, qui omnium damnant; ita talionis pœna ferit hos Deus, aut permittit ea, qua ipsi reliquos, mensura donari: accidítque illis, vt cùm dicendi licentia in omnes se profundant, omnium etiam patiantur linguas, calamísque omnium percutiantur, qui nulli parcere didicerunt: & vt nihil illis rectum bonúmque, quod ab alio patre natum est, ita nihil horum, probum aliis laudéque dignum videtur, aut quod nomen decúsque mereatur.

Graues deinde tales omnibus esse consueuerunt, inuisi paribus, duri inferioribus, nisi quos perpetuos laudum suarum prœcones nacti fuerint: Superioribus molesti. cùm enim mutuam pacem turbent, amicitias ac necessitudines dissoluant, non Superioribus, non æqualibus, non inferiorib. parcentes, fit vt omnium in se animos prouocent,

om-

Digitized by Google

omniumque indignationem extimulent: vnde etiam fit, vt omnes horum familiaritatem fugiant, consuetudinem auersentur, vt à qua nihil expectare possint, præter graues censuras, seueraſque accusationes, eo molestiores, quo neminem propè illæsum prætercunt, damnant omnes, testes facti ac iudices omnium, maximéque magnorum virorum; in quibus ob augustam aliquam nominis amplitudinem, proniùs inuidia & æmulatione stimulante incurrunt.

Remedia.

A Malorum, quibus laudator sui agitur, extirpatione petenda sunt: innatam quandam hic superbiam inuidiamque nemo non videt, quibus agitatur, & alienis contabescit, ac suis pascitur laudibus. Quare ad superbiæ ac inuidentiæ radices securis admouenda est, contrariisque submissionis, & amoris remediis animorum hæc venena pellenda sunt.

Assuescat proinde quicunq; hic est, aliena laudare etiam minima, illa mirari, prędicare & publicare; sua tegere, deprimere & exte-

Digitized by Google

extenuare: fugiat ſuorum laudatores: cogitétque ferè eos non pati grauiſſimos in abſentia cenſores, quos præſentes profuſiſsimos ſenſimus laudatores.

Cogitet illa nobis ſperanda ab aliis, quæ nos impendimus aliis, paribúſque dicta factáque noſtra commendationibus, aut vituperationibus metienda.

In alijs denique, qui ſimili vitio tenentur, tanquam in ſpeculo ſeipſum intueatur, & in aliena fœditate ſuam deuitet; alieno exemplo vitia emendet ſua. diſplicent in alijs? fugiat in ſe diſplicentiora. odit domeſticæ pacis turbatores, amátque ſocias dextras neceſſitudinis fraternæ? exequatur in ſe quod amat in alijs: fugiat quod odit in illis, factus iam alijs magiſter & ductor mutuæ caritatis, æternitatis memor vitæ alterius, breuitatis huius; pœnarum & præmiorum illius, incertitudinis huius.

CAPVT XIV.

Ambitio ſpecioſorum munium proſecutio: vilio-rum fuga & contemptus.

Ma-

Digitized by Google

MALORVM omnium in Religione ſummum, & è quo tanquam oceano & fontibus, reliquorum ferè vitiorum flumina naſcuntur. Quid enim ſperari ab illo poteſt, ſiue in ſalutem proximorum, ſiue in Religionis augmentum, ſiue in diuini nominis propagationem, cui honor dignitaſque propria pro propoſito ſibi fine eſt? quique cogitationes ſuas omnes in præfixũ ſibi dignitatum ſuarum ſcopum iaculatur? Quid non timeri? Diuini illi nominis gloria, ſalus proximorum, Religionis progreſſus, tamdiu cordi erunt, quamdiu hæc idoneam ambitioni ſuæ materiam iudicauerit: vbi ſenſerit auxilio ſibi ad quę ſperabat, non eſſe, repellet & auerſabitur, vt votis, expectationi, conatibúſque ſuis inimica; adeóque in depreſſionem ac euerſionem illorum ſtudia ſua cõuertet, ſi per calcatam Dei Religioniſque gloriam, proximorumque ſalutem, viam ſibi ad honores ſtratã viderit.

Cæca omnis ambitio eſt. nihil videt prętter conceptam ſemel animo gloriam, quæ tanquam denſa circumfuſus nebula, nullos aliorum proſpectibus habet oculos. ſol luceat,

Digitized by Google

ceat, sideráque micent; nihil videt oculus obscura dignitatum suarum nube circumuallatus. nubem suam videt; ad reliqua cæcutit. Non patet illi aditus nisi per scelera ad prætensum decus? per scelera in illud ibit. clausa illi semita est ad munus quod ambit, nec aditum videt, nisi per diminutionem famæ alterius? miscebit falsa veris, & in optimo quoque comminiscetur pessima; nec persequendi finem faciet, donec detractionibus, tanquam validis harpagonibus, innocentem à munere deturbauerit, vt optato potiatur. obstat fortior illius studiis? adulationibus expugnare conabitur. irriti hi cadunt dolis? ad aperta se conuertet odia, vt importunitate ac improbitate vincat, quem non potuit fraudibus.

Hinc ingentes domi animorum nascuntur conturbationes, dum mente ambitiosus inquieta, iactatione sua commouet reliquos: vt pro pacato æquore, tempestuosa in Religiosa domo reperias maria; sorbendus cum non vno, si propiùs accesseris, & inter hortorum pratorúmque hæc quondam amœna, fornaces inuenias, ambitionis igni-

Digitized by Google

ignibus accensas, amburendus si admoueris pedem.

Misera Religionis conditio, quæ ambitioni patefecit ostia. reliqua enim cum illa admisit vitia: neque enim sola venit, ingenti scelerum omnium stipata comitatu est. nec vllum iam illi scelus, si fruatur optatis, etiã in matrem sæuiet, & per calcatum Religionis vterum ad propositum sibi decus aduolabit interrita, crudelis in genitricem.

Sed neque, si sperata consecutus ambitiosus fuerit, quiescet, noua meditabitur: perpetuo namque tanquam rotatu per aspera, mollia, plana, præcipitia, voluitur infelix. nec vlli minùs quàm sibi placet. intus inuidentia depascitur, foris aduersarios patitur; nulli amicus, inimicus omnium; contemptor omnium, omnium percutitur linguis; pari mensura feriendus, qua prior ille reliquos ferit. alienæ virtutis hostis; nulli benignus, crudelis in omnes. nullius etiam beneuolentia donandus. laudat neminem, damnat omnes, etiam quos sibi iunxit. nam si eos viderit vilioribus contentos, inter inglorios & ignauos numerat: si ad maiora ex-

Digitized by Google

exemplo suo contendentes, pro hostibus & gloriæ suæ obstructoribus habet. sed neque facilè fidem adhibet vlli, suo semper ingenio reliquos metiens. suspectissima deinde illi omnia, dum singula metuit, & ingeniosa solertia, è variis, nec cogitatis principiis miras consecutiones nectit. & ferè cogitabundum talem reperies, multa machinantem, melancholia etiam oppressum, nusquam explicatum, dum vel amittendi muneris torquetur metu, vel mœret de repulsa, vel in obtinendo etiamnum laborat, & aduersarios circumspicit.

Infelix planè ambientium in Religione conditio, qui nec noctes patiuntur quietas, dum perpetuis æstibus iactantur. nulla iam illis oratio. vota pro oratione sunt. exulat pietas, & pro pietate speratum illis decus inhæret animo: pro Dei præsentia, expectata gloria. quid? quòd vilescant animis, dum singulorum, quos commodos sibi arbitrantur, captant gratiam, etiam vilissimorum; ad quorum se genua abiicient, si idoneos arbitrantur fini proposito.

Humilis contrà, sorte sua contentus

Digitized by Google

quanta in pace degit? nec mirum in pace esse qui nihil ambiat, nulli abblandiatur, nihil à quoquam speret, quare nec quemquã veretur, aut solicitè & anxiè colit. erecta illi verba, animus celsus, nulliusque, præterquã Dei indigus. verba plana, nec ad gratiam composita, nec ad simulandum formata, aut ad fallendum delecta. inimicus nulli, amicus omnibus; molestus grauisque nulli, carus omnibus, in alta quiete, omniumque admiratione & laude vitam ducens, vitamque finiens rara posteritatis grataq; memoria. Superioribus obsequens, inferioribus carus, paribus acceptus, omnium ore laudatus. familiaritatem illius ambiunt omnes, delectantur consuetudine, pascuntur colloquiis. Superiores concedi hunc sibi postulant, prehensant inferiores, paresq; gratulantur sibi. qui quo maiore submissione repellit à se magna, hoc maiori impetu confluunt ad illum magna. postrema deligit, prima omnes vltrò obtrudunt. vilissima ambit, summa nolenti ingeruntur. quoque maior sui contemptor, hoc validiore aliorum conatu extollitur. Hæc sunt debita virtuti

Digitized by Google

iti prȩmia, quibus omnis ambitioſus caret. t bene Auguſtinus Serm. 1. de vita Cleric. *n humili loco ſalus, in alto periculum.* & elegan- er Magnus Gregorius, ad ambitionis con- emptum, metum, horrorem, humilitatis a- morem & amplexum: Paſt. par. 3. capit. 18. *Audiant humiles quàm ſunt æterna quæ appetunt, quàm tranſitoria quæ contemnunt: audiant elati, quàm ſunt tranſitoria quæ ambiunt, quàm æterna quæ perdunt. audiant humiles ex magiſtra voce veritatis,* Luc. 18. *Omnis qui ſe humiliat, exaltabitur: audiant elati, Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur. audiant humiles,* Prou. 15. *Gloriam præcedet humilitas: audiant elati, Ante ruinam exaltatur ſpiritus. audiant humiles:* Iſaiæ 66. *Ad quem autem reſpiciam, niſi ad humilem & quietum & trementem ſermones meos? audiant elati, Quid ſuperbis terra & cinis? audiant humiles, Deus humilia reſpicit: audiant elati, Et alta à longè cognoſcit. audiant humiles:* Matth. 20. *Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare: audiant elati:* Eccli. 10. *Initium omnis peccati ſuperbia. audiant humiles:* Phil. 2. *Quia redemptor noſter humiliauit ſemetipſum factus obediens Patri vſq; ad mortem: audiant elati quid de eorum capite diabolo*

Digitized by Google

ſcriptum eſt, Ipſe eſt rex ſuper omnes filios ſuperbiæ. Occaſio ergo perditionis noſtræ facta eſt ſuperbia diaboli, & argumentum redemptionis noſtræ inuenta eſt humilitas Dei.

Remedia.

AB humilitate petenda ſunt. ambit aliquis magna, in viliſſimis continendus eſt, ad ignobiliſſima loca relegandus, minimiſque deſtinandus: vt talium aſſuetudine aut ſe vincat, conteratque altiores ſpiritus ac ſub iugo contineat; aut impatientia victus, Religionem à metu liberet. conſultius enim fuerit talibus carere, quàm tot domi turbarum cauſam alere. monendus tamen ſerio, per confeſſarium, aut Præfectum ſpiritus, alioſque viros magnos. pœnitentijs etiam ſtimulandus: quæ ſi irrito cadunt conatu, & perſtat ille in faſtu; forti Superiorum robore & conſtantia continendus in humilibus erit. aut enim ſe vincet, animoſque domabit, magno Superiorum aliorumq; gaudio; aut ſubmiſſionis impatiens, in apertam prorumpet defectionem, Religionemque metu liberabit.

Proderit in primis, ſi omnis illi materia glo-

Digitized by Google

gloriæ adimatur, obſeruetur diligenter à variis, ac ſicubi deliquerit, nõ parcatur. ſi quid vituperatione dignum egerit, non ſileatur: ſi quid laude, ſilentio prematur. à magnorum clarorumque virorum, matronarumque confeſſionibus & conſuetudine auocetur, adimaturque illi vniuerſim quidquid ad laudem facit aut ducit.

Forti ſententia terret ambitioſos Origines ſuper epiſto. ad Rom. *Omnis adeundi honoris Eccleſiaſtici abſcinderetur ambitio, ſi ſe iudicandos potiùs, quàm iudicaturos, hi qui præeſſe volunt populis, cogitarent.* Ambitionem verò ipſam ſcitè Bernardus deſcribit in Sermon. quadrageſ. *Ambitio futile malum, ſecretorum virus, peſtis occulta, doli artifex, mater hypocriſis, liuoris parens, vitiorum origo, tinea ſanctitatis, excæcatrix cordium, ex remediis morbos creans, ex medicina languorem generans.*

Nobile remedium à Diuo Gregorio habemus in Paſt. par. 3. capit. 18. *Plerùmque elatos vtiliùs corripimus, ſi eorum correptionibus quædam laudum fomenta miſceamus. inferenda namque ſunt illis aut talia bona quæ in ipſis ſunt, aut dicendum certè quæ poterant eſſe ſi non ſunt:*

& tunc demum resecanda sunt mala quæ nobis displicent, cùm priùs ad audiendum eorum placabilem mentem fecerint præmissa bona quæ placent. nam & equos indomitos blanda priùs manu tangimus, vt eos nobis pleniùs postmodum etiam per flagella subigamus; & amaro pigmentorum poculo mellis dulcedo adiungitur, ne ea quæ saluti profutura est, in ipso gustu aspera amaritudo sentiatur: & dum gustus per dulcedinem fallitur, humor mortiferus per amaritudinem vacuatur. Ipsa ergo in elatis inuectionis exordia permista sunt laude temperanda, vt dum admittunt fauores quos diligunt, etiam correptiones recipiant quas oderunt.

CAPVT XV.

Delectus muniũm, locorum.

FALLIT plurimùm Superiores hic delectus, nec respondet votis, plusque ferè siue temporalis, siue spiritalis auxilij ab aliis consequuntur. quòd maior in his fiducia in Deum eluceat, plus in illis prudentiæ humanæ: quo fit, iusto Dei iudicio, vt spe ferè sua Superiores frustrentur, cum sæpe etiam tales patiantur aduersarios, graueſque ob-

ser-

Digitized by Google

seruatores ac censores, quos precibus impetrarunt. Monitorum deinde ac si qua necessitas id postulet, iniungendarum pœnitentiarum libertas tollitur, cùm offensionem Superiores vereantur; & qui se vocatos sciunt, liberiùs offendant, euocationis suæ spe freti, facilesque ad murmurationes sint, si minùs placentia imponantur. Nec quidquam in his promptius, quàm ad minimarum rerum displicentiam illud inculcare, Cur euocauit bene constitutum? meliùs mihi erat alibi. Nascitur inde non loci modò, & muneris, sed & omnium propè displicentia, & murmurationes, inde animi inquietudines, cùm nunquam explentur desideria, & præteritorum memoria præsentia displicent.

Quòd si in Superiorem minùs fortem, aut robore destitutum delectus ceciderit, sequitur facilis & ingens noxiorum iuxtà ac bonorum permistio; cùm indulgentiores ferè simus in eos quos vltro vocatos meminimus: & nullus propè querelarum locus apud eos, qui mederi possent, ne delectum nostrum damnare videamur, aut impru-

Digitized by Google

dentiam accusare; neue cõsuetum illud audiamus, Habes quem petisti; obsecutus sum voluntati tuæ, antè cogitasse oportuit. bene illi alibi erat. vt omnis iam culpa in euocatorem eat. atque hinc graues sæpe multorũ offensiones nascuntur, cùm Superiores delectus sui sibi conscij, ne aut offendant, aut mœrore afficiant, aut minùs commodos tales experiantur, non concedenda concedãt. quod vbi fit, abit res in exemplum, & paria sperare reliqui non verentur, paria etiam audere: è quibus vniuersa paulatim domestica disciplina delabitur: quę vbi refrixit ac corruit, à sola ferè sectione remedia expectanda sunt; mutandi nimirum plerique omnes, & ad Superiores disciplinæ arctioris; variáque amandandi loca sunt, cùm à sola propè mutuæ cohabitationis separatione salus sperari possit: ac disciplinæ amantiores in illorum locum substituendi erunt; aut sanè Superior ipso loco mutandus, & robustior illo subrogandus.

Eadem incommoda in inferioribus reperias, qui precibus locorum mutationem impetrarunt. sequitur enim plerumque pœni tu-

Digitized by Google

nitudo, cùm non omnia votis respondeant, & damnamus preces nostras, & queri erubescimus, ne consilia ipsi nostra accusemus, & audiamus inconstantes: inde mœrores, ac tacitæ interni roboris emedullationes, cùm interiores animi vires exeduntur, & aperire pudet, & ad vincendum robore destituuntur. ad locorum enim nouas descendere mutationes rubor vetat; & locorum ramen, sociorum, Superiorúmue ferre conditiones imbellis animus negat, aut innata quædam menti aliena, pugnansque cum aliis, ac quasi hostilis & inimica conditio. ita cùm hinc verecundia terreat, isthinc molestia crescat; contabescit animus, aut in apertas prorumpit factiones, & causas aliquas comminiscitur, quibus incõstantiam suam tegat. has si verisimiles reperiat, laxat delationibus habenas; sin minùs, comminiscitur etiam falsas, dummodo potiatur optatis, subducatque quasi è seruitute ceruices nunquam satis domitas, nec suaui obedientiæ iugo in solidum submissas.

Prosiliunt ex his initiis omnia malorum genera, nec quidquam tam à Religione a-

Digitized by Google

lienum, quod non audiat. ſemel enim pudore depoſito in omnia ſe profundit mala, & quæ antè damnauerat, probat vt ſequenda: ita qui febribus tenentur; inimica antea guſtui laudant, & auidiùs hauriunt, profutura damnant.

Accedit, quòd rarò diuina bonitas felices huic delectui ſucceſſus tribuat, vt qui reſignatæ obedientiæ repugnet, plúſque adferat iudicij noſtri, quàm in Deum fiduciæ: quaſi enim de Domini in nos prouidentia diffidentes, recurrimus ad hunc ſeu perſonarum, ſeu locorum delectum, cui pœnitẽtia perpetua & indiuidua comes eſt. quod innumeris propè aliorum exemplis diſcimus: quorum infelix exitus meritò terrere omnes, & auertere ab his conſilijs debeat.

Iam cùm ferè in inferioribus delectus hi naſcantur ex amore ſui, cùm huic aër ſit craſſior, illi tenuior; huic minùs amœnum cœlum, illi nimis ſudum; alteri plebeiæ nimiùm occupationes minùs ſplendidæ, minus è dignitate, eruditionis opinione, vulgares, rariores, frequentiores, intempeſtiuę, ſubitæ; aut Superior durior, tenacior, moroſior,

Digitized by Google

rosior; oculatior, maturior, retractior, ad suspiciones pronior, regularum obseruantior; aut alius suauior, liberalior, mollior, facilior, hilarior, laxior, ad omnem concessionem profusior, indulgentior; fit vt in ingentia se plerumque animarum discrimina conijciant: cùm ferè ignorent quanta domi foríque pericula immineant. intus nimirũ latet malum, quod nisi excusserint, nulla locorum mutatiõne pellent: cùm ferè tales libertatis amor, disciplinæ Religiosæ fuga, commoditatum corporis studium, ãdnatus animo tepor, grauiorum metus & horror, ad hæc consilia adigant; vnde fit vt speratæ apud Deum mercedis non postrema, aut omni etiam parte spolientur, cùm delecti muneris aut habitationis concessio mercedis illis loco sit.

Remedia.

INdifferentiæ studium, frequens excitatio in Deum fiduciæ, cui maior cura de nobis, quàm nobis ipsis incumbit.

Incommodorum delectui huic colligatorum memoria, recordatióque illorum,

Digitized by Google

quibus non rarò cum interitu delectus hic coniunctus fuit.

Nihil deinde in omni Religione certius pacatiúsque, quam vniuersam sui curâ Deo committere; ne quid videamur detraxisse de ingentiin illum fiducia, plusque prudentiæ nostræ, quàm illius prouidentiæ fidisse. Ille securus viuit, qui totum sé diuinæ gubernationi commisit. quàm fortiter monemur, quàm certò Matt. 6. *Considerate lilia agri, quomodo crescant, non laborant, neque nent. Si autem fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit: quanto magis vos modicæ fidei? Nolite ergo solliciti esse, dicẽtes, Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? hæc enim omnia Gentes inquirunt. Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. quærite ergo primùm regnum Dei, & iustitiam eius: & hæc omnia adiicientur vobis.* Quòd si pergat delectus hic animum pulsare, consultum erit cum Præfecto spiritus, aut si quis alius in domo vir prudens, rerum experientia edoctus, consultare; nec quidquam aggredi, nisi non tantùm consulto sæpe Domino, sed aliorum iudicio præquisito, quorum potiùs sen-

Digitized by Google

sententiis, quàm nostris stemus.

Proderit etiam aliquando cum iudicio confessarij voto se aliquo temporario obstringere, omnemque hanc delectus cogitationem negligere ac respuere, vt inimicam Deo, aut sanè vt minùs ei placentem gratamque, vt obedientiæ repugnantem, adeoque vt omnis perfectionis hostem, omnisque inquietudinis matrem.

Moueant nos exempla Christi, totum se parentis obedientiæ committentis: Ioan. 4. *Meus cibus est vt faciam voluntatem eius, qui me misit, vt perficiam opus eius.* & post illam lacrymarũ, sudorum, sanguinum luctam, omniũ quas vlla sæcula viderunt grauissimã, Mar. 14. *Non quod ego volo, sed quod tu*; & apud Matthæum, cap. 26. *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* sequamur ducem milites, & cuius præferimus nomen, imitemur facta.

Magnum victoriæ genus hic est contraria propensioni ambire, voluntatemque valido conatu ad illa propellere, magnorum in omni Religione exemplis. nunquam sanè quidquam poscere, & in re firmare animum tutissimum est. versanturque tales in

in altissima quadam pace, quidquid euenerit, diuinæ prouidentiæ committẽtes, securi se non ambiuisse. In quo vno solari se possunt, & audenter cum Propheta dicere Psalm. 90. *Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur.* Psalm. 22. *Nam & si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es.* & Psal. 24. *Non erubescam quoniam speraui in te.* & Psal. 25. *In Domino sperans non infirmabor. protector* enim Psal. 17. *est omnium sperantium in se.* memores monentis Apostoli 1. Pet. 5. *Omnem sollicitudinem vestram proiicientes in eum, quoniam ipsi est cura de vobis.* cùm contra petitores interno externoq; solatio destituantur. intus habent conscientiam redarguentem, extrà reliquorum destituuntur auxilio, bis infelices, bis miseri.

CAPVT XVI.

Nimia in vnam alteramúe nationem propensio.

DEbeata felicique diuersarum nationum in vno spirituali corpore indiscriminata coniunctione benè Hilarius: Psalm.

Digitized by Google

Pſal. 132. *Populo Dei congruit ſub vno patre fratres, & ſub vno capite vnius corporis membra eſſe. non enim oculus aurem odit, nec nares os execrantur, nec manus pedem ſpernit. hæc enim vt officiis mutuis ſibi, ita & amore diſtracta ſunt. hoc iucundum & bonum habitare fratres in vnum, in eodem eſſe, idem eſſe, nec congregatione fieri, nec amore diuerſos.* Propiùs etiam ad rem noſtrã S. Baſilius Conſt. mon. c. 19. *Quid eo beatius dici? quid hac coniunctione, vnitate ac neceſſitate aptius excogitari? quid mutua inter ſe morum animorumq; con- operatione gratius fingi? homines ex diuerſis nationibus profectos, per exactam morum ac diſciplinæ ſimilitudinem adeo in vnum veluti coaluiſſe, vt in pluribus corporibus vnus modò animus eſſe videatur: viciſſimq; plura corpora mẽtis vnius inſtrumenta cernantur.* Hanc variarum tanquam gentium variarum vuarum in vnũ torcular amicam commiſtionem, aut variorum marmorum in vnius eccleſiæ ornatum coalitionem, quicunque ſuſtulerit; & nobilitate & decore ſuo vniuerſum corpus nudabit, & in miſerandam ridendamque ſolitudinem, omni robore auguſtaque maieſtate ſpoliatam diſperget. ſcinditur enim hac na-

Digitized by Google

nationum gentiumque discriminatione vniuersum Religionis corpus, quod sola animorum coniunctio tuetur, descenditurq; in validas partes; neque iam in vno, aut altero, sed totis concurritur castris, proniquę in vniuersæ Religionis perniciem & interitum, laxatis habenis deuoluimur.

Nam vbi semel hic morbus occupauit animos, nullis iam propè consiliis, aut rationi locus est. exulat enim cum veritate ratio, cùm non tam rerum momentis, quàm nationum pondere ducimur.

Et quid sperari potest, quid non timeri, cùm ad fugam, aut sequelam satis est, hanc illámue gentem ita censuisse, aut damnasse? in quo non tam rationum momenta, quàm gentiũ placita discutiuntur, vt satis sit ad damnationem, alterius à nostra nationem mentem hanc esse; satis ad probationem, gentis nostræ sensum hunc esse. & veritatem ipsam non raro manu tangimus, repellimus interim cùm ab alia gente prognatam scimus, gaudemúsque deterioribus domi nostræ natis, ne meliora videamur ab aliis mutuati. Desunt nostræ viri magni qui præsint,

qui-

Digitized by Google

quique saluti proximorum incumbant, vti deterioribus placet domesticis, ne ab exteris meliores videamur deposcere. tantum nationum studia possunt, vt destituti nostris, carere in solidum velimus melioribus, ne ab alieno solo nata nobis salus, aut petita videatur. & iam ad impugnationem damnationemque satis est, ab alia, quàm nostra gente venisse consilia. etiam solem negaturi in meridie, si ab alieno in nostrum illuxerit agrum.

Denique ad aperta vniuersim descendimus odia, & perire prauis nostrorum consiliis, quàm bonis salutaribusq; aliorum florere præeligimus. ac tandem eò dissentientiũ animorum acẽrbitas venit, vt si ignorata gens sit, probemus & sequamur consilia; at vbi primùm innotuit alienæ gentis auctor, resiliamus à probatis, nouasque impugnandi causas reperiamus; priora consilia nostra, ex auctoris ignoratione prognata, damnantes. grande malum, & non iam turbandæ, sed euertendæ Religioni natum. nam cùm è variis nationibus omnium propè Religionum, tanquã validissimi exercitus

Digitized by Google

tus robur conflatum sit, nec alia re magis virtus illius potentiaque quàm animorum coniunctione contineatur; nemo non videt, disiunctionibus hisce, animorúmque dissensionibus, vniuersum robur, quod vna validáque connexione firmabatur, labascere, hostibúsq; ludibrium fieri, inimicorúmque deprædationibus exponi; & quæ terrori primùm acies erat, inuictáque mutua coalitione stabat, solis domesticis dissensionibus, nulla externa inimica manu impellente ruere.

Huc accedit, quòd hæc gentium studia etiam ad externos decurrant: & inuoluimur iam Principum, rerúmque publicarum pœnitendis, & in capita nostra casuris negotiis. tantum potest efferuescens hic gentium amor: vt cùm æmulationes odiáque abeant in vniuersam gentem, in vniuersam etiam eant consilia machinationésque, exigua cura tuitionis famæ salutísque nostræ: ita dum fortiùs quàm prudentiùs aduersarios insequimur, vulneribus locum damus, & antè sæpe ipsi cadimus, quàm hostem feriamus, aut assequamur.

Digitized by Google

Et sanè totum paulatim genuinæ Religionis spiritum pestifera hac nationum discretione collabascere necessum est. neque enim inter has inuidias, æmulationes, partiúmque studia charitas habere locum potest. vnicum Religionum Ordinumque vinculum ac firmamentum. neque venenario hoc partium gentiumque studio commaculata Religio valetudinem diu tueri suam potest. ibit non multo pòst in perimentes morbos potenti hoc toxico inebriata, & quam nulla externa mouere poterant arma, domestico hoc cadet malo. stetit interrita & inuicta stante charitate? cadet pauida labante charitate, quæ nulla in re potentiùs, quàm in diuersarum nationum coniunctione illucescit.

Certè tales degeneres à Christi disciplinatu sunt. ignorat nationum discrimina Christi sanguis, quo vno arctiùs quàm omnibus patriæ vinculis colligamur. non imitamur magistrum discipuli, ducem milites, parentem filij si aliud sapimus, si non pariamur inter nos amore, quos lacrymis, sudore, sanguine, ac vocationis prærogatiua pariauit

riauit Christus. nec Apostolos in vnam gentem, sed in omnes misit. & ferè omnium gentium conuersiones ab exteris nationibus profectæ sunt, quo magis in illis diuina luceret potentia: ne quis illarum ad fidem conuersionem sanguinis propinquitati, linguarum cognitioni, amicorum opibus, similibusque tribueret.

Quot propè amoris proprij incommoda, tot huius sunt, cùm ex amore proprio nationũ hæc propensio nascatur. commodior nimirum ab vberibus frequentata lingua, cibus, vestes, socij, amicus, cælum. ignaui militis signa hæc sunt. ardua poscit generosus, in quibus virtutem ostendat; gaudet asperis, in quæ magnos animos effundat. sanguinemq; aut dare aut haurire pulcrum, ne inglorius, aut ficco hostili sanguine baltheo cadat: hæc prima illi cura. ab arduis gloriam laudemque venatur. à quibus solis ingentia & viro digna decora nasci arbitratur. facit idem verus Religiosus, qui vocationis ac Christi ducis sui memor, indignatur animos patria sua claudi. angusti hi termini sunt virturi, vniuersum contuetur orbem.

Digitized by Google

bem. semel renuntiauit patri, matri, fratribus, sororibus, amicis, patriæ, renunciauit æternùm. aut si retrò flexit oculos, indignus Christi sui militia, indignus regno est.

Remedia.

E Superiorum ferè vigili studio speranda ac petenda sunt. initia proinde, seminaque mali huius validâ secanda & excandicanda manu sunt.

Quòd si publicis priuatísq; monitis non cesserit malum, ad pœnitentias decurrendum erit, etiam publicas in publicis delictis.

Quòd si neque hîc steterit malum, seriò de dissensionum harum auctoribus à Religione tota rescindendis deliberandum erit. Clementia est sæuire in paucos, vt vniuersi corporis valetudini consulatur.

Nec inutile fòrs fuerit misceri nationes, vt mutuo hoc conspectu conuictúque coalescant animi. plurimũ enim ad coniunctionem contubernia faciunt, maximè si à prima ætate mutuo assuescant conuictu. non quòd frequentem in linguarum varietate & imperitia, mistionem probem, aliquam

quam tamen probo, & paucorum a prima adoleſcentia conſuetudo, mirum quantum ad variarum gentium coniunctionem valeat.

Neque quenquam in quacunque gente excludendum putem à muneribus, etiam Superiorum, modò reliqua functionibus eiuſmodi neceſſaria adſint. Nam vniuerſam aliquam gentem à talibus excludere, magnam & diſſenſionum, adeoque & odiorum cauſam præbet. Nam quæ ſe ſecluſam videt, paria in aliis tentabit. atque hinc iam partium & nationum contraria & aduerſantia proſiliunt ſtudia.

Et licet inter genuinos, veréque Religioſos, fuga potiùs horrorque, quàm dignitatum aut munerum proſecutio, aut vota eſſe debeant; neſcio tamen quis ſenſus à negatis functionibus pectus animumq; feriat. præſcidiſſe, ac in ſolidum negaſſe, quaſi in vota impuliſſe eſt. offer, faſtidient. nega, propendebunt. creſcit à negatis amor, à conceſſis faſtidium. vt ad expletionem ſatis ſit potuiſſe: ad deſiderij prouocationem, negatum fuiſſe. Et vniuerſim gentis alicuius excluſio va-

Digitized by Google

validissimum alienationum ac odiorũ prouocamentum est. quis enim nesciat, ex omni gente viros enasci magnos, & sæpe vnam destituti, aliam abundare? ita vno non rarò sæculo & ætate plurimi in vna republica duces imperatoresque, ac in omni scientiarum genere exurgunt magni, cùm insequẽti sæculo nullum bellica, aut literaria gloria clarum reperias. mutuare proinde ab aliis, cùm propriis destitueris, prudentiæ est: magis etiam in Religione; in qua non à nationum varietate, sed à dignatione, ac meritis munia distribuenda sunt. quæ res valido illam in primis vinculo colligat, & non nisi stolidissimi ingenij est, nolle ad externa circumspicere auxilia, cùm domesticis destitutaris. Sanè potentissimos ferè summorum imperatorum exercitus è varia gente videbis, vt mutuis æmulationibus crescerent animi, dum pro gentis suæ gloria in posteritatem itura quisque pugnaret. primasque ferè orbe toto victorias à misto variarum gentium robore relatas legimus.

Proderit incommoda secum considerare, quæ è nationum discrimine nascũtur.

Digitized by Google

benéque de aliarum gentium moribus sentire & loqui, sempérque in illis inuenire quod laudem mereatur; quæ verò meritis reprehensionibus obnoxia sunt, alto silentio premere: humaniter illos benignéque excipere, ac impensiùs etiam in salutem illorum incumbere: operámque suam prolixè spondere, prolixiùs etiam rebus exequi, peculiarem etiam familiaritatem cum illis induere, sæpiusque oportunitate data colloqui, aliquid etiam quando Religio patitur, propensionibus illorum indulgere: hilari etiam vultu excipere à moribus nostris aliena, si nihil contineant Religioni aduersum: ac facillimũ esse in delictis illorum ignoscendis: parcissimè cũ laude de gente sua loqui, prolixè de aliena: si quæ misceantur de gente tua minùs proba, aut damnanda etiam, cum risu ac modestia excipere; quædã fateri, quædam suauiter excutere, alioq; sermonem flectere, ad laudem nimirum gentis alterius, aut quamcumque rem aliam.

CAPVT XVII.

Nimia cum vno alterouè familiaritate.

Ac-

A Emulationum hîc magnus aperitur campus. paulatim enim illæ excrescunt in alienationes, adeóque in odia, & frequentes oblocutiones, murmurationes, detractiones etiam; quoq; magis hæ familiaritates crescunt, eo magis etiam crescit obloquendi facilitas. quod quo promptiùs fiat, causæ improbandi has priuatas familiaritates & disquiruntur, & non magno conatu ab aliis reperiuntur. itur deinde ad taliũ mores, cùm aut fastum, & reliquorum contemptum singuli interpretentur aliorum vitationem & fugam; singulorum vitia, tanquam coalitionis causa singulis imputãtur. nec famæ hîc parcitur aut gloriæ. tantum possunt conceptæ è familiaritatibus hisce indignationes ac æmulationes.

Sequitur deinde in aliis fuga consuetudinis talium, vt omnes alieniores tandem reperiant, & diffidentia plenos. quicunque enim se neglectum videt, contemptum etiam arbitratur, & ab innata paucorum superbia nasci hæc putat, aut à studio reliquis se præferendi. quod vbi semel aliorum animos peruasit, omni ope qua dictis, qua factis

Digitized by Google

deprimere tales conantur, quos per priuatarum familiaritatum ſtudium ad maiora conniti ſuſpicantur.

Naſcitur etiam plerumque è priuata hac tanto ſtudio parata conſuetudine, vt mutua facilè vitia imbibant, adeoque ſequantur, æmula quadam morum ſimilitudine, tanto nimirum futuri coniunctiores, quanto mutuis vitiis propinquiores. Coniunctio enim, à morum ferè ſimilitudine, initia & incrementa ſumit: hinc vt placeamus amico, aut cuius amicitiam venamur, mores effingimus; probi illi aut improbi fuerint, minima ac poſtrema cura: maxima, placuiſſe, & ingenio ac moribus ſe alienis conformaſſe eſt. Vincit nimirum familiaritas, quem vitium vincere non potuit: imò quos valido tentationum procurſu vincere non potuit diabolus, vincunt familiaritates. dum aut offendere nolumus, aut mœrorem ingenerare, aut placere lubet, aut imitari etiam iuuat, delectatq; ſimilem amico fieri: vt quos arctior quædam neceſſitudo coniunxit, connectat delictorum paritas, ne nimirum ruborem incutiat amico, ſi imitari vitia erubeſcat

Digitized by Google

beſcat: quaſi amicitia corruat, niſi ſcelerum connexio ſtatuatur.

E mutua hac etiam familiaritate, mutuas neceſſum exurgere adulationes. cum enim mutuam deuitent offenſionem, mutuas decantant laudes, mutuoq; ſe ſcabie hac capti perfricant: probant omnia, improbant nihil, veriti ne quid alienationis enaſcatur.

Diſcindimur his familiaritatibus, imuſque in partium ſtudia, ac aduerſarias molitiones: nec iam vniuerſim caritas, aut amicitia ſtat, ſed in vno aut altero capite. quę res noxia in primis Religioni eſt, exponitq; corpus totum iniuriarum oppugnationibus, cùm nudet latera, viribuſque quæ totius corporis coniunctione continentur, ſpoliet, exuatque omni robore, quod mutuo vniuerſim amore firmatur.

Maiora etiam ab his amicis mala quàm ab inimicis metuenda ſunt. nam cùm ab his ſibi quiſque caueat, neque facilè quidquam illis committat, quod ruborẽ iniicere poſſit, non habent metuendi cauſſam, cùm enim quiſque ſe ſuaque ſciat ab inimicis obſeruari, inſidias verbis rebuſq; tendi, nemo

Digitized by Google

prudens pœnitenda elabi permittit. accedit, hostium quæcunque consilia, beneuolentiæ signa muneraque, ac iuratas etiam sponsiones suspectissima meritò esse; vt in perpetuis verborum factorumque suorum versetur excubiis quisquis hostes patitur, at ab amico aut perfamiliari quis se tueatur? quis non intima referat familiariori sibi, siue cõsilij, siue solatij, siue leuandi mœroris caussa? è quibus ingentia deinde pericula damnaque metuenda sunt, ab offenso nimirum familiarioris illius animo. offensionem verò nasci è minimis etiam rebus experientia docemur.

Et fallaces ferè has familiaritates, doloso̅que cinere amicitias ex his natas tegi indies discimus. neque enim diutiùs perstant, quàm sperata partis cuiusque emolumenta ferent. vbi illa corruunt, collabascit omnis amicitia, quam ferè quisque commodo suo metitur. excidit spe sua, & frustrata est illum opinio, dilabitur omnis familiaritas. ita qui nihil sperat, cùm nihil metuat, non facilè aliorum venabitur amicitias, quas quisque bono suo venatur.

In-

Digitized by Google

Ingens deinde hæ familiaritates, diuinæ familiaritati impedimentum iniiciunt. credas ingentia flumina flammæ extinguendæ iniecta. Et sanè quantum ferè amicitiæ hæ crescunt, tantum diuinæ decrescunt. quantum enim prioribus concesseris, tantum diuinis ademisse videris. occuparunt priores animum? occuparunt totum, Deumque exclusisti, cùm illi locum nullum reliquum feceris, qui omnem prioribus concessisti.

Demum in carne ferè consummantur hę familiaritates. desinuntque in mutuorum, commodorum, honorum, similiumque rerum connexionem. cùm enim in talibus, non Dei maior gloria, non boni communis amor, aut proximorum salus, sed suum cuique emolumentum propositum sit; fit vt ab his paullatim quàm longissimè recedamus, ac in sensuales plurimùm familiaritates dilabamur. semel enim sepolito Deo, alioque nobis fine proposito, toti per priuatorum commodorum præcipitia ad carnem sanguinemque diuoluimur.

Remedia.

Digitized by Google

HVmanum amorem noſtrum diuino amore metiri, nec ab alio, quàm à diuino principia illius petere, aut ducere: hinc fiet, vt cùm in omnibus pares diuini amoris cauſas reperimus, pari omnes amore complectamur, pariq́ue familiaritate ac beneuolentia, quæ amoris famulę quædam ſunt, in omnes feramur. Hæc certa, & falli neſcia regula eſt, à qua quantum per priuatas amicitias deflectimus, tantum à veritate aberramus, mendacio iungimur.

Frequens in nobis deteſtatio omnium quæ Religionis propugnacula roboráque diſſoluunt: cùm verò inter prima priuata illa priuatarum familiaritatum ſtudia ſint; perfacile erit viro Religioſo intelligere, quo loco illa habere debeat, qua cura ac ſollicitudine vitare.

Aliquoties in anno meditationes hac de re inſtituere, cogitareq́ue apud ſe ſæpiùs, religioſam familiam nobili muſicæ harmonię meritò comparari poſſe; in qua vnius diſſonantia vniuerſam concentus ſuauitatẽ turbat & euertit, & ridendam aliorum auribus muſicam propinat. facit hoc, quicunque bar-

Digitized by Google

harmoniacum hunc Religionis concentum priuatis familiaritatibus turbat.

Iuuabit etiam non assuescere paucis, sed promiscuè omnibus, maximè recreationis temporibus, eumq; arripere, quem primum fortuna obuium dederit.

Proderit vetus illud sæpiùs secum reuoluere, Sic ama tanquam osurus, sic odi tanquam amaturus. quod in magna familiaritate locum non hãbet. amamus enim in illa tanquam semper amaturi; hinc committimus varia tanquam semper celanda, tanquam semper amico. fallimur. nullæ propè in humanis æternæ amicitiæ sunt, quas leuissimus aliquando flatus dispellit. tanquã nubeculam coalitam validiores venti. Sanè nemo in erubescenda corruet, qui amauerit tanquam osurus. neque enim tali pœnitenda committet. aut ad quorum propalationem erubescat.

CAPVT XVIII.

Familiaritas, & gratia quæsita externorum Principúmque virorum.

Digitized by Google

SPECIE plerumque hanc ambimus animas lucrandi, & Religioni conciliandi, maximè viros magnos: reuera plurimùm ad ea amore proprio impellente trahimur. magna ferè multorum offensione, æmulatione, odio, emolumento propè nullo, errorum & lapsuum periculo magno, vt tam carè familiaritas hęc parari non debeat, Religionis non rarò damno ingenti, nominisque illius fœda deuenustatione. Neque enim quidquam procliuius est, quàm inter Magnorum quæsitas familiaritates verbo aut facto labi: quod vbi contigerit, vno non tantùm lapsu, bona laboresq; omnes sepeliuntur, vt illorum memoria iam nulla sit, quasi vna potenti spongia deleta, aut tanquam falce recisa sint; sed grauis insurgit indignatio, quę in vniuersum etiam corpus transit, & tanquam à Babylonia fornace, vicina, & latè etiam posita amburit. vnius enim error abit in omnes, & delicto vnius plectuntur omnes, ab vnoque indignatio nata totum corpus amburit.

Et sanè tot in omni Religione, omnium retro sæculorum docemur exemplis, vt nullo

Digitized by Google

nullo alio magistro opus sit in terrorem & cautelam: neque vigesimus quisque intactus ab hac aulica flamma pedem retulit. Ita amburitur quisquis propiùs accesserit, vt vix cineres referat, vel ignũ vestigia, sępiusq; in fauillas abeat, quàm in lenẽ vstulationẽ.

Et experientia tot iam ætatibus docemur, perraros omnino, ea aut virtutis opinione, aut integritatis fama, aut pietatis sensu, à Magnorum familiaritate ad Religionem rediisse, qua egressi fuerant: plurimos etiam aulicam consuetudinem miserando vocationis naufragio nobilitasse; vt vix iam trigesimus charybdim hanc tabula enatarit, fortuita potiùs, quàm præprouida felicitate; reliqui irrespirabili hoc profundo absorpti sunt.

Nec facilè quemquam reperies aulicis hisce Magnorum moribus assuetũ, qui non ea retulerit, quæ vix annorũ plurimorum deleri spongia potuerunt. Ita semel Magnorum consuetudine delinitus & assuetus Religiosus, vix affectum hunc nisi cum vita aut infamia deponit. Iam vbi inualuit illa nobilitatis prurigo, vilescit quidquid humi-

Digitized by Google

litatem,& instituti tenuitatem sapit : atque hinc vocationis quidam contemptus nascitur, omniaque displicent quæ probata priùs ; dulcia nimirum in amaritudinem, mella in fella, medicamenta in venena versa sunt;& quę antè adamabat anima,in horrorem mutata sunt:exulat candor, & pristinæ religionis simplicitas,euanuit pulsa synceritas, veritas abacta est ; & pro his aulici mores, politica agendi ratio, mentiendi libido,doli&simulationes subintrarunt.Nec mirum ea adhærescere quæ inter aulicas consuetudines in dies teruntur manibus.

Fugiet hanc familiaritatem, quicunque vocationem amat, qui præcipitia veretur infelici,in omni quà patet orbis Religione, exitu funestata : quique nullos ab illa meliores, omnes propè deteriores exiuisse videbit; pauciſſimos integra nominis, quam intulerant,æstimatione; omnes ferè ingenti eiusdem decoloratione. præterquã quòd ea res in Religione,magna non vltimarum æmulationum mater sit. nam cùm vident reliqui ambitioso aliquem conatu Magnorum familiaritatibus se implicare,domesti-

co-

Digitized by Google

corumque consuetudini subtrahere, quasi viliorem sociorum consuetudinem ac conditionem auersetur; in auersiones etiam ipsi, adeoq; & in odia decedunt, carpuntque iam etiam optima, cùm æmulatio inuidentiaque è captata magnitudine nata, religiosum alioqui pectus occupauit: contingítque plurimùm, vt, qui aliena sectatur, domestico excidat amore, ac Magnorum interim beneuolentia careat, vtriusque inuisus, aut sanè neutris probatus. E qua re mœror exurgit, & animo non satis Deo, aut cælestibus dedito melancholia exoritur, vniuersum internæ mentis robur emedullans, & quidquid est spiritus boni, radicitus excaudicans. Hinc languor, & spiritalium rerum omnium fastidium ac nausea: sibique, aliisque demum grauis, miseram vitam trahit, finitque etiam miseriorem.

Sequuntur externorum æmulationes inuidentiæque; qui non ferunt Religiosos tanta Magnorum vti familiaritate. nec res ferè magis vlla in oculos incurrit, aut citatiora certioraq. odia prouocat. tritum namque est, quæ consequi ipsi diffidimus, aliis

Digitized by Google

inuidere. hinc illæ in æmulationibus euertendi molitiones : quasi leniendo mœrori medicamentum sit alios deturbasse; mitiusque dãna feramus, si socios nacti fuerimus. Huc accedit, Principum plurimùm delicta familiarioribus asscribi. prudenter beneque se habet Princeps., Principis ingenio naturæque illius benignitati tribuimus; aberrat à probitatis regula, in familiarem illi Religiosum omnis culpa reijcitur. non monuisse etiam aut dissimulasse in his, fecisse est.

Sequuntur & reliquorum in Religione non minùs noxiæ æmulationes, imitandi nimirum hęc studia. hinc mille excogitantur viæ, non tritæ priùs Religioni., mille inueniũtur maioribus ignoti modi. cumq; per nos, perq; domesticos ad optata peruenire non possumus, externos in consilium adhibemus pudendæ ambitionis nostræ. quòd si nec hac successerit via, vertimur in indignationes, in detractiones, in euersionẽ conatuum alienorum. tantum potest æmulationi iuncta ambitio, nulli parcit, & in maximum, in optimum quemque citatiore fertur passu. nam in aliis æmulationum materia

Digitized by Google

tia deest. nescit enim æmulum paruo contenta humilitas, in magnis inuenit quod ambiat, quod æmuletur.

Ferè etiam ingentibus aulica hæc captata familiaritas adulationibus plena est: dum enim placere studemus, displicere nolumus, amorem venamur, offensionem fugimus. purpuræ proinde & gratiæ seruiendum est. quare placitura dicimus, facimus, & ad omnem Principis voluntatem vela vertimus. cúmq; vnicum studium gratiam parare, partam conseruare; modis ad hanc rẽ idoneis vtimur. quod cùm fieri non possit, nisi pleraque ad gratiam eant, liberum adulationibus cãpum aperimus, laxamusque indomito huic vitio libertimas in omnem partem habenas: plùs laxaturi si plùs placuerimus. quæ res ad quàm indigna Religiosos propellat, nemo non videt. certè generosi spiritus hæc esse non possunt, non cælum suspirantis, non æterna cogitantis, non Dei sui gratiam ambientis.

Omnis deinde in hac familiaritate, monendi libertas perit. quòd si in Principis confessarium Religiosus talis ascitus fuerit, quan-

quantis se induit conscientiæ laqueis Religiosa libertate deposita? dum monere timet cuius gratiam venatur, cuius indignationē veretur. & tamen ferè non monuisse hîc, deliquisse est, & Principis sui error in doctorem cadit. monuisse verò, non rarò excidisse gratia est. quid faciet? monebit? parata offensio est. tacebit? Deum habet iudicem. ita dum amittere gratiam veretur, silentio cauenda premit. grauius etiam est, dum, ne offendat, assentitur roganti, & laudat damnanda.

Periclitatur in his frequenter castitas, cùm inter aulicas sermocinationes ferè minùs pudica, & castis indigna mentibus intercurrant. Paupertatis etiam amor flaccescit, cùm plerumq; aliquid opum, commodorum, dignitatumque, etiam non cogitãti, affricetur. assuetudine enim ac quadam vitiorum familiaritate ac consuetudine, etiam quasi nolenti, aliquid adhærescere solemne est; quo magis ambienti, & vltrò se in illa coniicienti? Obedientiæ etiam vis vel vniuersim tollitur, vel magna sui parte minuitur; cùm vix talibus imperare Superioribus

ribus liceat, ne fòrs in offenso subdito, offendant Principem, exurgantque patrociniorum ac intercessionum molitiones: quæ vbi inualuerint, prostrata iacet obedientia, non facilè caput erectura.

Addit S. Basilius Mon. const. c. 12. *Qui maiorem in modum sæcularium hominum amicitia delectatur, eaq; re assiduè cum illis esse in colloquio cupit; is ex frequenti cum illis sermone, prauas eorum affectiones in animum facilè insinuauerit, & mente rursum cogitationibus mundanis completa, à præclara illa, quam erat ingressus instantia operis desciscet, & à se deinceps prescripta vitæ spiritualis stabilitate, quem ex animo effuderat vitæ prioris vomitum resorbebit. atque adeò sanctus tandem concidet, miserè confixus ab hoste.* Et B. Ephræm Tom. 1. paran. 46. *Qui conuersationibus gaudet mundanis, sæculum nondum se odisse ostendit. nam sicut qui ignem excitat flammam suscitat: ita & mundana colloquia, passiones & affectiones prauas in corde monachi commouent.* Et Dauid ab Augusta, Ordinis Minorum: *Sæpe experti sumus, tam in nobis quàm in aliis, quòd frequens exitus & conuersatio cum sæculo, & occupatio nimia negotiorum externorum, deuotionem mentis*

mentis extinguit, feruorem spiritus tepefacit, fortè propositum virtutis emollit, cor dissoluit, studium proficiendi debilitat, delicias docet amare, tempus sine fructu expendere, verba otiosa multiplicare, iocis & trufis intendere, orationes prætermittere. Et fortiter in terrorem B. Laurentius Iustinian. lib. de discip. cap. 22. *O quot temporibus nostris fuerunt, qui tanquam ardentes lampades & mundi luminaria lucebant coram hominibus, paullatim ex conuersatione sæcularium, & confabulatione tepefacti, ad pristina opera sæcularis vitæ miserabiliter redierunt!* Et docemur à Seneca Epist. 7. vt non pigeat Religiosos imitari Stoicum factum ex se magistrum: *Nunquam mores quos extuli refero, aliquid ex eo quod composui, turbatur: aliquid ex his quæ fugaui, redit.*

Signa verò animi in hac familiaritatis venatione non Religiosi esse possunt: si quis eo in illam affectu rapiatur, vt grauiter molestéque ferat, si ab iis retrahatur: si maiore curâ & sollicitudine illorum negotia, quàm quæ Religionis propria sunt, suscipiat: si insciis Superioribus, negotia illorum amplectatur, doleátque sibi eorum tractationem à Superioribus inhiberi; si maiori conatu & studio

Digitized by Google

ſtudio viros magnos, Principeſq; ſibi, quàm Religioni conciliet; ſi Religionis miniſteria minùs ſpecioſa contemnat, & indigna putet quibus ſe tradat, & implicetur; ſi paupertatem & obedientiam incipiat faſtidire, commodiſque ſuis hinc inde quæſitis ſtudeat; ſi Superiorum monita minùs æquo ferat animo, ſimpliciúmque conſuetudinem aſpernetur.

Remedia.

A Mouendi ab hac familiaritate quoſcunque pronos in eam Superiores deprehenderint; aliíſque occupandi & diſtinendi muneribus, minùs quidem ſpecioſis, ſed tutioribus minoríque periculo obnoxiis: demum loco etiam mouendi, alióque ablegandi.

Proderit etiam aliquem è domeſticis maximè ſpiritualem excitare, qui vltrò amicitiam illius ambiat: quò ſecuriùs eum poſtea maioreque fructu monere poſſit.

Magna etiam cura in hunc inuigilandum erit Præfecto ſpiritus, qui ratione crediti ſibi muneris, maiore auctoritate & pon-

Digitized by Google

pondere monere ac terrere poteſt, magnorum maximè exemplis, qui propè omnes à quæſita hac familiaritate ad ſæculum & Ægypti ollas tranſierunt, infortunatoq; ferè exitu vitam finierunt.

Nec erit inutile, retrahendi tales conatum, Principi magníſque viris eluceſcere: vt, ſi quid erroris poſtmodum intercurrerit, videant non fruſtra Superiores motos fuiſſe, & in illius auocatione laboraſſe, erroréſque non iam Religioni, ſed homini adſcribantur.

Malorum quæ ex hac familiaritate naſci conſueuerunt ſeria recordatio non parũ proderit: ingentia pericula, damnáque accepta, finem deinde vocationis ſuæ proponere alium omnino ab aulica conſuetudine. Deum denique ſæpe ſibi ob oculos proponere, cuius ſeruitio Religioſus mancipatus, & à quo filiorum prærogatiua donatus eſt. vt indignum ſit tanti Imperatoris ſacramento addictum, minoris ſe obſequio addicere, & ad inferiora dimittere.

Pulcrum in imitationem apud Auguſtinum exemplum habemus de ſuo Nebridio

Digitized by Google

Lib. 8. Confes. cap. 6. *Agebat illud prudentissimè, cauens innotescere personis, secundùm hoc sæculum maioribus, deuitans in eis omnem inquietudinem animi, quem volebat habere liberũ, & quàm multis posset horis feriatum ad quærendum aliquid, vel legendum, vel audiendum de sapientia.*

CAPVT XIX.

Affectus in parentes, in sanguine iunctos.

NEc postremum, nec contemnendum in Religione malum, damna namque à nimis prodigo in suos affectu, & varia & magna sequi necessum est. fauemus propinquorum opibus ac dignitatibus, prosperioríque fortunæ successibus. inde etiam operam nostram aut rogati impendimus, aut vltrò etiam pollicemur: & negotiis iam sæcularibus, quibus antè renunciauimus, induimur & implicamur.

Accedunt non rarò ex infelici euentu, pœnitendæ, & ruborem incutientes commendationes; fitque vt qui sæculo semel ac parentibus nuntium miserunt, plus illis, quàm extra Religionem immergantur, magna

Digitized by Google

gna ſæpe aliorum inuidia, qui Religioſorum ſtudio operáq; parentibus ſe illorum poſtpoſitos vident; & inimicos illos non priuati tantùm, ſed Religio paritur: ac non infrequenter ex amiciſſimis hoſtes parantur, cùm ſe priuatis Religioſorum propinquitatibus poſthabitos ſentiunt.

Creſcit deinde obligatio apud eos, quorum operâ parentibus impetrata dignitas, aut quæcunque res alia: tranſitq; hæc obligatio in Religionem, quam tanquam collato beneficio obſtricta ſibi arbitrantur.

Et ferè videmus prodigum hunc in parentes amicóſque affectum, totum in ſæculi affectum ruere, exuto ſpirituali domeſticorum, ipſiúſque adeò Religionis affectu: vt omnis Religioſæ coniunctionis æſtus hac propinquorum alluuione, tanquam vaſtiſſimi fluminis prolapſu, extinguatur. neque enim affectus hic propinquis tantũ adhæret, tranſit ad opes & dignitates, ad eáq; omnia, ad quę ſtudia illa cogitationéſq; feruntur. Frequentatæ enim res ſæculi, affectuũ in parentes materia, neſcio qua Religioſam mentem fuligine aſpergant, ac tanquam ſepia tin-

Digitized by Google

tingant. nam cùm frequenter illa menti obuersentur, manibus etiam tangantur, non leuia sui relinquere vestigia, nemo prudentior mirabitur: imbibimusque paulatim pro Religioso, sæculi spiritum & mores, tanquã lana imbrem, valida nube fusum: etiam amare incipimus, quod procurare non pudet, ambire etiam, &, vocatione sæpe deserta, ad sæculi dignitates commodáque cogitationes flectere ac transferre.

Præeunt deinde tales exemplo suo reliquis, prouocantque ad par in suos studium, & ad æmulationes Religioso indignas, ad alienationes etiam animorum; dum indignantur reliqui, improbántque has commẽdationes, efflusumque in suos affectum; cùm semel mundo suíque mortui, saluti incumbere animarum, non suorum indulgere deberent amori.

Enimio deinde propinquorum affectu, ferè in carnem & sanguinem Religiosi prolabuntur: vt affectus ille suorum de propinquo carnis affectum iaculetur, accendátque recludátque tot annorum cineribus reconditum impuritatis ignem; & plurimum

rimum ex his initiis ad illicita quęque ruũt, cùm aut ſororis, aut neptis, aut alicuius ſanguine iunctæ, femineis ac mollioribus aſſueſcunt colloquiis, liberioribuſq; proſpectibus. dum enim non timent mala in propinquo ſanguine, minùs cautè prouideque verſantur: cadúntque non rarò propinquis hiſce inſidiis, aut ſanè cauſam illæ præbent, pulſo priore metu, puritatis cuſtode, familiarioris cum aliis ſimilis ſexus conſuetudinis: è qua celeri procurſu reliqua poſtmodum mala mortem allatura promanant.

Sequitur & aliud malum Religioni inprimis noxium. facit enim frequentata hæc cum propinquis conſuetudo, vt multa iam liberius in ſinum illum Religioſi profundant; domeſtica dicta, facta conſiliáque regant: nec quidquam tam reconditũ ſanctúmque, quod tantis affectibus claudatur. narrantur aliorum imperfectiones, animorum in hæc aut illa vitia propenſiones, & hæc ferè innata quadam naturæ propenſione in maius tolluntur, virtutes deprimuntur: ſi quid dignũ laude, extenuatur: ſi quid reprehenſione, immensùm augetur. atque

hæc

Digitized by Google

hæc mulierculis sæpe committuntur, à quibus propero cursu, non sine insigni augmento abit ad alios.

E qua re & mala nascuntur plurima, quę cuique obuium est videre: & tanquam iniecto fræno, aut compede, sperata reprimuntur bona: Religionis nomen minuitur: salutisque proximorum propagatio arctatur, dũ illorum virtuti detrahitur, à quorum singulari industria, nominisque æstimatione magna salutis proximorum pars pendebat.

Et vt reliqua non terreant, terrere nos meritò debeant verba Domini: Luc. 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Seuera omnino sententia. cuius erit, si non fuerit Domini discipulus? Luc. 16. *Nemo seruus potest duobus dominis seruire; aut enim vnum odiet, & alterum diliget; aut vni adhærebit, & alterum contemnet: non potestis Deo seruire & mammonæ.* Hinc illa sponsi ad fidelem animam desponsandam sibi verba: Ps. 44. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam: & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui.* Et

cõcupiſcet rex decorem tuum: quoniam ipſe eſt Dominus Deus tuus. Magna prærogatiua animæ obliuiſcentis domũ patris ſui, vt cõcupiſcat Rex decorem eius, deducatque illam in cubiculum genitricis ſuæ, fiatque illi ſponſus, atque inter vbera illius commoretur, dignetur illam aſſociatam iam ſibi reginam & ſponſam oſculo oris ſui.

Et verò quid ſperari de Religioſo poteſt, cui adhuc patriæ affectus inhæret infixus animo? non compatiuntur ſe mutuo patrię amor, & Deus ſponſus. illam ſi amas, deſtituendus ſponſus eſt; hunc ſi vis ſponſum, deſerenda patria eſt. Acutè Hugo Victorinus lib. 3. Did. erud. c. 20. *Delicatus ille eſt adhuc, cui patria dulcis eſt: fortis autem, cui omne ſolũ patria eſt: perfectus verò, cui totus mundus exilium eſt. Ille mundo amorem fixit, iſte ſparſit, hic extinxit.*

Remedia.

VT qui propenſiores in propinquos ſunt, non permittantur ſoli cum illis verſari, ſed adiungatur ſocius, linguæ & rerum intelligens, & ſpiritus boni.

Ra-

Digitized by Google

Rarior omnino permittatur collocutio. Interdicatur seuerè cõmẽdatio omnis, & si qua deprehensa, nõ permittatur impunita.

Mittantur ad ea loca, in quibus nulla commendationum harum commoditas esse possit.

Moneantur Superiores, vt diligenter dispiciant, ne quas aut ad suos scribere patiantur litteras, aut ab iis accipiant negotiorum administras.

Ipsi Superiores exemplo suis præeant, caueantque ab omni omnino propensionis in suos ostentatione; idque adeò prouidè ac seriò, vt nec verbo in hoc genere labantur: fugiantque, quacunque mentione iniecta, omnem harum rerum materiam, & apertè à se repellant.

Magnorum in Religione virorum exempla proponantur, qui omnem hunc affectũ fortiter calcarunt, ac in se aliisque damnarunt, & ferè patria domo egressi remotissimè ab omni cognatione vitam duxerunt.

Iuuabit etiã pericula damnaq; ab affectu hoc in non vltimis virorũ nata proponere, vt horum exemplo propensiores terreãtur.

Digitized by Google

CAPVT XX.

Commendationes ad Ecclesiasticas, aut saeculares dignitates.

INnumeris permistæ periculis.

Quia dubiæ in impetratione. quòd si non succedunt rogata, in nos plurimùm cadit indignatio; cùm arbitrantur per nos stetisse, quo minùs consecuti fuerint. ità ferè euenire solet, cùm omnia nobis ab vnò pollicemur, cùm aut potentiæ, aut gratiæ fidimus, conatum licet omnem explicauerit; si frustrati spe sumus, in illum ipsum indignationem vertimus, & negatæ, aut non consecutæ rei causam in patroni negligentiam coniicimus: è qua ferè opinione, nullo licet plurimùm fundamento nitatur, animorum nascuntur alienationes, & amicitiæ in odia commutantur.

Quia incertæ in euentu, & impetrati muneris administratione; vnde grauia timeri aliquãdo reipublicę pericula possunt. quid, si se aperiãt improbi, qui latebãt mores? quid, si læsæ maiestatis crimina? quanti conscientiæ exurgunt remorsus, verecundia? quanta

ta pericula auctori & promotori? Ferè enim promoti à se delictis inuoluitur: ac licet magna innocentia tegatur, semper tamen in probatissimo vestigium aliquod liuoris aut vulneris manet: neque facilè clietis à se notam patronus eluet, maximè in ijs, quę Principem, aut rempublicam tangunt, in quibus tanquam indomitis furentibusque fluctibus, aut tanquam insanis montibus, rupibusue, sedibus ab imo diuulsis, non vicini tantùm, sed & longè positi vna ruina consepeliuntur.

Ferè aduersarios iusto Dei iudicio, commendatione nostra prouectos experimur. quod plurimis in vtraque dignitate Ecclesiastica & sęculari exemplis doceri potest eo magis, quo plus sæpe operæ studijque impendimus. Nec mirum, viro hoc Religioso euenire, cùm se extra modestiæ & regularum suarum limites extulerit. nam & illi ipsi, qui patrocinia nostra poscunt, licet patrocinia hęc probent; Religiosos tamen patronos non probant, cùm non ignorent, lõgissimè à Religioso instituto sæcularia patrocinia abesse debere. vtuntur tamen ijs vt

Digitized by Google

proditoribus reges; non amant, non colunt: timent magis, & potentiam hanc in alieno solo metuunt; amaturi, si in sæcularibus residerent: in Religioso, cuius omne studium salus propria & proximorum esse debeat, oderunt veriùs quàm amant ridéntque tacitè secum, tanquam frænos aureos, iubámque leoninam in ouino vertice.

Offensio dein nascitur omnium illorum, qui se neglectos à nobis arbitrantur. Hinc pro vnius dubia sperata beneuolentia, plures inimicos paramus; quorum odia longè Religioni perniciosiora sunt vnius commẽdati fauoribus, iísque plerumque incertis ac dubiis, ac in perniciem potiùs quàm subsidium tendentibus.

Graue etiam Religioni accrescit onus, cùm pluribus eadem præstanda veniũt, maximè sanguine iunctis, amicis, aut qui tales videri volunt, beneficis, aliísq; huius generis non paucis; vt tota iam Religio in negotiationis quandam curiam, aut patrocinantium atrium vertatur: nam cùm nemo ferè in illa sit, qui non aliquem habeat cliẽtem, aut amicum cuius commodis studeat, perfacile

Digitized by Google

cile videre est, quanta immineat moles à Religioso instituto alieniſſima. Vnde fit vt creſcentibus paulatim commendationibus, quæ innumeram ſecum negotiorum turbã trahunt, elangueſcat ſpiritus, dilabatúrque primęuus ille rigor, & qui ad Deũ, animorũ ſalutem, Religionis augmentum ducebat, ad ſæculi mores & imitationem deducat.

Grauia dein damna metuenda vniuerſæ Religioni, cùm vnius factum errórque toti Ordini adſcribitur. ita ferè euenire ſolet, vnius delicto plectuntur omnes: arbitreris tanquam è paradiſi traduce, crimina tranſire in ſocios; & quos ſociauit amor, imprudentię colligari nexu, tanquam ſi vnius inſipientiæ, temeritatis, arrogãtiæ, vanitatis nota ſignentur omnes. virtutes nimirum ſingulorum, vitia omnium ſunt. quare nemo alterius virtute coronatur; vitio vnius damnantur omnes. quo maior cura adhibenda eſt, vt ab omnibus, quę quoquo modo in vniuerſum redũdãt corpus, abſtineãt ſinguli.

Ingeneratur etiam plurimorum animis politiciſmi opinio, cùm pluribus eandem dignitatem ambientibus, operam noſtram

Digitized by Google

addicimus: qui enim ſe vident fruſtratos, & vni de facto operam noſtram impẽſam, veniunt in non immeritam politiciſmi de nobis ſuſpicionem: peritque omnis conceptæ æſtimationis opinio, cùm tales iam non in Religioſorum, ſed in aulicorum numerum referant; tantam in poſterum verbis fidem adhibituri, quantam operæ compererint. Vnde nec in ſalutis negotio certo iam ſtat fiducia, cùm exemplo vno edocti aliud arbitrentur verbis exprimi, aliud mente cõtineri. quæ res vniuerſam ſalutis animarum ſpem euertit & eludit, tanquam ſi aut vna falce quidquid erat meſſis futuræ demetas, aut vnis frigorum ardoribus omnem torcularis ſpem fallas, aut vna denique nouacula omnem bonorum operum ſpem præſcindas.

Accedit demum non leuis obligatio apud eos, quorum in commendationibus operâ vſi ſumus; qui beneficium hoc non in vnum hominem ſed in totam Religionem collatum arbitrantur. Quare obſtrictam ſe hanc putant habere, paria aut maiora expectantes, & cùm tempus aut ambitio ſuadẽt,

ſuo

Digitized by Google

ſuo quaſi iure poſcentes: quibus ſi neges, cùm beneficia acceperis, durum. nam & gratitudo quædam obſtrictos nos tenet, & impenſus in nos labor, fauorque iure ſuo paria depoſcunt; aut ſi rogati operam negamus, præter ingratitudinis notam, animorum alienationes, odia quoque expectanda ſunt, quæ in vniuerſum Ordinem transfundantur.

Remedia.

OMniũm vbique commendationum interdictio: nam ſi vel tenuem rimam, quocunque demum prætextu, illis aperuerimus, integra poſtmodum pandentur oſtia: ſerpit enim hoc ſtudium, vbi inchoaueris, ac inſtar cancri aut ſcabiei, ex vngue ac capillo vno vniuerſum occupat hominem. dulce venenum, quod magnos etiam viros à leuibus initijs, tanquam riuulis, in ipſa cõmendationum maria impulit, è quibus ſaluare rate nunquam enatarunt: ſed neque ſubducere eam, cùm vellent, potuerunt: in altum enim prouecti, medios inter procelloſos fluctus, nequidquam littora portúmque

Digitized by Google

ſpectarunt.

Seuera in tranſgreſſores punitio, vt & ipſi deſueſcant, & alij terreantur, ne paria audeant: quos enim pariauit delictum, pariare & pœna debet; imò grauiori pœna poſt primi punitionem, ſecundi tranſgreſſores puniendi ſunt. nam primo exemplũ deerat, vt aliquid excuſationis videretur poſſe prętexere, ſecundis nulla excuſatio reliqua eſt.

Exemplorum in infortunato ac infelici euentu frequens cõmemoratio, qualia in terrorem & fugam, ſiue domeſtica, ſiue externa nunquam deeſſe poſſunt. obruimur enim multitudine, nec quiſquã vlla memoria ſe illis miſcuit, cuius nõ hiſce flãmis ambuſtæ pennę timenda poſteris dederunt exempla, pœnitendaque reliquerunt veſtigia.

Damna periculaque Religioni è varia commendatione nata recenſita iuuabunt.

Fuga etiam ſæcularium negotiorum, ac inter Religioſos limites certa rigidaque arctatio: in id ſolùm intenti, operámq; laborémque pollicentes, quod in ſalutem tendit animarum. quod vnum veri Religioſi eſt, reliqua tantum ab hoc ſpiritu abſunt, quantum

Digitized by Google

tum à proximorum ſalute recedunt.

Nulla cuiuſcunque negotij etiam pij ſuſceptio inſcio Superiore; quem tamẽ ne nolentem in ſuam trahat ſententiam inferior, curandum eſt: nam vbi precibus tanquam armatâ dextrâ, res extorquetur, magna ſimplicis obedientiæ pars deperit, raróque felici ſucceſſu, resperaguntur: quin imò infortunato ferè exitu domum funeſtant.

CAPVT XXI.

Paupertatis neglectus.

CVM immemor quaſi votorum ſuorũ, quæ diſtinxerunt labia ſua, ad opes & peritura rum ſe rerum ſtudium cõuertit, incipiuntque placere, quę generoſo auſu contempſit priùs, admirari etiam & vouere atque inſectari, quæ forti calcatu protriuerat antè, factus ex hoſte amator & laudator opum. miſerrima planè conditio, dum, quę reipſa pondera excuſſit, repetit, & ſub puſillo ingemiſcere delectat, qui vno iactu exonerauerat humeros ſub immani mole fatiſcentes: eoque miſerior, quo minoribus

Digitized by Google

implagatus detinetur, qui vniuersa perfregerat retia, tanquam si passerum laqueis teneatur, qui leonum plagas excusserat.

Et sanè post ingentes sæpe thesauros non semel calcatos, indignis viro reculis irretiri, commiseratione dignissima res est: breuiario tenetur elegantiori, icuncula capitur formosiore; veste delectatur hic laxiori, ille strictiore, comptiore alius: vt meritò in admirationem rapiantur quotquot viderint valétem antè & robore plenum implexum inhærere minimis, qui maxima difflauerat tanquam plumas vento raptas, aut festucas fluctibus illisas.

Magis etiam mirandum, cùm magnus ille diuitiarum contemptor, qui per iocum & lusum magno impetu adlabentes, & vndique afflatas opes repercusserat, postremis inhæserit reculis; post Philistæa nimirum agmina æreasque diffractas portas, Dalilæ fasciis, fæminea implexis manu. Turpe viro, magis etiam Religioso, maximè cùm repudiata repetit, & amare incipit, quę odisse dicerat. Infelix omnino infortunataque vicissitudo, è sęculi totius regnorum imperiorum-

Digitized by Google

rumq; etiam contemptore, amatorem nasci spretarum rerum, & adrepere ad ea, quæ valido antea impulsu, magna omnium laude, sæculo regnisque maior, vt Religioso cæloque indigna protriuerat.

Varia ex his sequuntur mala, dum ambire & amare Religiosus audet, quæ neglexerat priùs, & sæpe veteranus commodis inhiare, quæ spreuerat tiro. hinc enim inquietudo nascitur animorum, nec quies menti vlla, donec optatis fruatur. Sed neque in consecutis statur. semel enim habendi admissa auiditas ad noua deuoluitur; vt è minimis tanquam è semine ingentes succrescere arbores videas, latissimis postmodum ramis vicina quæque sterili sua vmbra obtegentes. nam & in exemplum & imitationem res hæc reliquos trahit, dum noxia æmulatione priuatis quibusdam commodis suis student, amantque quæ oderunt antè: inde iam secreta prosiliunt consilia, & ab externis mutuamur, ad quorum nomen exhorrescebamus antè.

Decurritur deinde ad priuatorum commodorum studium, & dum ab amicis aut

Digitized by Google

pœnitentibus, reculas emendicamus; libertatem proijcimus, pro pulmento nimirum primogenita vendentes. ingens exinde ex amissarum aut Superiorum voluntate subductarum rerum priuatione mœror nascitur, crederes regno exutum regem, aut amplissimis possessionibus sæculi possessorem. Prosiliunt ex his initijs integra murmurationum plaustra, & maiora iam audet animus, tegitque necessitatis quodam prætextu, tanquam pulchro velamine fœdam proprietatum sentinam. ingeniosa nimirum ad vitiorum suorum tuitionem auiditas, amorque proprius est: & qui antea ad priuatarum rerum possessionem expauescebat, nunc illã etiã tuetur, & subdola ratiocinatione propugnat. & plurimùm auidam hanc proprietatis famem, priuatorum honorum sitis comitatur, incipitq; Religiosus hac titillari & exasperari: & qui vltrò pleno se sinu expandentem gloriam repulerat, obuiis etiam fugientem prosequitur vlnis; nec erubescit ad prosecutionem, qui priùs erubescebat ad vltroneam oblationem. indiuiduo enim ferè nexu opes & honor iunguntur; vt qui illas

Digitized by Google

las amet & ambiat, honore delectetur.

Omnia deinde paulatim corporis commoda irrepunt, amorque rerum harum totum occupat hominem: incipiunt displicere duriora, & quidquid seueriorem veramque religiosam disciplinam sapit. Accedit ciborum & potus auiditas, vnoque impetu tanquam ruptis aggeribus omnia corporis commoda inuolant: cibus proinde parcior potusque moderatior virtutum propè reliquarum vehiculum, pro minùs ingenua parcimonia ac pro sordescente etiam auaritia habetur; prodigalitas & liberior in escâ potumque profusio virtutis nomen sortitur: & auarus iam audit, quisquis mensas religiosa moderatione circumscribit, quisquis libidinum fomitem excludit, quisquis ignibus materiam subtrahit; liberalis verò quisquis prodigit parcenda, & animorum in saginato corpore flammas nutrit.

Accedit quòd omnis paulatim pietas in talibus refrigescat, omnis Religionis amor congelascat, omnis disciplinæ rigor consepeliatur. nam cùm in paupertate tanquam in fundamento omnis religiosi ędificij structura

Digitized by Google

ctura formetur; illa collabente, omnem neceſſum eſt reliquam ſtructuram collabaſcere, nec timas tantùm ducere, ſed vniuerſim corruere; cùm primus omnino gradus lapíſque angularis, cui reliqua Religioſa domus innititur, ab auri opumque contemptu originem trahat.

Iam cùm Beati pauperes ſpiritu à Domino dicantur, non infelices erunt paupertatis ſupra omnes opes, à Domino amatę contemptores, deſertores, oſores? & quàm infelices, illius in Religione poſt ſacrata Deo vota, tranſgreſſores? vt meritò quidam dicat: *De radice peculiaritatis, vel amore pecuniæ gignuntur vitia hæc: inobediẽtia, ſuperbia, auaritia, contumelia, vanagloria, extollentia, voracitas, mẽdacium, luxuria.* &, *Turbat pacem cum proximo, ſubiicit hominem diabolo, auertit animam à Deo, vt nuſquam feratur affectus quàm de conſeruando peculio, iuxta illud*, Mat. 6. *Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum.* & pergit, *Rarò ſalutis remedia admittit proprietarius, à paruis ad maiora præcipitatur, ſub ſpecie boni & neceſſitatis. è conquiſitis bonis oritur diſplicientia ſui ſtatus, murmurat, detrahit, iudicat omnes, transferre ſe cogitat ad tu-*

Digitized by Google

tio-

tiorem locum, sub colore profectus. viaticum putat suæ apostasiæ insolenter respondere Superiori, quærit caussas discessus, alios nititur deprauare. & antè: *Inter fratres concors & amica perstat consonãtia fraternæ caritatis, cùm nihil habet vnus, quod non omnes. inter proprietarios rixæ sunt, discordiæ, diuisiones. Res communes non sunt materia litis, sed cùm quis vult sibi appropriare, surgunt inquietatiuæ pacis, iuxta illud,* Prou. 15. *Conturbat domum suam qui sectatur auaritiam. Ob hoc vitium Cyprianus Diaconum suum sepultura Ecclesiæ priuauit, & patres sepultura asini tumulandos voluerunt. quanto ergo magis punietur in inferno, qui sic punitur in mundo?*

Paupertatis verò neglectores, proprioruméque commodorum amatores vir magnus fures vocat, & Achan, Ananiæ & Saphiræ comparat: latrones, quòd plurimos exemplo suo iugulent: sacrilegos, cùm Deo in pauperibus data prodigant: proditores, cùm domesticos defraudent bonis: apostatas, cùm abiiciant repellantq; à se paupertatem, cui arctiori vinculo, quàm vestibus locoq; religioso ãstringuntur: idololatras, cũ auaritia, Apostolo teste, sit idolorum seruitus,

Digitized by Google

tus: mendaces & hypocritas. Spiritu sancto ad Ananię imitationem mentientes: plenos dolo & diabolo.

Remedia.

A Christi primorumque Sanctorum exemplis petenda sunt: quorum si aliquando gloriæ participes esse velimus, etiam opum contẽptu pariari debemus: Christi sanè in Propheta suo verba sunt: Psal. 87. *Pauper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea.* & Psal. 39. *Ego mendicus sum & pauper.*

A recordatione seueriſſimæ dictæ in Epulone ac diuitiarum sectatoribus sententiæ. & apud Lucam c. 14. quanta interminatione insurgit? *Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* & Apostolus 1. Tim. 6. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli: & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. radix enim omnium malorum est cupiditas: quam quidam appetentes, erraverunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.* & Dominus Matt. 19. *Amen dico vobis, quia diues difficilè intrabit in regnum cælorum. & iterum dico vobis, Facilius est camelum per foramen*

Digitized by Google

acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum.

A frequenti opum ac cælestium thesaurorum, centuplæq; redhibitionis & sponsionis recordatione. hinc illud Matt. 5. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* & Iacobus c. 2. *Nónne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & heredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se?* & auxilium apud Isaiam ca. 25. pauperi habemus: *Factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua, spes à turbine, vmbraculum ab æstu.* vt ingenti fiducia pleni, certam in vnum Deum spem coniiciamus, certi impossibile esse destitui sperantem in Domino, cuius hæc verba sunt, Numer. 18. *Ego pars & hereditas tua.*

A damnis passim omni propè Religioni datis & acceptis à possessionum opumque coaceruatione.

Danda Superioribus hîc opera, nequid ad honestam religiosamq; sustentationem desit necessariis Religiosi instituti, ad paranda sibi illa animos studiumque conuertant. meminerint huius: *Liberalis & bona prouisio*

Digitized by Google

uiſio Prælati, omnium neceſſariorum: vnicuique neceſſaria dentur ſine exceptione perſonarum. vt quemadmodum ſibi prouidere deſiderat, ita & ſubditis: nam ex indigentia neceſsitatis, ex mala prouiſione, ex tenacitate Prælati ſæpe oritur hoc vitium. Cãueant proinde *Prælati, ne ſubditis occaſionem proprietatis ſubminiſtrent, vel neceſſaria ſubtrahendo, vel ſuperflua admittendo.*

Plurimùm in hac, vt in omni alia re, Superiorum exempla proderunt; ne non neceſſariis abundent, ne ſuperfluis ſtipentur, ne ad delectationem aut ornatum aut priuatum commodum rebus vtantur, communibuſque contenti, ſingularia deuitent.

Ea demum res ingens reliquis ad veræ paupertatis amorem irritamentum eſt: neque enim Superiore præeunte, quidquam facile cuiquam graue videbitur: & ſola ſæpe erubeſcentia deterrebit ſubditos, pudorque è Superioris in paupertatem affectu collectus, ne ad maiora commodioraque manum porrigamus: néve ad ſæculi opes commodaque, ſæculi deſertores circumſpiciamus.

CA-

Digitized by Google

CAPVT XXII.

Singularia in cibo, potu, vestitu, reliquisq; corporis commodis.

AEmulationum & murmurationum in religione causa, ac dissensionum seminarium. nam si Superior hoc malo laborat, perpetuam sugillandi materiam præbet, eò magis quò omnium in illum oculi intenti; eoq; nocentiùs, quò illius exemplum transit ad plures, semináque in posteritatem spargit, prouocatque reliquos, viámque secuturis sternit ad paria aut maiora etiam audenda. sæpe enim, quòd exempla desint, à noxiis abstinemus; at vbi præuiis maiorum factis reseratus est aditus, proni ad libertatem commodaque decurrimus: nec imitari pudet, ad cuius initia erubescimus; & cùm pudeat audire primum, in imitatione gloriamur.

Eoque grauius hoc malum est, quòd non se intra primi transgressoris terminos contineat, sed singuli ferè aliquid adiiciant noui, hic in cubiculo, ille in vestibus, alius in cibo & potu, non nemo in omnibus; ac tandem

in

Digitized by Google

in delicias & luxum, sæculumque totum res abeat. è quibus infelicibus initiis paupertas Religionis murus corruit, nudatúrque vniuersa Religio propugnaculo, exuitúrque suis viribus, robore destituta.

Accedit ciborum hunc reliquorúmque commodorum delectum, ipsis plerumque Superioribus grauem adgenerare molestiarum causam. nam cùm in plerisque Religionibus perpetui non sint, fit vt munere defuncti, ægrè consuetis commodis careant; patianturque non postremas in illorum defraudatione difficultates, multorum exin fabula facti, & acerbiorum irrisionum materies.

Si inferior malo hoc tenetur, sociorum in se æmulationes excitat, oblocutiones etiam, percutitúrque ferè tot linguis ac iudiciis, quot capita in vna domo sociata habet. Iam exemplo suo ad paria prærogatiua reliquos prouocat, maximè eos qui meritis, laboribus functionibúsque superiores, pares, aut non inferiores sunt. adolescentiorésque etiam ad paria aliquando audenda incitat: neque enim quidquam in vtramque partem,

Digitized by Google

tem, vitiorum ac virtutum, maiorum exemplo potentius est.

Graues deinde tales Superioribus sunt, & plerumque illorum conuictum auersantur, subterfugiunt oblatos, ac cum mœrore quodam patiuntur domesticos; dum aut negare non audent ne offendant, aut concedere non audent, ne reliquos ad paria prouocent.

Quòd si Superiorum vnum beneuolum nacti fuerint, reliquos patiuntur aduersos; ita vt quod aut naturali quadam munificẽtia, aut priuato affectu concesserit vnus, negaturi sint alij. quæ negatio durissima in cõsuetis est. prosiliúntque exinde omnium propè generum tentationes, tristitiæ ac mœrores, cor exedentes, ac murmurationum integra plaustra. quòd si fortiter in sententia steterint Superiores, non rarò tabescunt tales, ac quasi emedullatis ossibus decinerescunt; si grauiorum metu aliquid à constantia remiserint, fastidiosos patiuntur, ac vniuersæ familiæ pacem euertunt.

Iam quotquot commodis suis auidè, & supra quàm Religiosam modestiam ac pau-

per-

Digitized by Google

pertatem decet inhiantes vides, eos ferè in carnem & sanguinem labi comperies, ac in inchoatæ tandem vocationis desertionem. cùm tepescat primò in his omnis Religionis spiritus, qui fomentis hisce tanquam iniectis puluinaribus suffocatur, neque aliud ferè certius signum est, languentis in vocatione, ac à primo feruore degenerantis animi. vnde ingens spiritualis nausea nascitur; à qua ferè vehemens flamma carni iniicitur.

Repugnat etiam hæc singularitas mutuo amori: qui paritate roboratur & crescit, imparitate subuertitur. ignorant filiorum discrimina vbera necessitati nata, vniusque patris filij prærogatiuam de generatione nesciunt. nimirum quos vterus, vberaq; pariarũt, pariare debet amor. quem minuit quisquis de prærogatiua censeri desiderat; quisquis sub eodem patre matreque Religione, potiora sibi arrogat, aut concedi desiderat.

Illud verò mali huius magnitudinem auget, quòd superbiæ tanquam fundamento inædificetur. qui enim præ reliquis singularia ambit, plus sibi deberi quàm aliis censet: si

Digitized by Google

si consequatur, plus sibi merito suo concessum quàm aliis gaudet. singularis esse voluit Lucifer, dum pariari Deo studuit: si in ordine reliquorum angelorum stetisset, æternũ stetisset. prærogatiua illum vota æternaturis flammis addixerunt.

Remedia.

A Superioris exemplo petenda, qui si fortiter intra consuetos se Religionis terminos teneat; vel solo rubore reliquos continebit, terrebitque ab hoc parum Religioso conatu. Sanè si fortem in hoc genere se præbuerit, commodorumque contemptorem; non difficulter reliquos ab hac spe excludet, terrebitque ab illorum petitione. memor proinde sit illius Sapientis, *Rectorem posuerunt te, esto inter illos, sicut vnus ex illis.* vt Bon. de 6. alis, c. 6, *nihil habeat, vel diligat pomposum, mundanum aut vanum, sed omnia quæ habet, Ecclesiasticam personam & statum suum deceant, & humilitatem ostendant: nihil in omnibus appareat, quod iactantiam vel curiositatem sapiat. non est enim humilis cordis indicium, curiosa quærere, pretiosa affectare, excelsa ambire.* Et sanè indi-

indignum viro est cælestia cogitanti, ad quæ natus, ad vilia hæc se abiicere, & primogenita cum Esau pultibus commutare.

Exempla hîc deinde omnium ætatum in omni Religione magnorum virorum valent: qui per calcata corporis commoda ad magna claraque in terris cælóque nomina deuenerunt. exempla etiam generosorum militum, qui vltrò assuescunt duris, auersantur mollia, quibus vt corpora, ita & animi effeminantur. nescit mens ad magna se erigere, quæ vilioribus deprimitur.

Terrendi denique multorum magnorum lapsibus erunt, quicunque ad hæc auidè aspirant. & Greg. in Pasto. p. 3. c. 20. *admonendi gulæ dediti, ne in eo quod escarum delectationi incumbunt, luxuriæ se mucrone transfigant, & quãta sibi per esum loquacitas, quanta mentis leuitas insidietur, aspiciant: ne dum ventri molliter seruiunt, vitiorum laqueis crudeliter astringantur. tanto enim longiùs à secundo parente receditur, quanto per immoderatum vsum dum manus ad cibum tenditur, parentis primi lapsus iteratur.*

Incommoda etiam frequenter ob oculos ponenda, quæ ex hoc singularium dele-

ctu

ctu sequinata sunt: idque in publicis exhortationibus, conferentiis, ac priuatis etiam Superiorum aliorúmque monitis.

Remediorum verò potentissimum est nihil vlli præreliquis indulgere. præscindenda proinde omnis sub initium occasio est, ne serò remedia cogites postquam inualuêre mala. in scintilla nimirum sua extinguendum incendium est.

CAPVT XXIII.

Neglectus munditiei & modestiæ religiosæ.

LICET mundities in omni exteriore cultu non sit Anachoretis, & ab hominum consuetudine ac familiaritate remotis necessaria; illis tamen qui proximorum saluti promouendæ student, perquam necessaria videtur. ne dum è sordium conspectu & odoratu in personarum fastidium veniunt, doctrinam etiam institutionémque contemnant. ferè enim certa sperati fructus spes est, placuisse. quicunque proinde ex instituti ratione ad aliorum salutem vocantur, munditiei studeant.

Digitized by Google

Nolo curiosiores vestium compositores, nolo capillorum structores, nolo sæcularem ambitum, moresque ad aulam compositos, ad externam beneuolentiam captandam figulatos, ac quasi è capsa & acu prodeuntes, nolo ornatum luxus ac deliciarum indicem: munditiem volo grauitatis & interioris nitoris ac munditiei testem. nolo sordes. neq; enim sanctimoniæ aut solidæ pietatis hæ signa sunt: plusque non rarò fastus ac arrogantiæ in extremo quodam vestium corporisque neglectu, quàm in curiosiore delectu est. mediocritatem tenuisse viri & virtutis est. non splendeat proinde, nec sordeat vestis, vt sine cultu culta sit, & dum paupertatem Religiosus amat, non amet sordes quibus fastidium nauseamque prouocet. sed neque exquisitiore compositione vanitatem signet. Sanè nec affectatæ sordes, nec exquisitus cultus Religiosum decent: hic delicias, illæ animum neglectum ac remissum, aut inanis gloriæ studium designãt. nam cùm ferè habitus hominem suum loquatur, fit vt exterior constitutio interioris animi indicium sit, tanquam si quis è vestibulo

Digitized by Google

bulo de domo ſententiam ferat, è fronte oculiſque mentem deſignet, è verbis pectus cuiuſque recludat. non quod hæc falli neſciant, ſed quòd plurimùm externi mores ingenium cuiuſque prodant.

Qui ergo aliorum ſibi ſalutem propoſuit, vitiorum extirpationem, virtutum inſitionem; nec faſtum præ ſe ferat, nec contemptum, ne ſuadelæ oſtia claudat, ne ſordibus terreat, horrore exanimet, molliore ue cultu aliquid de probitatis opinione amittat. virilem habitum moreſq; virtus deposcit, maturos, graues. Non loquatur veſtis feminam, ſed neque ſordes aut agreſtem & inhumanam negligentiam aut barbariem aliorum oculis ingerat. nemo è ſpeculo & crinali acu ad vitiorum odia, virtutumque amorem potens prudenſque perſuaſor prodiit; nemóque facilè in quæ voluit animos flexit beneuolentia deſtitutus. cùm ergo horrorem ſordes, accuratiorque compoſitio mollitiem teſtentur; vtrumque prudens animarum auceps fugiet, media ſectabitur, extrema deſeret: nec fœda à ſe illuuie reliquos terrebit, nec munditiē tantùm

colet ; sed vbi nitore in familiaritatem pellexerit, in virtutis amorem pertrahet.

Tota etiam domus nitorem præ se feret, magis etiam singulorum cubicula: quorum concinna aut neglecta compositio, inhabitantis ferè animum moréque designant, compositos, incompositos. & incredibile propè est, quantum domus totius apta concinnitas externorum animos in admirationem & amorem trahat, quantúmque sordes deterreant, ac in contemptum ducant: vt plerique è domestica compositione de incolentium moribus statuant. magis etiam in Religione : in qua in minimo deflexisse magnum videtur, maximè cùm ea innata omnibus opinio sit, ab interna animorum constitutione externa profluere, talémque cuiusq; mentem esse, qualem mores factáque testantur, nec aliam, proditor interiorum mores sunt. neque certior internorum index reperiri potest, vt frons, oculi, verba, vultus, corporis iactatio, lentitas celeritasque incessus, modesta aut sordida, cultior aut neglectior habitudo totum hominem suum loquatur. etiam ipse odor nescio quid vir-

Digitized by Google

virtutum vitiorumque ſpiret. eorum omnes auerſantur, nimiam veſtium fragantiam, impurioris mollioriſque animi ſignum deſignare arbitrantur. Quid? quòd inter prima tuendæ valetudinis adiumenta munditia ſit.

Dici deinde non poteſt quantum ſiue ad imitationem, ſiue ad perſuadendum religioſa morum compoſitio valeat, vultus totius modeſtia ac maturitas, decens membrorũ omnium compoſitio, frons ſerenior, oculi modicè deiecti, & verecundiam ſignantes, os genæque pudorem teſtantes, manuum totiuſq; corporis ſeria maturitas. vt vel hæc ſola ingentia non ſemel incitamẽta fuerint vitæ melioris. potentiora nimirum ad ſuadelam facta verbis ſunt, pluſque poteſt muta morum locutio, quàm fœcundiſſima verborum flumina, diuite quocunque fonte manantia. ita non rarò plus Superioris aſpectus ad ſeueritatẽ compoſitus quàm acerbiora verba potuerunt: vt laſciuior etiam quiſq;, ſi in ſeueram maturamq; vultus compoſitionem inciderit, comprimat meditatos ignes, ac tanquam fulmine per-

cussus cogitata recondat, & audaciæ suæ cursum pudoris freno retrahat: vt sola sæpe vultus castimonia satis sit ad validè procurrantes flammas restinguendas. credas integra superfundi ignibus flumina, ita momento sistitur omnis æstus, cùm in verecundos severosque maturosque mores incurrerit.

Iam ipsa oculorum casta maturitas, verecunda deiectio, quantas peccatorum occasiones tanquam falce secat? quantis contrà liberior illorum procursatio ostia reserat hostibus? quanti deinde omni ætate vno licentiore oculorũ intuitu ceciderunt? quanti starent si stetissent oculi littoribus suis cõtenti? quantos verò vnius mulierculæ curiosior circumspectio subiugum misit? quot captiuas animas vna audacior oculorum iactatio in triumphum duxit? quanti æternis pascuntur ignibus, viuerent cælorum gaudiis, si proditor oculus non prodidisset animas? quanti deniq; mutuis oculorum propudiosis ignibus decinerati in inglorias fauillas abierunt? adeò vt vel semel vidisse minùs castum multorum annorum materiam suggerat. quid, quòd in omnem etiam ætatem?

tem? tantum poteſt prouida arctiorque oculorum cohibitio, tantum licentioſior peregrinatio. Idem de reliquo corpore dici poteſt, ore, auditu, tactu, inceſſu. quæ omnia ſi ad religioſam modeſtiæ regulam componantur, ingenti decore Religionem illuſtrant, magnamque ſui admirationem amoremque prouocant: cùm contrà laſciuior liberiorq; oſtentatio dedecus inurat, auctoritatem minuat, probitatis opinionem tollat, ſperatamque animarum meſſem fallat.

Remedia.

A Superiorum in primis vigili, ac in omnem partem intenta cura petenda ſunt, crebris monitionibus, cubiculorum ſingulorum totiuſque domus frequentibus luſtrationibus.

A nouitiorum ſeria inſtitutione magna harum rerum pars pendet. ferè enim in omnem ætatem adhæret quod primis illis annis imbiberunt. ſeriò proinde ab ipſo Religionis exordio excitandi erunt ad munditiei cultum & amorem, ad modeſtiæ admirationem & ſtudium. quę vna, Bernardo teſte,

Digitized by Google

ſte, Epiſt. 113. ad Soph. *ceruicem ſubmittit, ponit ſupercilia, componit vultum, ligat oculos; cachinnos cohibet, moderatur linguam, gulam frenat, iram ſedat, firmat inceſſum*, omnemq; corporis motum ad exterioris etiam cuiuſdam elegantiæ normam, religioſámque compoſitionem fingit.

Pœnitentijs deinde à ſordibus deterrendi, præmijſque laudibuſque ad munditiem, decentemque corporis compoſitionem impellendi ſunt.

Commodorum etiam è nitore, incommodorumq; è ſordido neglectu naſcentiũ conſideratione iuuari ſinguli poterunt.

Excitandum denique in ſingulis vehemens ſalutis proximorum deſiderium, quæres ad nitorem impellet, cùm beneuolentia ante omnia captanda ſit illorum quorum ſaluti ſtudemus: quam nemo ſordidiore neglectu ac cultu, & externo ſqualore nauſeam prouocaturo parabit. honeſtatis enim pulcritudine ferè omnes capiuntur, munditia, maturáq; morum conſuetudine gaudent, & lubentes horum monita admittunt.

CA-

Digitized by Google

CAPVT XXIV.

Sæculares mores, risus, ioci, minusúe religiosæ recreationes.

QVÆ paulatim animos ad se rapiunt, auocant ab instituti & perfectionis amore. Irrepunt hæc mala à leuibus primùm initiis ad summa, vt nihil iam præter nomen & togam in Religioso videas; mores sæculum non redolent, sed exprimunt. Et sanè qualem externo conuictu & conuersatione Religiosum videris, talem interiùs cogita. respondent interioribus externa, cùm hæc ab illis proficiscantur; vt meritò mentiri habitu Religiosum dixeris, qui sæculum moribus, veste Religiosum præfert.

Sed neque consistere vocationis amor cum sæculi moribus potest: exprimunt amorem mores. sæculum loquuntur? à sæculi amore nascuntur: amarent vocationem? amorem hunc mores referrent. aliud ostentant? aliud amant. Neque certior index interni affectus est. nescit amor mentiri. prodit affectum, flammasque spargit, quibus intus ardet. vt omne iudicium constitutio-

Digitized by Google

nis internæ, ab externis moribus sumẽdum sit: neque enim alios testes habemus, non certiores, minusque fraudibus expositos. Deum quis loquitur? possedit animũ Deus. vana inania que loquitur? possedit animum mundus. nemo è vase odorato vino pleno venena promit: nemo ex impuro fonte aquam puram. nimirum, Matt. 7. *non potest arbor bona malos fructus, nec arbor mala bonos fructus facere:* & Matth. 12. *Bonus homo de bono thesauro profert bona: & malus homo de malo thesauro profert mala.* nec quisquam colligit *de spinis vuas, aut de tribulis ficus.* Matt. 7.

Sequuntur ex his multorum offensiones, animorumque alienationes, conceptæque de Religione opinionis ingens diminutio. neque enim cum his moribus integra stare opinio potest, nec prudens de interno homine aliud iudicium ferri, quàm quod mores exprimunt.

Atque hinc illud sequitur, vt collapsa semel sanctimoniæ aut sanctitatis opinione, exigua in sanioribus intercurrentibus monitis, fides resideat, fructus aut admodum tenuis aut nullus, totaque spiritualis emolu-

Digitized by Google

lumenti ſpes corruat: nemo illis paulo circumſpectior arcana credat, neque facilè animam committat; nemo prudentior ad virtutem magiſtros hos deligat, quos ad ſeculum moribus præire potiùs, quam ad cæleſtia videt, naſciturq; inde vetus illud, Exemplo præcat, qui docere volet: &, Talem te finge, qualem alios deſideras: Res monitis præluceant, facta dictionem ducant: Illudque in alio ſpera, non quod animo foues, quod verbis exornas; ſed quod rebus factiſque exprimis, memor grauiſſimæ cenſuræ D. Bernardi, Lib. 2. de conſider. *Inter ſæculares nugæ, nugæ ſunt: in ore Sacerdotis blaſphemiæ.*

Exemplo etiam talium in paria trahuntur reliqui, maximè iuniores; in quibus necdum ad viuum & radices, domita & exciſa ſæculi vanitas, leui hoc exemplorum flabello exurgit in arborem, veteréſque inanium vanitatum fructus: & ferè quoſcunque in moribus deprehendimus effuſiores, & ſæculum ſuum loquentes, illos poſtmodum vidimus, ab his in felicibus initiis, in carne prolapſos. præludunt enim illa carni

Digitized by Google

& ſanguini, viáq; inſternũt perituræ animæ.

Illud etiam ex his malum naſcitur, vt tales plerumque domeſticam turbent pacem, vniuerſam diſciplinam euertant. exemplóque ſuo regularum inducant neglectum, ac inſtituti denique totius contemptum: à cuius vniuerſim placitis morum vanitate recedunt, cùm nihil aliud quàm ſæculum ſapiant, ſæculum loquantur. nam vt nihil minùs cogitent; fit tamen vt vſu quodam, ac ſæcularium morum conſuetudine, tantum ab omni religioſa modeſtia ac diſciplina recedant, quantum ad ſęculi mores accedunt; tantúmque religioſarum rerum neglectum inducant, quantum ſæcularium morum adducunt. dum enim hos imitari diſcunt, amare etiam aſſueſcunt, & in deliciis habere; vnde fit, vt religioſæ modeſtiæ mores faſtidio incipiant eſſe, nauſeámque pariant animo ſæculi moribus imbuto: maximè ſi à frequentatione, vt fit, altiùs inſederint, & quaſi in naturam abierint.

Iniuriam deinde Deo non leuem irrogare videtur qui linguam ipſi ſacratam locis verbiſque non ſatis caſtis polluit. tanquam

Digitized by Google

quam si quis nobilissimam gemmam sterquilinio contegat. cúmque viuum Spiritus sancti templum Religiosus omnis sit, peculiari illi voto sacratum, quid arbitramur facturum, cùm dicata sibi membra ad seculi mores transferri viderit? Angelos sanè super vno peccatore pœnitentiã agente gaudere docemur. quid facient super degenere à maiorum institutis Religioso, sæculi moribus impliciro? magno profecto aduersarius, qui circuit quærẽs quem deuoret, gaudio repletur, qui sciat viam per hæc ad quæcunque crimina sterni, solétque secolloquiis hisce medium miscere, cùm piis cordatísque se misceat Deus. vbi enim duo congregati sunt in nomine Domini, ibi ductor ipse auctórque colloquiorum horum est.

Signum verò hæc colloquia sunt tepentis & languentis in amore Dei. nam quis amans non vltrò lubénsque prorumpit in amatum? imò omnis amans perpetuus in amantis laudibus est. nam cùm ille pectus vniuersum occupauerit, non potest nõ verbis effundere ignem amorem suum corde clau-

Digitized by Google

clauſum. in illo eloquens eſt, in aliis infans; verborum in reliquis inops, hîc diues eſt; parcus in aliis, in his prodigus. quanto verò ardentiùs amat, tanto promptior in illius laude frequentiorque eſt. neque vnquam amanti materia deficit. mare magnum amor eſt: nauigat illud quicunque amat. deeſſe nauiganti aqua non poteſt, nec amanti laudes: vt non laudaſſe, non amaſſe; adeoq; de amato ſiluiſſe, non amaſſe ſit. Certè ſola ego illum veſte Religioſum arbitror, qui parcus in Dei, prodigus in ſeculi moribus ac laudibus eſt. parcus non eſſet ſi amaret, & Religioſus eſſet ſi amaret. quare cùm parcus in illis ſit, nec amat, nec Religioſus eſt. iam cùm verba ſæculum loquantur, veſte Religioſus, animo non eſt. cùm hunc alium verba prodant. dictum olim Matth. 12. *Ex verbis tuis iuſtificaberis, ex verbis tuis damnaberis.* nec poteſt animus religioſus eſſe in ore non religioſo.

Et ferè quicunque in ſæculi mores verbáque effuſiores fuerunt, exuta tandē Religione, totum ſæculum induerunt. nec mirum. induerant antè animo. nec poterat nō to-

Digitized by Google

totum se aliquando effundere animus talis, neque diu habitu solo mentiri Religionem. quòd si qua necessitate commodísque suadentibus in Religione perstet, monstrum non Religiosus est, tanquam si quis capiti equino hominis adnectat pectus, Religiosę nimirum vesti animum, verba, morésque sæculares.

Remedia.

EX intenta Superiorum in omnium mores vigilantia peti debent, vt in semine suo occidantur hi mores, cùm nulla re maiora incrementa sumant, quàm Superiorũ incuria & neglectu. Seriò in accuratam regularum omnium obseruationem incumbat, qua vel sola mores componuntur, domesticámque disciplinam fortiter tueatur. Describit eam Bernar. Epi. 113. ad Sophiam. *Disciplina virtus est, quæ corporis & mentis habitum componit, ceruicem submittit, ponit supercilia, componit vultum, ligat oculos; cachinnos cohibet, moderatur linguam, gulam frenat, iram sedat, format incessum.* Accuratè Religiosum instruit Hugo de disciplin. Monachor. *Tem-*

peran-

Digitized by Google

peranda est etiam facies, & modificanda in gestu suo, ita vt nec proterùe exasperetur, nec molliter dissoluatur. Sed semper habeat rigidam dulcedinem, dulcémque rigorem, secundùm illud Ecclesiastici, *Ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus. Motus corporis, & risus dentium, & incessus hominis enuntiant de illo qualis sit. quia per illud quod foris, siue benè, siue malè agitur, interior animi qualitas intuentium oculis patenter indicatur.* Idem: *Disciplina honestæ conuersationis ex quatuor perpendi potest, ex gestu, motu, affatu & conuictu. gestus autem reprehensibilis est, si est aut mollis, aut dissolutus, aut tardus, aut incitatus. mollis significat lasciuum, dissolutus negligentem, tardus pigrum, citatus siue impetuosus inconstantem.*

Iuuabit in primis, si Præfectus spiritus fortiter insistat componendis suorum moribus ad modestiæ regulam.

Proderit etiam, si iunioribus, & ad sæcularem profusionem propensioribus, misceantur in recreationibus potissimum viri graues; nec permittantur iuuenes à seniorũ se conspectu proripere. habeant semper quem obseruent, cuius oculum vereantur,

cuius

Digitized by Google

cuius exemplo ad modestiam componantur, cuius quando necessum monitis comprimantur.

Quòd si quis post varia ante nequidquã tentata, maiore remedio eguerit, semouendus ille ad tempus à reliquorum recreationibus ac consuetudine fuerit, vt assuescat modestiæ, alijque hac severitate mores temperent. Neque enim amor tantùm, sed verecundia & metus magnum in Religione momentum afferunt.

Spiritualibus etiam exercitijs extra consuetum tempus assumptis & imperatis iuuari talis poterit, vt sæpiùs ea etiam per annum peragat, donec se reducat ad eam morum maturitatem, quam iure suo Religio postulat.

Proderit vehementer, ante omnem recreationem fortiter animo Religioso dignam recreationem proponere, post singulas verò breuissimè eas animo percurrere, cogitaréque illud, Matth. 12. *Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij*. Simul etiam tacitum secum cogitare altam animi pacem tranquil-

Digitized by Google

quillitatemque post religiosè transactam recreationem, inquietudinem verò à vana recreatione insurgentem, malaque plurima quæ ferè recreationes has sequũtur; illudq; magnorum virorum, Verbum leue in Religiosi ore blasphemiam esse, non quòd talis sit, sed quòd paullatim eò Religiosũ ducat.

Vtile etiam fuerit, præsentem nobis Deum proponere, inspectorem, iudicem, præmiatorem. eoque modo recreationes omnes peragere, quo non illo solùm, sed & externis spectatoribus peractas vellemus.

Denique consultissimum fuerit semper aliquem è maturioribus domus iuniorum recreationibus interesse: ipsumq; adeò Superiorem, quantum occupationes ferunt, eo loco esse, è quo moderari illas possit.

CAPVT XXV.

Conuiuiorum frequentatio.

SIue illa domi nostræ, siue apud externos instituantur, noxia in primis sunt. intepescit enim his paullatim Religionis spiritus, qui cibi potusque magnam moderatio-

nem

Digitized by Google

nem exigit,& ferè ieiuniis pascitur. Ita omni sęculo,quotquot arctiùs se Deo deuouerunt,ab insigni victus potúsque moderatione initia duxerunt: quotquot verò laxata maiorum institutione, ad lautiores se mensas profuderunt, spiritum, quem ciborum continentia imbiberant,exuerunt,&ad malorum demum extrema delapsi sunt.

Et ferè pari,quo frequentantur conuiuia ardore,pari spiritus, aut tanquam flammis exeditur, aut tanquam flumine aut spongia eluitur;vt quantum accessit creuítque mensarum, tantum decesserit decreuerítque genuini spiritus. ita augmenta decrementáque à cibo potúque, spiritus iam inde à primordio mutuatur. neque vnquam in benè pasto saginatóque corpore,& escis vndique stipato, religiosam mentem, & solius Dei cupidam reperies. Non possunt simul stabulare Deus & mensæ. quantum concesseris vni,tantum necesse detrahas alteri. quare si quem videris in mensas proniorem, eum in spiritu comperies retractiorẽ: quóque plùs quisque cibo potúque maduerit, hoc plùs spiritu exaruit, vt deliciis emedullari,

Digitized by Google

lariac enerυari ſpiritale robur deprehẽdamus. Nam cùm ciborum potuſque copia, tanquam oleo libidinum creſcant flammæ; perfacilè quiuis videat, reſtingui his æſtibus internarum fluenta gratiarum. neque alia potentior libidinum materia, quàm ſaginatum fartúmque cibis corpus. vt validiſſima voluptatum incentiua à cibo pótúque naſcantur. Et ferè videmus eos qui victus moderatione ſpiritu inceperunt, eiuſdem liberiore conſuetudine carne conſummaſſe: & vt nullus lapſus ſequatur, minùs tamen caſtæ narrationes, quales inter pocula naſci procliue eſt, potentibus tentationibus materiam in omnem ætatem ſuggerere ſolent: vt taceam ad illas illecebras femineum cõpoſitum ornatum, mollia verba, laſciuientes oculos, quarũ vel in medijs orationibus recordatio ingentes animo parit moleſtias.

Sequitur hunc ciborum affectum, laborum fuga, otij amor. langueſcit enim ad labores corpus cibo fatigatum. colloquia inde venatur & fabulas, riſus, iocos, luſus, quidquid ſæculum de menſarum ac conuiuiorum apparatu promittere ſolet. ſterni-

tur

Digitized by Google

turque his via ad mutuas detractiones, quas ferè ex otio tanquam è fonte flumina promanare videmus. prosiliúntque tandem ex his liberiores locutiones, carnem & sanguinem redolentes, castitatis omníque pudicitiæ hostes. indè etiam minùs prouida oculorum custodia, blandiórque prospectus, quàm religiosam castimoniam, maturámque seueritatem deceat. itur demum ad verba libidine natantia, parúmque castas libertates, ac demum ad malorum profunda. Nec mirum si duobus his ignibus substructum corpus accendatur, & appetere discat quod ignorabat. neque sanè quidquam promptius quàm duabus his potentibus flammis inardescere.

Plenas etiam ex his videas Religiosas domus æmulationibus, dum paria concedi sibi quisque contendit. &, vt ingeniosa cupiditas est; modi excogitantur & inueniuntur, quib. impetremus quod volumus. quòd si præclusa via est, murmurationes nascuntur. cùm enim quæ prona hæc cupiditas implacabili auiditate poscit, negantur, aut minùs quàm vellent prodigè largiuntur;

ex-

Digitized by Google

exurgunt querimoniæ & oblocutiones, in quas reliquos etiam facilè propellunt, eósque maximè, qui non inferiore propensione in cibum potúmque feruntur. plena etiam conuiuia reperias detractionibus, cùm familiare sit inter mensas poculáque in alios incurrere, liberiúsque effutire silenda, aliorúmque mores carpere, dicta factáque improbare, damnanda laudare, laudanda damnare. à quibus si Religiosus sibi temperet, domum tamen ea refert quæ aliis narret: nec crimen agnoscitur quod palám inter pocula acceptum. nihil deinde tam sanctum támque reconditum quod non deuomat vinum, impatiens secretorum: publicantúrque persæpe ea à quibus fama vitáque pendet. nesciunt secretum vina: adeóq; publicasse illis gloria est, & candidi pectoris symbolum. etiam domestica suáque retegere mala, pulcrum.

Offensiones deinde externorum sequi prochiue est: qui si Religiosos videant in hęc proniores, & supra religiosam continentiã in cibum potúmque effusiores; non immeritò offenduntur, contemnúntque non de-

lin-

Digitized by Google

linquentes tantùm, sed vniuersam Religionem, cùm ex paucorum horum affectu reliquos metiantur. magis etiam, cùm liberiora, minusque religiosa insonuerint verba, moresque sæculum potiùs quàm pietatem loquentes viderint. quod ferè in pocula, in omni mensali deliciarúmque profusione vsu venire videmus, vt immemores sui, religiosæque modestiæ, cibo potuque impellerę, plus longè de mundi vanitate, quàm de religiosa referant maturitate. quæres & scãdalum parit, & nominis æstimationem minuit, & proximorum in primis saluti aduersatur. Et sanè prodigium sit in tanta prouocantium ciborum copia, vinoque prodigè propinato, modum statuere, ac se intra modestiæ ac continentiæ limites continere. dũ prouocati veremur ne neglexisse videamur, aut honori detraxisse, aut amicitiæ minus concessisse, aut denique non satis affectui indulsisse.

Estque hoc huic vitio inditum, vt nullæ moderatione exsatietur, maioraque semper concupiscat: nec expleatur, donec insigni aliquo lapsu se nomenque suum dehonestauerit.

Digitized by Google

uerit. ſed neque hîc finis : vt oculis priuatos arbitrêre, ita nec mala quidem, licet grauia, in quæ inciderunt, vident, rapiunturque in dies ad deteriora. adeò difficile eſt modum in his ſtatuere, vt etiam poſt præcipitia nouam quærant ruinæ materiam. Periclitatur deinde in his vehementer paupertas, cùm in tanta rerum varietate, immemores illius, multa profundimus veriùs quàm vtamur, & appetere diſcimus religioſæ tenuitati ignorata, deſipiuntque domeſtica, & religioſæ menſæ quibus antè delectabamur faſtidium pariunt. guſtata nimirum copia inopiam deteſtatur, nauſeátque iam animus ſuper tenui cibo, qui per conuiuia lautioribus aſſueſcit.

Neque domeſticæ in hoc genere menſę, minùs quàm externorum noxiæ ſunt, maximè cùm ad eas vocantur externi. nam cùm dignitatum illorum rationem habere volumus, fit plurimùm vt religioſos tranſgrediamur limites, pulſo modeſtiæ rigore, effundimúrq; in apparatum ſęculo magis, quàm Religione dignum. nec hoc non raro cum offenſione etiam conuiuarum.

Ac-

Digitized by Google

Accedit talibus alios ad paria excitari, & Superiorum exemplo ambire his similia, & imitari. Inde frequentantur domi conuiuia, & repetuntur mensæ ab instituto alienæ: dumque his externorum gratiam venamur, fit iusto Dei iudicio, vt illa excidamus: neque enim per conuiuia beneuolentiam captare religiosum est.

Disciplina deinde domestica soluitur, dum protrahuntur mensæ, Religiosique his occupationibus distinentur. Iam dum in assueti talibus indulgent, & valetudinem lædunt, & religiosæ obliuiscuntur modestiæ, & inlatentes ignes excitant, vitiaque aliquando eruptura, latéque crescente consuetudine damna datura.

Illud etiam in his non caret incommodo, quòd lautiùs habiti externi, domesticis exin suis, aliisque mensarum apparatum referant, augéant etiam: ac præ se nonnunquam liberaliorem tractationem vultu voceque referant. quæ res & Religione indigna, & meritam offensionis materiam præbet, & plurimùm æstimationis detrahit, & proximorũ saluti, ac diuinæ gloriæ propa-

Digitized by Google

gationi non leui impedimento esse solet.

Neque in vno alteróue stare hæc conuiuia possunt: nam cùm plurimi sint, quibus aut obstringimur beneficiis, aut quorum opera nouè semper egemus; multi qui dignitate, opibus, nobilitate, amicitia pares videri velint, pares etiam inuitatione esse volũt. Concedis omnibus? quid non iure metuendum? negas vni, concedis alteri? sequitur de prærogatiua hac indignatio, quæ etiam ad odia transit: vt aut omnibus concedendum, aut negandum sit omnibus. omnibus concedere, indignum Religioso. omnibus ergo negandum. & sanè quocunque te vertas, vix reperiri temperamentum potest. vnum enim admittere, altero neglecto non possimus. frequentanda proinde ac repetenda conuiuia erunt. verùm quis finis euntibus in orbem amicis, beneficiis, conuiuiis? crescentibus etenim illis, hęc etiam crescere necessum est. quæres incommoda quanta secum trahat, nemo paullò prudentior non videat: cùm & vniuersam domesticam soluat disciplinam, modestiæque ac religiosæ castimoniæ mores, in vanos sæculares que ver-

Digitized by Google

vertat; vt non iam vltrà religiosam, sed externam domum præferat.

Tollitúrque ex his pars maxima, in monendo ac suadendo, libertas. nam cùm deuinctum teneat conuiuator tuus, fit vt nõ parum de libertate decedat. veremur enim offendere cuius beneficio obstricti tenemur. displicere nimirum nolumus à quo mensale beneficium accepimus, & erubescimus etiam in delictis monere, cuius munificẽtiam experti sumus. Misera conditio, pro tam vilibus libertatem vendere, imò pro tam leuibus æterna proiicere. nam cùm ferè conuiuia remunerationis ac quasi mercedis cuiusdam loco instituantur, meritam hîc mercedem accepisse videbimur priuandi æterna. & plurimùm conuiuiolo vno omnem se gratitudinis obligationem exsoluisse sæculares arbitrantur. noui nos Esau facti, pro pulmento primogenita videntes. vt meritò ab Apostolo 1. Pet. 5. moneamur, *Sobrij estote & vigilate, quia aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens, circuit, quærens quẽ deuoret.* Sanè inter vina ac lautiores mensas perfacile illi est exarmatum aduersarium ferire,

Digitized by Google

rire. ita cadit Amnon, Simon, Holofernes etiam muliebri manu: quo magis nos armata inferorum dextera. Et quam tentationem ſuperabit qui deliciis ſuccumbit? qui tam mollibus frangitur proſterniturque, quomodo inter rugientes leones & hoſtiles acies ſtabit interritus? Indignum viro, magis etiam Religioſo, vinci à vino; à tam molli, generoſum pectus Chriſti toties ſanguine delibutum, ſanguine paſtum. & terret nos Sapiens Prou. 23. *Cui væ? cuius patri væ? cui rixæ? cui foueæ? cui ſine cauſſa vulnera? cui ſuffuſio oculorum? nonne his qui commorantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis? ne intuearis vinũ quando flaueſcit, cum ſplenduerit in vitro color eius; ingreditur blandè ſed in nouiſſimo mordebit vt coluber, & ſicut regulus venena diffundet.*

Remedia.

MOderanda conuiuia erunt, & tanquam iniecto fræno reprimenda, vi etiam coërcenda. ſæpiuſq; verſetur animo, quare te Religioni dederis, ſacraueris Deo. & illud Hieronymi: Epi. ad Nepotian. *Facilè contemnitur clericus, qui ſæpe vocatus ad prandium,*

Digitized by Google

dium, ire non recusat. Consolatores nos potiùs in mœroribus suis, quàm conuiuas in prosperis nouerint homines.

In solidum si conuiuia amoueantur, tutissimum erit. nam moderationem ægrè reperies, neque facilè ad mediocritatem deduces: inexplebilis enim quædam conuiuiorum sitis mentem occupat, quæ semel sæ ei dederit. Nec satiatur hæc auiditas concessis, nec expletur modicis. & tanquam sphærica corpora, quæ supernè labuntur, non antè finem voluendi, quàm præcipitij faciunt: ita animus semel hoc malo possessus, nullum pronitati suæ finem statuit, donec ad extrema deuenerit, vt finis illi sit, cecidisse.

Seriis pœnitentiis, monitisque grauioribus delinquentes auocandi sunt. Superiores etiam à functionibus amouendi, quorum exempla eo nocentiora sunt, quo singula eorum facta, domesticis posteriſque non rarò documenta & prouocamenta in imitationem sunt.

Proderit, exemplis eorum qui omni sæculo à conuiuandi pronitate ad grauia de-

Digitized by Google

lapsi sunt, reliquos deterrere. nec exempla deesse poterunt in omni Religiosorum Ordine, domestica tamen plus ad motum & terrorem poterunt, quanquam & externa in hoc genere iuuabunt.

Iuuabit considerare sæpiùs, quàm paucis natura contenta sit, quàm modico satietur. quanto etiam paratiores è tenui mensa ad magna surgamus, ad studia, consilia danda, imperia, virtutum exercitia, cęlestium cogitationes, tentationum victoriam, hostium proculcationem. Benè Hieronym. libr. 2. in Iouinian. *Grandis exultatio animi est, cùm paruo contentus fueris mundum habere sub pedibus, & omnem eius potentiam, epulas, libidines, propter quæ diuitiæ comparantur, vilibus mutare cibis, & crassicre tunica compensare*: citò enim *expletur naturæ necessitas. frigus & fames, simplici vestitu & cibo expelli potest.* addit: *Sapientiæ operam dare non possumus, si abundantiam mensæ cogitemus, quæ labore nimio & cura indiget.* & monemur à Sapiente Eccl. 7. *Melius est ire ad domum luctus quàm ad domum conuiuij.* caussam addit: *In illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat quid futurum sit.*

CA-

Digitized by Google

CAPVT XXVI.

Munerum acceptatio, largitio.

NOn magna hæc res cuipiam videatur, maximè in rebus non magnis; grande tamen malum eſt, eoq; nocentius, quo ſub amoris ac beneuolentiæ teſtatione molliùs animo illabitur. antè nimirum venenum præcordia occupauit, quàm bibiſſe nos ſciamus: neque enim ad animorum obſtrictionem potentius quidquam in humanis reperias; vt vinculis iam tanquam validiſſimis compedibus cõſtrictum teneas, quem munerib. quaſi retibus implagaſti. Et verò certiùs etiam beneficiis hoſtem, quàm armis fregeris, faciliuſque inimicam mentem muneribus ſub iugum, quàm ferro miſeris. Ingens omnino vis munerum eſt; quæ ſeueriſſimos etiam iudices, nulliuſque minis, purpura, ac ne propinquo quidem ſanguine à recto bonoque flectendos, ab innata ſeueritate & æquitate dimouit. vt munus in iudice accepiſſe, propè viciſſe ſit. expugnauit nimirum arcem quamuis præualido præſidio inſeſſam, qui aurum immiſit; perdidit, qui

Digitized by Google

qui accepit. hinc illud Sapientis Pro. 15. *Conturbat domum suam, qui sectatur auaritiã; qui autem odit munera, viuet.* & illud Eccl. 20. *Xenia & donaria excœcant õculos iudicum, & quasi mutus in ore auertit correptionem.*

Et exemplis doceemur omnium sæculorum, vt nesciam an validius aliud ad expugnationem in omni hominum genere reperiri possit, hoc prudentes sapientia exuũtur, prouidi circumspectione spoliantur, docti eruditione destituuntur, continentes castimonia nudantur, fidentes spe sua frustrantur; amicitia labascit, deferuescit zelus, intepescit pietas, succidit fiducia, exarmatur exercitus, emedullàntur robora, & quidquid terris magnum est, ad humilem descendit arenam. Ita quidquid in vnaquaque re summum est, si accesserint munera, defloreſcit, vt exaruisse virtutem omnium credas ab horum tactu. quid? quòd longè etiam posita improbo quodam afflatu venenent, vt vel vidisse noxiam sit. bene Cassianus, *Oblatio muneris, tinea est regiminis.*

Si à Superiorib. hęc nascuntur, nescio quo modo in mores vitamq; illius nos trahant:

Digitized by Google

vt etiam damnanda laudemus, imitemur.

Si ab inferioribus, credas tanquam falce præciſos diſciplinæneruos: ita intepeſcit rigor,& correctionis ſucciduntur genua. ſuccedit ſimulatio, dum offendere nolumus, quorum beneficijs tenemur, aut à quibus maiora ſperamus.

Si à paribus, mutua marceſcit correctio, dum indignum cenſemus Superiori in benefico ſocio nocitura prodere. quid? quòd perfacilè etiam in illorum mores eamus, ne videamur à benefactoribus degenerare? aulicos referunt mores? imitamur. obloquuntur? addimus aliquid de noſtro. detrahunt? probamus. in cibum potumque feruntur? iungimur ſocij. in riſum, & ſæculares iocos ſoluuntur? reddimus paria. liberiora, minuſque caſta proferunt? arridemus. nimirū ne ſilentio noſtro dicta factaque illorum improbare videamur, decurrimus ad paria vitia: neue diſpliceamus quorum beneficiis irretiti tenemur, mores reſtringimus,& induimur ijſdem malis, vt dictorum factorūque ſimilitudine placeamus.

Si ab externis beneficia accipimus, perit

Digitized by Google

in monendo, consulendo, corripiendo libertatis pars maxima: nam & pretio illam benefactor emit, & nos vendidimus. minuit deinde veneratio auctoritatem, offensionisque timor magnam libertatis partem adimit, dum veremur ne monitione nostra elangueſcat benefica manus, & exareſcat donorum fons, monitis tanquam æstibus repressus.

Quid? quòd ab eodem offensionis timore, & placendi studio, non rarò improbanda probemus, probaque respuamus; vitia si non laudamus, extenuamus, placituraque etiam in sceleribus consilia damus. nimirum displicere nolumus, ne beneficiorum spe excidamus.

Quòd si à femina veniant munera, in priuatum maximè vsum vertẽda, maius etiam periculum est. quoque hic sexus mollior teneriorq; est, hoc maiora etiam damna metuenda sunt, & nescio quid etiam seueriſſimis ac castissimis mentibus affient tenerioris affectus. solaque non rarò muliebrium donorum memoria, valentissimi ac religiosissimi viri pectus tanquam molli, sed potẽti

ta-

Digitized by Google

tamen iaculo transadigit. & dum munera placent, incipit placere donatrix. Ludit deinde in muneribus, tãquam in amoris quodam symbolo, mollior affectus. & illa antè mens, multorum sępe annorum spiritalibus exercitationibus roborata, ac quasi in ferrum chalybémque versa, muliebrium donorum malleis concussa, fatiscit, succidítq; paulatim, donec suauioris huius elementi frequenti stillicidio exesa & euigorata, in vagum puluerem cinerémque dilabatur: & quæ nullis antè minis territa, nõ armis fracta, ĩnuicta mundo & inferis steterat, molliſſimis hĩsce femineis vinculis, omni ferrea compede firmiùs tenetur. credas Samsonis capillum vniuersi roboris germen, muliebri manu demessum.

Huc accedit, non vnanos experientia doctos, aliquid aliquando in his muneribus diabolicæ latitasse fraudis; nec antè animo quieuisse qui acceperant, quàm à se dona propulsassent, támque diu tanquam immaniſſimis sæuiſſimísque iactatos æstibus, ac quadam quasi flamma ac fornacibus inæstuasse, atque adeò arsisse totos, quãdiu mu-

Digitized by Google

liebria hæc munera circumferrent : quibus vt primùm seſe exuerant , reſediſſe tempeſtates, reſtinctas flãmas, & ad priſtinam animorum rediiſſe malaciam & tranquillitatẽ.

Accedit, munera hæc familiaritatis ac fiduciæ cuiuſdam maioris prænuntia quædã eſſe, nec pudet præeuntem ſequi, neque ad colloquia iam illius erubeſcimus, cuius donis inhiamus. tranſitque iam talis aut in matrem ſi ſenior, aut in filiam ſi iunior eſt. inde licentior exurgit conſuetudo , nec peccatum in tanta propinquitate veremur. liberiora hinc exuto pudore naſcuntur imperia: neque ea dicere nunc veremur, ad quorum antè memoriam erubeſcebamus. Benè Hieronym. Epiſt. ad Nepotian. *Crebra munuſcula, & ſudariola, & faſciolas , & veſtes ori applicatas, & oblatos ac deguſtatos cibos, blandaſq; & dulces litterulas ſanctus amor non habet. Hæc ſunt incitamenta vel amoris retinacula.*

Exurgunt denique ex his domeſticorum æmulationes, externorum offenſiones , vtrorumque obloquia & murmurationes: & imitari delectat , quod damnari non videmus. trahimur enim commodorum ſpe, & ra-

Digitized by Google

rapimur in nocitura exempla nec præcipitia sentimus, nisi in ipsis, serò in medio lapsu tutiora cogitantes. antè oportuit.

Ingens prærogatiua apud Isaiam munera detestãtium meritò mouere nos debeat, & calcar addere, ad seriam illorum detestationem Isaiæ. 33. *Qui ambulat in iustitiis, & loquitur veritatem, & proiicit auaritiam ex calumnia, & excutit manum suam ab omni munere; iste in excelsis habitabit, regem in decore suo videbit.* Armemus pectus hoc robore. quò sub his spongiis ferrum, sub hoc fauo inlatentia venena vitemus. mollia licet iacula sint, & feminea sæpe dextera missa, tincta perimente toxico sunt: vt tetigisse in mortem satis sit. Et sane vel sola diues illa Prophetæ sponsio meritò mouere nos debeat, *Habitabit in excelsis, regem in decore suo videbit.* quid vel sperari aut voueri poterat maius? alterius sæculi felicitatem omnem complexus est. habitatio æternitatem designat, visio in decore diuinam fruitionem. vt omnia consecutus fuerit qui munera excusserit.

Re-

Digitized by Google

Remedia.

REsecanda omnia hæc munera priuatis collata, maximè à mulieribus & pœnitentibus: quæ non vni noxia fuisse, experiẽtia edocti sumus. dandáque opera, vt pœnitentes intelligant religiosis moribus vetita hæc munera esse, ac si quæ dederint, Superiorum iudicio pro cuiusque necessitate distribuenda. consultúmque fuerit, alteri potiùs, quàm cõfessario hæc concedi. vt si materia ad vestes, similiáque corpori necessaria donantur, ea alterius necessitatibus impendatur. confessario verò, si eguerit, aliunde prospiciatur. ingentes alioqui hæc res, præter recensita pericula, excitabit æmulationes, & ãd paria à suis impetranda dona prouocabit alios: vel sanè abundabunt hi, egebunt alij; quæ ingens materia dissensionum est, & à paupertate, quam Religiosi profitentur, aliena, cuius nitorem non parum obfuscat.

Iuuabit non infrequenter secum reuoluere verba D. Hieronymi ad Marcel. *Nescio quomodo etiã ipse qui deprecatur vt tribuat, cùm acceperis, viliorem te iudicat; & mirum in modum*

Digitized by Google

si eum rogantem contempseris, plùs te post venerabitur.

Proderit in primis si Superiores exemplo suo reliquis præeant, excludántque à se quantum fieri poterit, omnem omnino munerum largitionem, aut in priuatum vsum acceptationem.

Pœnitentiis etiam proniores in hanc rem terrendi, si quando in horum aliquo peccauerint: nec parcendum hîc ætati, ne concessio eat in exemplum.

CAPVT XXVII.

Adulatio.

INdignum in Religioso vitium, cuius omnes cogitationes debent esse cæleſtes, omne ſtudium placendi vni Deo. degeneres ſane à vera Religione animos oſtendit, quicunque ſe ad humana ſtudioſiùs quàm par eſt conuertit. facit hoc omnis adulator, qui in aliorum ſe effundit beneuolentiam, quam vt conſequatur, in omnem ſe vertit formam. virtute non poteſt? virtutem mentitur. ſatis enim illi placuiſſe eſt adeò ſi vitiis pla-

Digitized by Google

placeat, vitia induet: & totum se in illa immerget, si natasse in illis, placuisse sit.

Quo magis vitandum malum Religioso est qui aliquid Christiani ac virilis animi pectore clausum tenet. quid enim tam indignum Christiano ac Religioso quàm mẽtiri, sine quo nulla diu stare adulatio potest? cùm omnis illa mendacio vestiatur. detrahe vestes, mendacium & informis apparebit nuditas, ridenda non admiranda. neque enim aliud est adulatio quam perpetuis propè oratio vestita mendaciis. aut enim infra aut supra fidem adulantis verba sunt. dum enim placere studet, si laudibus aliquem rapi videat, auget illas longè etiam supra verum, vt placeat magis. si nihil quod laudem mereatur repererit, è suo cerebro noua cõmimiscitur. quid? quòd non ratò, cùm nihil præter vitia reperierit, etiam illa ipsa in laude ponat, & damnanda probet. quo fit vt in maiora impellat scelera. laudasse enim hæc, ad paria aut maiora impulisse est.

Ingens vitium, quando in Principes & Superiores incurrit: quorum crimina improbamque vitam moresque laudasse, ad si-

mi-

Digitized by Google

milia calcar addidisse est, & natura aut educatione ad illa properantes, grauiùs etiam propulisse est: tanquam si quem præcipitio vicinum iniecta manu protrudas, quò facilior proniorque lapsus sit. vt dictum verè, Tolle laudatores & magnam scelerum materiam sustuleris. neque quisquam facilè improbata omnibus aut aggreditur aut iterat. laudem & propugnatorem crimina poscunt vt repetantur. tolle hæc fomenta, ligna ignibus; & partem longè maximam ademeris. Vera nimiùm Magni Gregorij verba sunt 4. Mor. ca. 25. *Incessanter crescit culpa fauoribus nutrita. curari autẽ vulnus negligitur, quod dignum pramio laudis videtur. vnde bene per Salomonem* Pro. 1. *dicitur, Fili mi, si te lactauerint peccatores, nè acquiescas eis. peccatores enim lactant, cùm vel perpetranda mala blandimentis inferunt, vel perpetrata fauoribus extollunt. an non lactatur de quo per Psalmistam dicitur, Quoniam Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & cum iniqua egerit iniquus, benedicunt.*

Suspectum proinde omni viro probo hoc hominum genus esse debet: neque enim illi tam animi sui sensus exprimunt, quàm

quàm voluntatibus aliorum ſubſeruiunt ac obſecundantur. mores ingeniumque cuiuſque obſeruant, & quod cuique auditu iucundum referunt. vera an falſa pro eodem habent: ſatis illis dixiſſe, placuiſſe. quin adeò, ferè aliud ſentiunt, dicunt aliud: vt probaſſe adulatoris improbaſſe, laudaſſe damnaſſe ſit. ſi quem proinde videris in os laudantem, mẽte damnare cogita. aliud nimirum recluſum habet anima, aliud depromit ore. ac ſanè malè de te ſentit quiſquis coràm laudat; arbitratur enim te gloriæ nominiſque quadam ſcabie teneri. profundit proinde laudes, eo copioſiores, quo maiori te harum prurigine titillari arbitratur. non faceret ſi te virum putaret, ſi res diuino iudicio metientem, ſi æterna cogitantem, ſi repoſita cælo præmia, ſi non ab humano doloſo ore, fallaci dictione, ſed ab omniũ conſcio Deo falliq; ignaro mercedem ſperantem videret. Laudat? mollem cenſet, & ad præconia inſurgentem, aqueum nimirum, facilem in bullam, in ventum, & ad omnem flatum velà pandentem. ludit proinde inter hæc amica ac votiua carbaſa, & in omnem par-

Digitized by Google

partem molli Fauònio impellit hanc ratem ignaram ſui, diſcriminumque ſuorum. quæ eo periculis propior eſt, quo ſecurior indormit his ventis, ludibrium paullò pòſt futura fluctibus ſera pœnitentia.

Comparari deinde meritò aſſentator omnis proditori poteſt, qui blandis & ad dolum compoſitis verbis, diuite ſponſione, in inſidias & fraudes improuidos impellit: medico etiam qui inani & falſa ſpe ægrum lactat, pluſque bonarum valetudinum ſpargit, quo viciniorem morti eſt. Facit omnis aſſentator, ementitis incautos laudibus in verarum virtutum opinionem trahit, damna tegit, pericula minuit, aut vniuerſim tollit, eoque magis cautiuſque, quo vicinioresillis ſunt. Magnus Gregorius Mor. 31. c. 20. adulatorum linguas locuſtis comparat, quòd omnem virtutũ virorem adulatione ſua corrumpant. Auguſtinus in Pſ. 59. verò, duo ait eſſe genera perſecutorum, vituperantium & laudantium; plùs tamen perſequi adulatorum linguam quàm perſequẽtium manum.

Plenis etiam faucibus politiciſmum adulator combibit, quem in eos maximè deuomit,

Digitized by Google

mit, quorum gratiam venatur. cùm enim virtutibus destitutus, factorum claritate nomen parare non possit, decurrit ad fraudes commune improborũ subsidium, vt quod probitate desperat, dolis consequatur. cùm enim beneuolentiam alicuius sibi suisq; rebus persuaserit commodam aut necessariã esse, quacunq; illam via parare studet. veris nudatur? protrudet falsa. satis illi si optata consecutus fuerit, quocunque demum flumine deducatur ad hunc portum.

Noxium in primis Religioni genus, cùm Superiores eos deliberationibus admouẽt, consiliorumque ac secretorum participes faciunt. cùm enim ferè non è mente sua, sed è Superiorũ voluntate sententiam dicant, fit vt non pro veritate, sed proponentium affectu consilia explicent, in eam partem prolabendi, in quam Superiorem̃ viderint propensum. ita fit vt dum captandæ illorũ beneuolentiæ insudant, sola placitura depromant. vnde fit vt malis remedia nulla admoueantur, ac nec nocitura quidem & in interitum ductura, Superioribus indicentur, displicendi metu. Hinc paullatim zi-

Digitized by Google

zizaniorum more ſerpunt neglecta mala, & moræ vires ſumunt, donec ſera eradicationis ſpe terram latè occupent.

Accedit, plurimùm tales quæ hîc laudarunt, alibi damnare; quæ apud hos probarunt, apud illos improbare, ſiue innata quadam naturę inconſtantia, ſiue omnibus placendi ſtudio, vnde fit vt nihil ſtabile firmũque ſperari ab his poſſit, nihil illis tutò credi: proditurí commiſſa quæcunque ſi è re ſua futurum arbitrentur. nulli deinde ex vero amici, ſed fortunæ cuiuſque ſunt, omnium ſe ſucceſſibus expandentes, omnium ſubſeruientes: tam faciles in proditionem, quàm faciles in aſſenſum, vt nulla illis fides adhiberi, nulla verbis fiducia poſſit.

Remedia.

Conſultum erit ſuſpectos aſſentatores omnes, ac pro hoſtibus ex inſidijs inſurgentibus habere, familiaritate ſua excludere, conſuetudinem fugere. ſi inferiores ſunt pœnitentiis monitiſque frequentibus ab hoc vitio, indignitate ac fœditate huius propoſita, arcere: per domeſticum etiam

etiam confessarium, alioſque viros cordatos ab irreligioſa hac consuetudine auocare. quæ omnia si concurrant, non magno negotio euelletur hoc malum. vbi enim viderint serios vbique Superiores, qui assentationem omnem improbent, qui candorem ament, adulationem auersentur, qui sinceros & regia inambulantes via, familiaritate sibi astringant, reliquos negligant; facilè se ad illorum mores component. quòd si deseri se à reliquis viderint, optimorumque quorumcunque familiaritate destitui, alia longè consilia moresque induent.

Iuuabit etiam tales si subditi fuerint loco mouere, & iis Superioribus subdere, qui ab omni assentatione alieniſſimi sunt: si Superiores sunt, à gubernatione amouendi, & aliis occupandi erunt. ne horum mores reliqui imitentur, & incipiat placere quod in capite ac ductore suo vident, & pro virtute vitium habeatur.

Proderit etiam frequens cogitatio incommodorum quæ ex hoc vitio nasci consueuerunt. Frequentata deinde cæleſtium cogitatio, vnicumque ſtudium placendi

Deo.

Digitized by Google

Deo. sic enim vilescent humana, nec gratiam aut beneuolentiam captabimus hominum, solius Dei contenti.

CAPVT XXVIII.

Politica agendi ratio.

QVæ res ingentem diffidentiam parit, mutuæque alienationis vel inter primas causa est; maximè vbi hæc ratio innotescit, quam diu celare in tam variis dictorumque factorumque obseruatoribus impossibile est. atque hinc perpetua quædam nascitur diffidentia, vt in illo quasi iusto metu, dum seu Superiores, seu inferiores detinentur, nihil sperari possit boni.

Nam si Superior hoc malo laborat, frustra genuinam conscientiæ rationem sperabit. nemo ad hunc vt ad patrem & medicū accurret. omnes vt minùs sincerum, & cui credi non possit, aut secretiora credi, auersantur, contingitque illis, vt dum affectu sano sinceroque res tractant, fidem tamen non inueniant: quòd retecta semel politica agendi ratio perpetuam ingeneret suspicionem

Digitized by Google

nem nulla arte eluendam. Agit seuerè? seueritate sua displicet. molliter & benignè? seueritatem his tegi arbitrantur, animumque alieniorem, & fraudibus doliſque vicinum. tegitur nimirum hoc cinere ignis, paulò pòst in flammas & incendia erupturus; integunturque pulchro hoc velamine nocitura venena, si quis propiùs tangat.

Iam adulationibus omnia plena videas, exulat candor, & è politico Superiorum ingenio, reliquorum finguntur mores: vt secularis iam Principis aulam, alienissimam à religiosa familia reperias.

Atque hinc in Superioribus imperia nascuntur sęcularia; in inferioribus seruilis obsequentia. dolis interim fraudibusque plena sunt omnia; & ille iam prudentissimus habetur, qui solertissimè socium circumuenit veris falsisue rebus, aut calumniis etiam à criminationibus, iuxtà habetur; res modò votis respondeat. solertia proinde, ac quadam sæculari agendarum rerum dexteritate, simulatáque beneuolentia, ac mentiti sæpiùs pietate tota Religio continetur. ve[illegible] hæ amorem præferunt, intus aluntur odia

Digitized by Google

[redacted]na beneuolentia animorum dissensio-
[redacted] impudasque & Religiosis indignas æ-
[redacted]lationes tegunt, dum suis singuli com-
modis studeant, & per aliorum emendicatas
extrinsecus amicitias, gradum sibi ad optata
struunt. inanibus plurimos pollicitationi-
bus, vanaq; spe ludentes; solis ferè verbis di-
uites, nisi qua parte aliorum promotiones
votis cogitationibusq; suis subseruiũt. Ha-
bes in hanc rem illud Grego. Past. pa. 3. c. 12.
Est speciale duplicium malum, quia dum peruersæ
& duplici actione cæteros fallunt, quasi præstantiùs
cæteris prudentes se esse gloriantur: & quia distri-
ctionem retributionis non considerant, de damnis
suis miserè exultant. audiant quomodo super illos
Propheta Sophonias vim diuinæ animaduersionis
intendat dicens, Ecce dies Domini venit magnus
& horribilis, dies illa, dies iræ, dies tenebrarum &
caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clan-
goris super omnes ciuitates munitas, & super om-
nes angulos excelsos. Quid enim per ciuitates mu-
nitas exprimitur nisi suspectæ mentes, & fallaci
semper defensione circundatæ? Et quid per excelsos
angulos, nisi duplicitas mentis intelligitur? Dies igi-
tur Domini, vindictæ atq; animaduersionis plenæ,

Digitized by Google

ſuper ciuitates munitas & ſuper excelſos angulos venit, quia ira extremi iudicij humana corda defenſionibus contra veritatem clauſa deſtruit, & duplicitatibus inuoluta diſſoluit.

Si inferior vitio hoc tenetur, omni apud Superiorem fide caret. nihil illi tutò certoque credet. verebitur omnia, nec vera dicenti fidem adhibebit, omniaque eius dicta factaque, licet à virtute profecta, in deteriorem partem interpretabitur.

Quòd ſi vtrumque malum hoc poſſederit, nuſquam fides, dolis verò mutuiſq; adulationibus pleniſſima reperias, conſpirationibus etiam, fallacibuſque in optimos non rarò machinationibus, quæ ad euertendos maximos etiam viros ſufficiant. Neque interim inter eos qui politico hoc ſpiritu aguntur, certa aut fides, aut animorum coniunctio conſiſtere poteſt: cùm enim è ſuo iudicio metiantur alios, timoribus referta ſunt omnia, verentur dolos quales animo ſe ſuo fouere ſciunt, neque diutiùs externæ huic coniunctioni inhærent, quàm commodis eam ſuis vtilem ſibi fore perſuaſerint: quæ vbi conſecuti fuerint, in aper-

ta

Digitized by Google

ta mentitus hic amor abit odia.

Signa in his vides animi, sibi ac virtuti diffidentis. qui si virtute excultus foret, non descenderet ad has fraudes artificiáq;: cùm sat multa domi suæ nata ornamenta ad maiora haberet. quibus dum se destitutum videt, confugit ad hæc externa, & à sæcularibus mutuatur, quò se consiliáque sua rueatur. quo fit vt sola iam vestis Religionem, reliqua sæculũ loquantur. exulat exinde omnis candor sinceritásque religiosa, charitatis custos: succedunt fucata, pulsáque veritate è perpetuis mendaciis intertexta verba. laudant, assentiuntur, ampla promittunt; alia omnia cogitanda sunt, & sponsionibus aduersantia: vt laudasse, damnasse; spopondisse, negasse sit.

Iam quid indignius viro Christiano, Religioso, (cuius vniuersa professio habitusque simplicitatem candorémque loquitur) quám continuis contexta oratio mẽdacijs? parui hæc animi sunt, sibíque virtutíque suæ diffidentis. generosa mens antè vitam ponit, quàm illam mendacio commaculet. nescit magni animus mentiri, pusilli & mu-

Digitized by Google

liebris pectoris mendacia sunt.

Et meticulosos ferè hos, immites ac crudeles reperies, vbi rerum potiti fuerint. neq; in vllos magis insurgunt ac sæuiunt, quàm quos paribus fallaciis ad maiora conniti vident, conscij fallaciarum animíque sui, veriti ne paribus aliorum dolis circumueniantur & corruant, quibus ipsi iam antè non vnum in fraudulenta præcipitia impulerunt.

Scinditur hinc vniuersim mutua charitas: qua vna Religio omnis stare consueuit. nam vbi fiducia, candor, veritas exulãt, mutuam etiam charitatem exulare necessum est. Hinc dura illa Sapientis Eccli. 28. imprecatio: *Susurro & bilinguis maledictus: multos enim turbat pacem habentes.*

Nascuntur demum partium studia, & dum politico magis spiritu, quàm Religionis amore feruntur, solerti singuli prudentia illis adhærent & abblandiuntur, quos conatibus suis vtiles fore arbitrantur: reliquos negligunt ac contemnunt. è quorum neglectu ac contemptu parem in aliis neglectum, ac contemptum sequi procliue ac quasi necessum est: vt iam in partes toti descendant,

in

Digitized by Google

in mutuas animorum alienationes, mutuorum consiliorum ac conatuum subuersiones, in sociarum amicarumque sibi partium promotiones, alienarum depressiones. denique tanquam in aduersaria ac inimica acie pro se quisque pugnat, ferturque in alios tanquam in iuratos conatuum suorum hostes; ex insidiis tamen plurimùm, quod proprium atque adnatum huic spiritui est: quæ si non successerint, ad aperta etiam arma odiaque decurritur. nec iam vltrà Religio, sed inimica stant in vna domo, ac sub eiusdem Religionis signis agmina, eo nocentiora, quo magis domestica. nam ab extraneis non magno fòrs se quis negotio conatuque tueatur, à domestico hoste difficile, ac propè impossibile est, cùm mutuus conuictus, mutua colloquia, nihil propè tectum patiantur, mutuaque consilia priuati retegant parietes; vt omnia, etiam tutissima suspectissima sint, secretissima periculis plena, vt vix iam sibi ipsi quis credat. oculata arbitrantur omnia, ac in cubiculi sui pariete thalamoque aduersarios verentur oculos. Sanè in vultu, mutuoq; prospectu,

Digitized by Google

ctu profutura, aut nocitura legunt, tantum in omnem indagandorum consiliorū partem solertissima hæc valet improbitas: Pro. 18. *Verba* nimirum *bilinguis quasi simplicia, & ipsa perueniunt vsque ad interiora ventris.*

Misera planè Religionis conditio, cùm spiritu hoc semel imbuta, ac quasi possessa, veteri pulsa charitate, simplicitate, candore, politicis hisce flatibus, tanquam fluctibus in profundum, ac interitum sui rapitur. quo magis fugienda ac detestanda hæc pestis est, ingentibusque animis in hæc mala insurgendum. nec supersedendum labori, donec stirpitus grande hoc malum euellatur, vt ne vestigia quidem spiritus huius remaneant. quod si euellendi mitior clementiorque desit via, ferro etiam sæuiendum, & partium sectionibus. ingens pietas est secare & vrere, nec noxiæ parti parcere, vt vniuerso periclitanti corpori succurras: noxiáque è contra & crudelis clementia est, perituræ & noxiæ parti parcere, qua reliquum pereat corpus.

Exurgit demum ex his ambitio: nam vbi semel à politico hoc spiritu genuinus

&

Digitized by Google

& primogenius ſubactus ac depreſſus ſpiritus eſt, ac tanquam in languido quodam ſopore conſepultus iacet; nil reliquum eſt, quàm vt ſinguli ad prima quęque magiſque illuſtria in Religione munia contendant: ad quæ vt aliquando pertingant, captanda eorum gratia eſt, quorum fauor operaque vtilis ad propoſitum ſibi finem eſſe queat. quæres ad indigniſſima quæque tales impellit, dum ſe variorum moribus ingeniiſque & à Religione alienis accommodare coguntur, plurimaq; ſeruilis planè ingenij munia obire, voluntatibuſque etiam aliorum non rarò parum religioſis morem gerere, ne nimirum alienos aduerſarioſque patiantur, quorum opera ſtudioque in votorum ſuorum deſideriorumque conſecutionibus egere ſe arbitrantur.

Inconſtans omnis politicus eſt, nulli certę perſonæ aut rei inhęrens. ſi commoda ferant, ad contraria prioribus vita propelletur, damnabit probata, iterumque laudata damnabit. idque in æterno quodam metu. Iſa. 58. *Poſſedit* enim *timor hypocritas.* cùm ijſdem artibus circumueniri metuat, quibus

Digitized by Google

alios in fraudē impulit. Accedit perpetuus timor ne fors in apertū doli erumpant, quos in tanta mutuo conuiuentium sibi ingeniorum varietate & solertia, diu tegere impossibile est. Et iusto sanè Dei iudicio, suis ferè politici capiuntur artibus, retibus implagantur suis, politicismis suis, tanquam veneno, ense, sune suo. neque diu tales in alta pace esse possunt. Iob 20. *Gaudium* enim *hypocritæ ad instar puncti*. nec potest ibi solidum esse gaudium, vbi perpetuis ventis fluctibúsque perpetuæ coguntur tempestates.

Similes politici sunt purpurissa & stibio formam mentientium. ementita enim verborum beneuolentia humanitatem amicitiamque mentiuntur, quibus crudelitatem & infidos tegunt animos: vt meritò quis dicat sepulcra dealbata, monumenta marmore tecta. retege, intus latent sordes, quæ pedore suo vicina remotáq; compleant. Hinc grauis illa Sapientis Eccl. 2. interminatio: *Væ duplici corde, & labiis sceleſtis.* Sceleſta sanè politicorum labia sunt, quæ sub melle & saccaro venena tegunt, sub molli spongia nouaculam premunt, sub roseo ore & labris lætus

Digitized by Google

rus iaculantur, sub lilio & viola toxica recõdunt. à quorum ore caduntbarbara illa verba, Si violanda fides, regnandi caussa violanda est. Et sanè nihil tam sanctum, quod mens politicis imbuta opinionibus nõ violet, si proposito sibi fini aduersari putauerit. suus enim cuiq; politico honor, emolumẽtum suum, pro summo bono est: minúsque veretur offensam magni Dei, quàm propositæ sibi rei frustrationem. vt iure detestetur hos Sapiens Pro. 8. *Arrogantem & superbum & os bilingue detestor*. quæ ergo poterit esse spes hypocritę? Iob 27. *Nunquid Deus audiet clamorem eius, cùm venerit super eum angustia? aut poterit in Omnipotente delectari, & inuocare Deum omni tempore*? Fortiter Sapiens Sap. 1. *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum*. neque habitare in eo pectore sapientia potest, à quo sapientiæ mater veritas exulat; neque Religionis in eo spiritus, à quo Religionis abest candor, veri amoris symbolum. & verum illud Eccli. 3. *Cor ingrediens duas vias, non habebit successus*. Grauissima in omnem politicum communatio Prophetæ Ierem. 17. est: *Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit*

Digitized by Google

carnem brachium ſuum, & à Domino recedit co eius. Erit enim quaſi mirica in deſerto, & non videbit cùm venerit bonum: ſed habitabit in ſiccitate in deſerto, in terra ſalſuginis, & inhabitabili. Benedictus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius. Et erit quaſi lignum quod tranſplantatur ſuper aquas, quod ad humorem mittit radices ſuas: & non timebit cùm venerit æſtus. Et erit folium eius viride, & in tempore ſiccitatis non erit ſollicitum, nec aliquando deſinet facere fructum. Prauum eſt cor hominum & inſcrutabile: quis cognoſcet illud? ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes: qui do vnicuique iuxta viam ſuam, & iuxta fructum adinuentionum ſuarum. Qui ponit carnem brachium ſuum, niſi qui prudentiæ ſolertiæque ſuæ fidens, remedia à diuina fiducia non mutuatur, ſed à rebus prouidè callidéque à ſe excogitatis: quibus innixus blandóque linguæ ac oculorum luſu, reliquos in ſuam ſententiam ſubdola inſcatione pertrahendos arbitratur? cùm ipſe ferè iiſdem artibus cadat, à diuina manu temperatis: neque enim permittet Deus altas illum radices agere. Iob 8. *Spes namque hypocritæ peribit.* Iob. 15. & *cogitatio illius ſterilis:*

Sap.

Digitized by Google

Sap. 4. & si in ramis in tempore germinauerint, infirmiter posita à vento commouebuntur, & à nimietate ventorum eradicabuntur. confringentur enim rami inconsummati, & fructus illorum inutiles, & acerbi ad manducandum, & ad nihilū apti.

Remedia.

NIhil in humanis sperare, nihil vereri: hinc probamus & laudamus passim quæ vel placent vel displicent iis, quorum aut potentiam veremur, aut beneficia speramus.

Nullius gratiam ambire; ne placendi studio à vero rectóque deflectamus.

Deum, & vocationis suæ bonum, animarúmque salutem in omnibus dictis factísq; præ oculis habere: reliqua contemnere. hæc qui fecerit, stabit interritus, nec ceruices linguámue gratiæ flectet: nec à vero bonóque minis aut purpura terrebitur, aut præmio trahetur. Cogitet, maiorem se esse Christi sanguine, hereditate, præmio, quàm vt tam illustrem animam assimilatam Deo, aliorū complacentiæ mancipet. à Deo solo mercedem speret æternitate commensurandam.

Digitized by Google

talem se esse qualis illo iudice censetur, nec alium. nihilque ad demeriti meritiq; mensuram humanam censuram addere.

Iuuerit in primis harum rerum studiosos ab omni nobilium consuetudine arcere. quòd horum ferè familiaritate crescat malum: & ad ea loca muniaq; destinare, in quibus talium materia negata est. nec parcendum si quando in hoc vitio deprehensi fuerint. omnisque omnino talium familiaritas vitanda est. & ab ipsa adeò Religione tanquam pestes resecandi, quotquot huic vitio obnoxij sunt. si Superiores fuerint, remouēdi in solidum ab omni munere erunt, & aliis minùs noxiis occupandi.

Proderit recordatio monentis & interminantis Sapientis Eccle. 1. omnem duplici corde: *Ne fueris hypocrita in conspectu hominum, & non scandalizeris in labiis tuis. attende in illis, ne fortè cadas, & adducas animæ tuæ inhonorationem, & reuelet Deus absconsa tua, & in medio synagogæ elidat te: quoniam cor tuum plenum est dolo & fallacia.* Et imprecatio magni Regis Psal. 11. *Disperdat Dominus vniuersa labia dolosa, & linguam magniloquam.* addit minas Psalm. 51.

Di-

Digitized by Google

Dilexisti omnia verba precipitationis, lingua dolo-losa. propterea Deus destruet te in finem, euellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo: & radicem tuam de terra viuentium. Monétque omnes Apostolus 1. Pet. 3. *Qui vult vitam diligere, & dies videre bonos, coërceat linguam suam à malo, & labia eius ne loquantur dolum.*

Admonendos vult Gregorius Magnus in Pasto. pat. 3. c. 12. *Vt quàm grauis sit, quem cum culpa sustinent, duplicitatis laborem agnoscant. dū enim deprehendi metuunt, semper improbas defensiones quærunt, semper pauidis suspicionibus agitantur. Nihil autem est ad defendendum, puritate tutius, nihil ad dicendum veritate facilius. nam dum falsitatem suam tueri conatur, duro cor labore fatigatur. hinc namque scriptum est, Labor labiorum suorum operiet eos. hinc per Ieremiam dicitur, Docuerunt linguam suam loqui mendacium, vt iniquè agerent, laborauerunt. audiant quod scriptum est, Qui ambulat simpliciter ambulat confidenter. fiducia enim magna securitatis, est simplicitas actionis. audiant quod Scriptura testatur, Cum simplicibus sermocinatio eius. Deo enim sermocinari, est per illustrationem sua præsentiæ humanis mentibus arcana reuelare. Cum simplicibus igitur ser-*

sermocinari dicitur: quia de supernis mysteriis illarum mentes radio suæ visitationis illuminat, quas nulla vmbra duplicitatis obscurat.

CAPVT XXIX.

Aulici mores.

DVlce Religionis venenum. Infiuunt hi ciuilitatis & vrbanitatis prætextu. vt inurbani inciuilésque iam habeantur, ac rusticis moribus, qui aulica illa aspergine non sunt tincti, Religionis nimirum toxico, quo quidquid est genuini ac primigenij Religionis spiritus, suffocatur. Hinc illæ aulicæ compellationes, salutationes, scriptiones, relegatâ in vniuersum, ac quasi in exilium pulsâ religiosâ maiorum simplicitate, candore, veritate: in quorum locum succedunt simulationes, fraudes, politica agendi ratio, & è meris contexta oratio mendaciis, ad gratiam verba composita, putidíscq; narrationibus confertæ narrationes. præsentes laudamus, mordemus absentes; venientibus magna beneuolentiæ ostentatione occurrimus, amplexamur, stringimus, ad ge

nu

Digitized by Google

nua decreſcimus, intus æmulationibus, inuidentia, odio natamus. rogati non tãtùm, ſed vltro ſpondemus; nos noſtráque omnia aliorum obſequiis deuouemus, ac tantùm non in ſeruos & mancipia ſacramus, cùm animus liuore ſtiparus, alia omnia cogitet, hoſtilitatémque magis dolóſque damnáq;, quàm obſequia meditetur, aut vt quàm mitiſſimè, nihil eorum quæ dicit cogitet: officioſis nimirum hiſce mendaciis aures aliorum locupletamus. quæ res, cùm hominem dedeceant, cui vultum erectum, verba mẽtem exprimentia natura dedit; tum minùs Chriſtianum decent, qui Chriſti nomine inſignitus, etiam verba illius moréſque nominis profeſſione imitandos ſibi propoſuit, longiſſimè ab aulica oratione diſſentientes; miniméque in Religioſum cadere illa debent, qui habitu reliquóq; vitæ genere candorem ac veri ſtudium profitetur.

Hoſce mores ſiue Superior, ſiue inferior induat, grande malum eſt; niſi quòd in Superiore grauius: faciliùs enim ad alios delabitur, & trahitur in exemplum. Inde diffidentia naſcitur: nã quis fidat hiſce moribus im-

imbuto, cuius omnia propè verba aliud volunt, quàm oratione promittunt? quis illi conſcientiam vulneraque retegat? quis decurrat vt ad patrem, quem verba reſque aulicum loquuntur, non patrem? quis volens lubenſque obſequetur imperanti, cuius imperia non à Religionis amore, ſed à deſpotica aulicaque ratione nata videt, ac in eiuſdem finem tendere?

Si inferior his moribus tenetur, caret omni apud Superiorem fide, nec quidquam tutò illi credet.

Si vterque, mutuis fraudibus adulationibuſque plena ſunt omnia. nec iam vltrà Religiosa domus, ſed mendaciorum officina exurgit; omniſque omnino Religionis ſpiritus aulica hac ſpongia vniuerſim deletur; nec quicquam iam illius, præter habitum reperies rebus inanem: ac demum, pulſis virtutibus, aulica ſuccedunt vitia; ambitio, adulatio, doli, detractiones, aliorum contemptus, odia, commodorum & dignitatū procuratio, otij amor, laborum fuga, vltimumque malorū caro & ſanguis: neque illū diu caſtitas tutabitur, quem aulici poſſederunt

runt mores, castimoniæ hostes, omnisque libidinis administri.

Et vbi semel religiosus spiritus non elanguit, sed aulicis hisce moribus pulsus, ac tanquam flumine extinctus est; quid nisi caro, & quæ illi coniuncta timenda sunt? nec potest in illo pectore diutiùs religiosæ puritatis institutique sui amor residere, quod aulici occuparunt mores, castis piisque Religionum moribus è diametro pugnantes. Quos Greg. past. p. 3. c. 36. *rectè sepulcra dealbata speciosa exteriùs, sed mortuorum ossibus plena interiùs Veritas vocat. quia vitiorum mala intus cõtegunt, humanis verò oculis quorundam demonstratione operum de solo foris iustitiæ colore blandiuntur. admonendi sunt vt considerent, quia dum prauos se in occultis exhibent, sed tamen exempla de se publicè in bonis operibus præbent, ostendunt sequenda quæ fugiunt, clamant amanda quæ oderunt; viuunt postremò aliis, sibi moriuntur.*

Tota deinde conceptæ probitatis opinio perit. neque hi mores latere diu possunt: in oculos incurrunt omnium iudicijs feriendi. Et quis iam externorum talibus se familiarem, liberos, conscientiámque suam credat?

Digitized by Google

dat? quis Principum, nobilium, aulicorúmque virorum, se suáque committet illis, cùm è suis moribus metientur hos Religiosos? è sua fide illos? vt omnis omnino speratus animarum fructus depereat, cùm similes sibi arbitrentur animo, quos oratione moribúsque similes perspexerint.

Remedia.

INter prima, aulæ aulicorúmque fuga est. neque enim fieri potest, quin ex assidua illorum frequentatione non plurimum etiam aúlici adhæreat pulueris: nam & non cogitantibus aliquid aspergitur, & nolentibus quædam ex continuo vsu adrepunt. tátum familiaritas potest. Idem accidit in venenis. tange, & damna expecta. in vitiis omnibus idem reperies. ne vita, & obrepent quasi dormienti, magis etiam si frequentaueris, aut lateri illorum diu latus adiunxeris.

Si natura aliquem trahat ad aulam, imperio arcendus erit, pœnitentijs etiam, & seueriore disciplina, si contrauenerit. ac ni emẽdatio accesserit, ad remotissima ab aulis loca destinandus, omnéq; illi litterarum cum

auli

Digitized by Google

aulicis commercium interdicendum erit.

Si Superior fuerit, nec post frequentata monita destiterit, functione sua exuendus erit, & ad ea loca ablegãdus, in quibus nulla nec ipsi, nec ipsius exemplo aliis aulica damna timeri possunt.

Exemplis terrendi eorum, quibus aulæ aulicorúmque consuetudo moréque omni propè sæculo exitio fuerunt, latámq; ruinæ causam dederunt; vt vix quinquagesimus quisque eum in Religionem retulerit spiritum, quem in aulam attulerat, domóq; extulerat. quod in omni Religiosorum hominum genere reperies.

Exemplis etiam magnorum orbe toto virorum, qui aulam omnem, vt certam Religionis pestem, totis conatibus animísque aversati sunt. quòd si illos necessitas ad aulicorum frequentationem aliquando coëgit, subduxerunt se tamen, & aulicis hisce actibus eripuerunt ratem, non ignari in ea mentita hac malacia, tempestatum. Nec mirum: sciebant enim vbi primùm pedum alterum aulæ intulissent, præcipitio alterum proximum esse. vt mirum sit, tot magnorum exem-

Digitized by Google

exemplis edoctos, venari tamen Religiosos aulas, aulicorúmque imitari mores. Prudenter quicunque hac prurigine titillatur, dum aulam cogitat, præcipitia in diuiduo illi nexu coniuncta meditatur; dũ mores prouocant, damna prospicit; dum externę inuitant venerationes, animos intuetur liuore & odio graues, & in sociorum ruinam paratos. Principum allicit fauor? scit dictum verè, Si benefeceris, leuior pluma est gratia: verbo si deliqueris, plumbeas iras gerunt. vt semel excidisse, æternum sit; & plurimùm sanguine, aut ingenti dedecore error lauandus est.

Denique quicunque Religiosus aulicis hisce moribus tangitur, pulsatúrq; in sequelam, secum familiæ suæ non postremos viros recenseat, qui se aulicorum consuetudini moribúsque dederunt; videátque an vigesimus quisque integra salute, nominisque æstimatione pedem retulerit: memórque illius, Quia me vestigia terrent, perhorrescat ad aulæ nomen, fugiátq; illius mores, vt ensem iugulo inhærentem, vt præcipitia lapsabunda pedi, vt venena propinata labris, v.

in-

Digitized by Google

infelici propè omnium exitu signatos.

Proderitque magnorum ruinas recreationum tempore frequenter recensere, qui ab aulicis moribus, ad calamitatum extrema deuenerunt, & inglorij vitam finiuerunt, vocatione plurimùm deserta, in exemplum miserando exitu posteritati dati.

CAPVT XXX.

Clancularia agendi ratio.

QVæ vbi innotuit, vt eiusmodi res diu latere non possunt, ingentem in Superiore ingenerant diffidentiam, suspicionesque præbent in omni genere varias, adeò vt nec in apertis quidem, & quæ nulla fraude teguntur, fidem adhibeat. Hinc animorum insequuntur alienationes, cùm etiam subditus obseruat Superiorem hac diffidentia laborare.

Iam qui assuescunt talibus, non procul à ruina sunt: crescit enim hoc studium celandi res omnes Superiorem, & à leuibus initiis, & ab vnius generis rebus itur ad magna, & omnia: atque hinc machinationes clancularias, subdolaq; consilia sua tegendi

di ac explicandi rationes; & vt Superiorum oculos fugimus, ita paulatim etiam sociorum, à quorum conspectu nos nostráq; subducimus. quę res plurimùm infelici exitu finiuntur.

Neque ferè quidquam aut Superioribus, aut socijs magis ingratum euenire solet, quàm callidę hę circumuentiones, ac simulatæ agendi rationes, fraudibúsq; tanquam nebulæ intectæ, cùm alia omnia, quàm agimus, simulamus.

Nec quisquam facilè cum eo coalescit, quem deprehendit occultis molitionibus inhærere; vt non iam Superioribus tantùm, sed omnibus omnino incipiat talis esse grauis, fugiántque huius familiariorem consuetudinem: cùm ferè tales quo magis consilia sua tegant, eo in aliorum vitam moréscque diligentiores scrutatores, grauioréscque censores sint. omnibus proinde ingrati, sibi etiam cum perpetua hac tegendi sollicitudine graues, periculiscq; innumeris expositi, quid expectent, nisi inter hæc discrimina infaustum exitum?

Neque vlli maioribus aut fraudibus, aut peri-

Digitized by Google

periculis obnoxij sunt, quàm qui consilia resq; suas tãto studio ac molimine Superiores celãt. Nec erit hoc difficile in omni rerũ genere ostendere, maximè vbi variæ tentationes animum pulsauerint, & non leuia à talibus vulnera aut expectentur, aut data acceptáque fuerint; nec Superiori tanquam parenti & medico morbũ retegimus. Quid enim hîc timeri aliud potest, quàm è proximo interitus? Et tales ferè fidentiùs cum externis, quàm cum Superioribus agunt; consilia sua aperiunt illis, celant Superiores, ac proinde magis iuncti sæcularibus, plus etiam referunt sæcularis quàm religiosi spiritus.

Accedit, studium hoc vnum esse diaboli, qui in id vires, quas habet, exerit, vt cælentur nocitura, morbus tegatur, vulnera non explicentur, discrimina, & quidquid meritò timeri malorũ potest, alto prematur silentio. illud nimirum illi sequiẽdi commodissimum tempus est, cùm quasi alto somno consopitis custodibus, nudata iacent castra, propugnatoribus viduata: quod fit, cùm Superiores fiducia pleni, periculorum,

Digitized by Google

subditorum sibi, ignari, malis indormiunt.

Et sanè Superiorum etiam vigilantiam fallere perfacile est humani generis hosti quando inferiorem ad noxiam taciturnitatem, priuatáque consilia induxerit. quæ res in vnius capitis discrimine non consistit quærunt enim ferè tales, & inueniunt eos qui paribus tenentur malis; crescitque exinde è communicato noxio consilio morbi malignitas, ac in manifestam tandem erumpit pestem: sequunturq; toti nonnunquam Ordini erubescenda. Ita à non magnis initijs ad maxima damna decurritur, & ad machinationes in instituti euersionem natas descenditur.

Signum verò celandi hoc studium, ingloria & vilis animi est, cùm per fraudes quærimus quod per virtutem qua caremus negatum est. sequitur familiare vitium, virtutibus suis diffidentium, mendacium, viro indignum; quo magis Religioso: ingens deinde inconstantia, iuxta illud Apostoli: Iac. 1 *Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis*. qualem necesse est esse omnē illum qui per occultas machinationes res suas stabili

Digitized by Google

re cogitat, ſerpentum more, qui ſe priùs in latebras condunt, quàm cogitatum virus explicent. Fugiet hæc vir Religioſus, metuens illud Sapientis Eccli. 5. *Deuoratio peßima ſuper bilinguem.* vt meritò talis deſtituatur à Domino, & in peccati pœnam, in interitum relinquatur. cumque infelici euentu callida conſilia ſua claudi viderit, mœroribus obrutus contabeſcat, miſerrimamque per ærumnas vitam trahat. Et certè quicunque hoc vitio tenetur, eum neceſſe eſt, aut pertinaciſſimi ingenij eſſe, aut de virtute ſua præſidentis, aut de aliorum prudentia integritateque diffidentis, aut inſigni faſtu & arrogantia, aut aliquid machinari improbandum, quod latere vult alios, & in quo teſtem erubeſcat. quare & in perpetuo verſatur metu, continuaque pulſatur ſollicitudine, ne conſilia prodantur, ne proſiliant in apertum fraudes, ne retegantur doli. Sanè non niſi à Diabolo occultatio hæc conſiliorum venit. tenebrarum ille & anfractuum auctor eſt, vt in fraudem incautos ignaroſque malorum trahat: Dei conſilia in luce verſantur, noctem oderunt,

Digitized by Google

dici amica, inimica tenebrarum sunt. amabit hæc quicunque Deum amat; certus ab illo nihil posse in fraudem & interitum nasci: fugiet illa quicunque salutem amat, certus à Diabolo nil posse in salutem proficisci, nihil sperari.

Remedia.

SEria in omnem partem excubatione in Superiore opus est, vt si quid deprehenderit clancularię molitionis, ad radices exscindat, quin adeò cùm semine illas ipsas euellat. si quæ etiam secreta frequentiaque colloquia, & ab aliis semota, aut intempestiuis horis & locis habita; resecet vt noxia, mutuęque animorum coniunctioni aduersantia; eliminetque è domo sua quidquid clandestinas conuentiones sapit, quidquid à publico candore abducit.

Frequens cogitatio incommodorum, quæ ex hoc vitio nascuntur, maximè cùm exempla nobis proponimus illorum, quibus hæc agendi ratio infeliciter successit.

Ex nostro dein iudicio si metiamur aliorum, facilis victoria erit, cùm ob oculo

po

Digitized by Google

posuerimus aliquem hoc malo tactum, dã-nabimus indubiè, fugiemusque illã consuetudinẽ perpetuas veriti fraudes. idẽ proinde nobis euenturum si cogitamus, facilè ab hisce semitis pedem retrahemus. magis, etiam iuuabit infelices horum exitus cogitare, damnaque ingentia ex hoc malo nata.

Iam si consideraueriimus, quantis discriminibus hæc res obnoxia sit, cùm proprijs consiliis fidentes, vias decurrimus minùs tritas, & Religioni aduersas, obedientię inimicas; non magno negotio malum hoc vitabimus. Neque enim in humanis quidquã ad fugam, vitationem & horrorem certius est, periculum & incommodorum commemoratione. Quid enim grauius Religioso, quàm semper in metu esse, ne consilia, quæ tecta desiderat, innotescant aliis, aut Superiori? quod vbi euenerit, ingens diffidentia in omnibus enascitur, quę nulla pòst arte, aut candore eximi potest. Semel enim concepta huius rei opinio, propè perpetua est: vt ferè necesse sit loci mutationem cogitare, vnicumque adeò propè remedium hoc est, quod à Superiorum, locorum so-

Digitized by Google

ſociorumque mutatione ſumendum eſt.

Fortibus deinde pœnitentijs inſiſtendum erit Superiori, vt & delinquentes iuuentur, & reliqui à ſimilibus terreantur.

Cogitandum deinde ſæpe, quid ſperari ex hac re poſſit, quid timeri. minimarum rerum ſpes, ingentium timor eſt. tutiora certioraq; prudens eliget.

CAPVT XXXI.

Simulata amicitia. Occulta odia.

SApientis verba ſunt: Prouer. 29. *Homo qui blandis fictiſq; ſermonibus loquitur amico ſuo, rete expandit greſſibus eius.* Indignum homine, ac multò etiam magis Religioſo vitium hoc eſt, & aulicis moribus adnatum; nec aliud, quàm proditorium nomen meretur. execrandum omnibus, ac in vltimas terras ablegandum. neque enim parcit vlli, ac ne parenti quidem, quem hæc humanæ aſſociationis fœderiſque peſtis occupauit. indigniſſimus Chriſtiano nomine, digniſſimus quem omnes præſentiſſimis venenis nocentiorem deteſtentur ac fugiant. nam quis huius fidei ſe ſuaue credat? & optatior hoſtis eſt,

Digitized by Google

est, qui aperta bella mouet, à cuius ferro tutare te potes. arma namque armis contineas, & ensem ense reprimas. à domestici hostis insidijs quis nos defensabit? maximè dum sub amico vultu hostilem regit animũ, fella vino miscens, & electilibus quibusque cibis venena temperans. Cuius tanta prudentia est, vt in explicata benignaque fronte, ore ridente, blandè ludentibus oculis, inimicam mentem videat? Etiam sapientissimus capietur his lachrymis, nec effugiet insidias mentientis amici. & vita hæc longè omnium miserrima est, cùm nescias cui fidas. plena hinc omnia suspicionibus. nusquam exporrectus animus, & regia gradiens via. timoribus natant pectora perpetua anxietate grauida. nam aut inimicum præferunt ora verbaque, & iusta timoris causa est: aut loquuntur amicum, & terrent te hostiles animi, amico velamine tecti. ita dum nusquã fides, in æterno versamur metu: pendula semper dubiaque mente, vnde mœrores & melancholia quædam enascitur. Fraudibus deinde replentur omnia, mutuisque cadimus insidiis. euanescit vniuersùm Religio

Digitized by Google

ligionis ſpiritus, candidus & ſimplex, & in aperto ad lucem habitans: ſuccedunt doli, aulici mores, incerta conſilia, nebulæ vbique & denſæ noctes, & nouacula ſpongiâ tecta. Et ſanè veriſſimum illud Sapientis eſt, Prou. 27. *Meliora ſunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oſcula odientis.* illâ in ſalutem, hæc in mortem eunt.

Si inferior morbo hoc laborat, præcipitia ſibi, damna Religioni parat: neque enim talis ęgritudinem ſuam explicabit Superiori, aut ægram reteget mentem ruinæ proximam. vnde fiet, vt imperaturus ſit illi Superior, in interitum illius, & in Religionis totius dedecus itura. quòd ſi in latentium ſub benigno vultu odiorũ cognitionem Superior venerit; ingens animorum naſcitur alienatio, auerſaturque hunc vt familiæ peſtem, vt Religionis portentum, vt domeſticæ pacis turbatorem, alienæ virtutis oſorẽ.

Si Superiorem malum hoc occupauerit, miſera inferiorum conditio eſt. non tutò illi quidquam, aut tanquã patri committi poteſt. & quis ſua credet hoſti? ſuſpecta deinde illius verba, conſilia, imperia, dicta-

que

Digitized by Google

que factaque sunt omnia. consequiturque vt ne quidem cùm verum dicat, sinceroque patrióque suos prosequatur affectu, fidem inueniat; cùm semper vereantur, ne verborum blanditiis odia, & hostiles integantur animi.

Plurima deinde mala ex hac simulata & ementita amicitia prosiliunt: mutuorum hinc dictorum factorumque nascuntur obseruatores, grauesq; censores, occulti nominis boni [redacted]æque detractores, secretorum violatores, domesticæ quietis turbatores, odiorum seminatores, infidarum mentium auctores, oblocutionum & in Superiores conspirationum propugnatores, ducesque ad illa, alienæ virtutis improbi æmulatores, ingratitudinis principes & ductores. Inde fit, vt omniũ à se animos alienent, odia prouocent; nec minùs hos quàm certam Religionis pestem & venena auersentur; fugiant vt mutuæ charitatis hostes iuratos, vt amicitiæ proditores, vt violatæ coniunctionis incentores, inuidentię impulsores, vt Religiosi roboris fallaces substructores & euersores, omniumque propè malorum causam.

Digitized by Google

Grauiter in hos insurgit Sapiens Prou. 3. *Ne moliaris amico tuo malum, cùm ille in te habeat fiduciam: quia abominatio Domini est omnis illusor, & cum simplicibus sermocinatio eius.* Fortiter in hoc vitium quod Israëlem occupauerat, insurgit Ieremias c. 9. *Vnusquisque se à proximo suo custodiat, & in omni fratre suo non habebit fiduciam: quia omnis frater supplantans supplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet, & vir fratrem suum deridebit, & veritatem non loquentur. docuerunt enim linguam suam loqui mendacium, vt iniquè agerent, laborauerunt. habitatio eius in medio doli. sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est in ore suo: pacem cum amico suo loquitur, & occultè ponit ei insidias, nunquid super illis non visitabo, dicit Dominus, aut in gente huiusmodi non vlciscetur anima mea?*

Remedia.

ASeuera in tales punitione petenda sunt. Nihil hîc parcendum. functionibus omnibus excludendi, vilissimis occupandi; seriò monendi, proposita delicti huius fœditate. ablegandi ad probationis domum, vt nouum à Tironibus spiritum hauriant.

Digitized by Google

riant. A familiaritate illorum reliqui deterrendi, iuniores maximè, quorum molliores animi facilè hac contagione capiuntur: dãdaque opera ne quis illis familiariùs adhæreat. irrepunt ſuauiter, nec antè venena ſua iaculantur, quàm alterius obſtrictam ſibi mentem teneant. initiis proinde reſiſtendum, & præſcindenda omnis conſuetudo eſt.

Qui verò malum hoc ab alio patitur, ſi decurrat cum magno Iob ad Dominum, ſequaturque in omnibus conſilium illius, errare non poterit, habet enim magnum ex ſe doctorem. Iob 12. *Qui deridetur ab amico ſuo ſicut ego, inuocabit Deum, & exaudiet eum: deridetur enim iuſti ſimplicitas.*

Iuuabit priuatis monitis proniores in hoc malum ſeriò ſeuereq; monere; minis etiam adhibitis, grauibuſque in tranſgreſſores pœnitentiis, quò & emendentur præuaricatores, & reliqui terreantur.

Quòd ſi eruperit malum, & in reliquorum domeſticorum cognitionem venerit, arcendi ab aliorum familiaritate erunt, excludendique à reliquorum conſuetudi-

Digitized by Google

ne. palámque grauiter in hoc vitium insurgendum, damnis propositis.

CAPVT XXXII.

Secretorum violatio.

INimica hæc omni bonæ gubernationi est, ad quam necessaria est tenacissima secretorum obseruatio: cuius violatione res ferè maximæ, regnaque perierunt integra: vt meritò quis dixerit, euertendis imperiis rebusque natum malum. Ita hostilium consiliorum cognitio inter prima feliciter imperandi documenta meritò ponitur. hinc etiam secretorum violatio inter maximè imperiis noxia, & inter læsæ maiestatis crimina adnumeratur.

Neque potest diu feliciter gubernatio consistere, nec fortunato terminari exitu, quæ tacenda prodit: planè vt nihil sit tam inimicum bonæ gubernationi, tam pestilẽs, quàm silẽda vulgare; cùm vna sæpe agendarum rerum prosperitas à silendorum tenacitate dependeat. Vulgasti: periit bene gerẽdi rei occasio; & elapsa non rarò manibus præ-

Digitized by Google

præda est, verbo vno aut altero intempestiuè prolato: imperiaque non postrema iacēt, ad cineres in ludibrium magnorum improuida secretorum violatione deducta.

Neque vllo modo ad gubernacula admouendus, qui femineo hoc vitio laborat. Viri est frænos linguę inijcere, laxare mulieris. & antè vitam ponere, quàm concredita retegere, viri est imperio nati: effutire commissa, muliebris ingenij est, & ad colum & aeum nati. Nam quid ab eo speres, cui nihil tutò credi potest? qui consilia in fronte & manibus ferat? parêre fòrs poterit, imperare non poterit. Verum nimis illud Sapiētis est: Prouer. 25. *Sicut vrbs patens, & absque murorum ambitu, ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.*

Nulla deinde sincera reddendæ cōscientiæ ratio sperari potest: à qua tamen vna, magna pars bonæ gubernationis pendet, vt sine qua prudens rutaq; gubernatio non diu consistere possit.

Nemo deinde cuiquam tutò quidquam credet; nemo vulnera, pericula, morbos, malaque sua aperiet. nam quis arcana credat,

Digitized by Google

dat, animíque vulgandos morbos? quis quæ ſæpe pudor vel cogitare erubeſcat, vt quorum vel memoria ſine rubore non tranſeat, euulgatori committat? vt iam in omnium oculis verſetur, quod proprios etiam oculos pertimeſcebat. & imprudens meritò habeatur, qui abdita mentis pectoriſque illi credat, de cuius ſilentio merita ſuboriri dubitatio poteſt.

Sed neque ſolida vlla amicitia ſtabit, nullus amor vitio hoc imperante: cùm omnem mutuæ beneuolentiæ fiduciam tollat, cui amor omnis innititur.

Occaſio deinde non vltima, ſecreti violatio eſt, politicè agendi, aliúdq; verbis, aliud incluſum pectore tenendi: cùm violationis huius metus aliorſum verba cogat flectere: nam quæ ſinceritas ſperari poteſt, vbi perpetuus retectionis adſtat timor?

Grauis etiam hinc turbarum cauſa, cùm ſæpe ob uoua aliqua enata, aut minùs ante prouiſa, minúſque nota, cogantur Superiores ſententiam mutare. quod, vbi res prodita, aut non ſine vitio quodam inconſtantiæ, aut cum aliorum ingenti turbatione neceſſum

sum est fieri: aut sanè necessitas quędam Superiori imponitur in minùs tuta prolabendi, ne aut externos aut suos offendat, aut animorum in se alienationes prouocet.

Accedit, tales vsu quodam & quæuis effutiendi consuetudine, externis etiam intima quæque domus aperire. hic pœnitenti sibi mulierculę, ille familiari sibi viro; quę domos denique peruagantur & oppida: quin & defectus animorúmque varię propensiones, delicta vitiáque, si quæ sunt, seu vero, seu falso non rarò adscripta, Superiorum decreta, monita, & quidquid demum priuatis æternùm claudendum parietibus erat, ostiatim ac plateatim decurrit. tantum potest praua consuetudo; vt quæ vel sanguine firmanda forent, spargamus ac propalemus primi; ac tanquam semen Chanaan, & deteriores etiam filij, dedecorantes matrem, prospectandam ridendámque præbemus aliis. quæ res eo grauior est, quo minima etiam Religionis, maxima apud externos habentur: eò magis, quòd in immensum res illę crescant, nec per vnius ora, sine insigni aliquo augmento transeant;

Se-

Digitized by Google

Sequuntur deinde ex hoc capite detractiones plurimæ, nulla postea pœnitentia aut lacrymis eluendæ; adhærentque adeò constanter firmiterque, vt nullis virtutibus eruere conceptam semel de se opinionem queant, qui passi sunt hæc linguæ mala. Nimirum vt videamur fidere externis, vt amari se sentiant, vt in mutuam illos fiduciam affectumque impellamus, vt sentiant se hac narratarum rerum prærogatiua donari, effundimus etiam in virgines & matronas beneficas domestica propè omnia, mores omnium. ea interim fiducia sumus, vt celanda hæc arbitremur. fallimur, nulla est, quæ non vnam pluresque amicas habeat, in cuius sinum muliebri more profundat omnia, vel hoc etiam solo nomine, vt sentiant alię, quo apud confessarium loco sint, quibus domestica omnia tanquam domesticis credantur. Sanè quisquis prudēter vitam instituit, certò sibi persuadeat, nihil adeò grande & perenni silentio premendum, etiam in ipsa cōfessione, cuicunq; committi mulieri, quod non aliquando vulgandum sit. vt ille prudens sit, qui nihil illis credit, ne in secretiore

quī-

Digitized by Google

quidem ſanctiſſimæ confeſſionis tribunali, quacunque præcautione ſponſionibúſque firmatum, quod non certò ſibi perſuadeat, tanquam tympanis ac tubis decantandum aliquando in foro & compitis. Illa proinde dicet vir prudens, ad quorum propalationem non erubeſcat: neque enim talis facilè labetur in pœnitenda, aut ſe noménq; ſuum animúmq; periculis exponet grauioris mali, aut committet quæ vel leui quadam indignatione, vel innata naturæ inconſtantia, vel alterius ſolertia, vel noua veteriúe amicitia & familiaritate pellecta mulier profundet: quæ nec mala quidem ſua delictáq; diu premere didicit, maximè ſi ab alia paribus fiduciæ narrationibus prouocetur.

Remedia.

GRauis punitio illorum, qui in hoc muliebre vitium cadunt: qualis eſt, remotio ab omni munere, nulla conſiliorum agendarumq; rerum communicatio, ablegatio etiam ad alia loca minùs cognitioni cõmoda, ac proinde minùs etiam ſecretorum violationi obnoxia.

Se-

Digitized by Google

Seriæ pœnitentiæ, etiam publicæ, quando res in aliorum cognitionem venit, publicæque reprehensiones acres.

Frequentia & seria monita, quotiescunque vel in minimo peccatum est: ita vt nunquam in hoc vitio parcatur, aut dissimulatione delictũ prætereatur. Sciat se obseruari qui hoc malo laborat, & nunc amore, nunc pœnis, nunc propositæ rei indignitate terreatur.

Consultum fuerit, si alij horum consuetudinem fugiant, sentiántque hoc qui huic se vitio dederunt. pudor & verecundia magnum incitamentum victoriæ est. Sciant hoc malum latere non posse. prodit se ipsum, & propalatione sui improbitatem aut imprudentiam ostendit. Monemur hîc à Sapiente Prou. 12. *Qui ambulat fraudulenter, reuelat arcana: qui autem fidelis est, celat amici commissum.* vt arcanorum reuelatio, à fraudulenta & infida plurimùm mente proficiscatur: fidelis enim commissa concreditáque sibi alto premit silentio: qua enim fide ab amico rem accepit, eadẽ seruat. credit ille, & in huius sinũ reposuit? non fallet si amat, si cõmittentis

Digitized by Google

tis affectui respondeat, si prodit, amicus nō est. fallit. infidus est. nihil illi proinde credendum, nam vt inimicus non sit, ingenti laborat imprudentia, pertuso similis vasi. quis sapiens vina sua huic committat? quis consilia proditori? proditor omnis commissorum violator.

CAPVT XXXIII.

Infidus animus. Alieni explorator, & delator.

VIcinum Superioribus vitium, & ferè à placendi studio natum. deterius est, quando à nocendi libidine nascitur. primùm ab amico aut patrono gratificandi desiderio prouenit. cùm enim vident aliquid inter amicum & alium æmulationum, aut mutuarum suspicionum intercedere, idque è muneris siue iam parti, siue sperati quadam corriualitate; miscent se hi medios, amicitiam simulant, gratiam venantur. inde vbi se in illam sinuauerint, partis maximè oppositæ delatione, gratisque quibusdam detractionum relationib. perfacilè ab animo verborum his aculeis exulcerato extor-

quent

quentea quæ non iucundum ſępe audire eſt priori illi amico aut patrono; maximè ſi cõſilia propoſitõſque menti fines ſubdola hac beneuolentiæ oſtẽtatione intellexerint, aut ſi quid in aliũ dictum ſcriptumúe acerbius. quarum rerum omnium explorator ille & dux & auctor fuit, fallaci quadam maledicentia, ſimulatáque calumniatione alterum in paria prouocans; maximè ſi patroni illius ſui in hunc criminationes falsò licet recenſitas, & à ſe excogitatas retulerit. quo tanquam ſtimulo in indignationem primùm illum impellit, inde etiam in conuitia, ſimulata ſemper inimici in altero, amici verò in hoc perſona.

Et ferè vſu venit, vt deteriora referant, plurimáque de ſuo miſceant, ad prioris illius pectus potentiùs exacerbandum. validam odiorũ cauſam ſubminiſtrãtes, conceptáſq; priùs animis ſcintillas, in ingentes ignes noxiis his infidiſſimi oris flabris excitantes.

Sin non tam placendi vni, quàm nocendi alteri ſtudio hæc retia tendantur, deteſtãdi etiam magis ſunt, vt quos ſolum odium ad has fraudes impulerit, quod non tam hu-

ma-

Digitized by Google

manæmentis, quàm diabolicæ crudelitatis vitium est; maximè cùm in innocẽtem, nullâque illius hostilitate prouocati, effera nocendi libidine, in aliena damna rapimur, idque beneuolentiæ quodam mantello tecti, tãquam saporato pulmento toxica miscentes. ad quod proiectissima scelera nemo Religiosus venit, nisi omnem antè Religionis spiritum exuerit, vindictisque Dei timorem excusserit, factus sibi ipsi improbitatis dux & magister.

Sequuntur ex his initijs mala innumera, ac inter prima lethale Religionibus omnibus detractionis vitium, non fortuitò, aut linguæ quadam incontinentia, aut à prauo habitu natum, aut aliorum narrationibus prouocatum; sed ab insigni maleuolentia & præcogitatione, ac præmeditata improbitate profectũ. quæ res veniam nullam meretur, nec sat graui pœna puniri potest: soluit enim omne humanæ coniunctionis commerciũ, omne mutuæ charitatis vinculum, omnem fraterni affectus necessitudinem, omnẽ Religiosæ domus tranquillitatem, omnẽ spiritualis amoris nexum, omne fiduciæ robur.

Suc-

Digitized by Google

Succedúntque illorum loco nullo ingenio, aut arte reparanda damna: in verbis factísque pulsa securitate trepidatio: in omni etiam familiari collocutione, candore fugato, fraudum anxia sollicitudo; ac tanquam inter inimicas acies versanti, attonitus quidam timor: quaqua parte insidiis septo, hostilis quidam metus. nulla hîc læta dies, nullum gaudium explicatum: ponderantur tanquam in trutina verba singula, & in omni oratione retia & compedes circũspectamus. iám & incessus ipse & inambulationes nescio quid metuendum cõtineant. dúmque omnis fiducia fidésque exulat, taciti contabescunt animi, ac quasi in saxa ac rupes congelascunt.

Misera omnino vita, & non hostium acerrimis vouenda: vt extrema præeligenda pauperies, vincula sint & carceres inter lætum hilarémq; panem & aquã, quàm inter orbis delicias ac diademata ad omnem cõgressum verbaque mens attonita, dubia, insidijs beneuolentiam mentientium circumsepta, perpetuisque suspicionum æstibus, tãquam decumanis fluctibus iactata, vt infelicis-

ciſſima in continuis tempeſtatum harum circumuolutionibus omniq; acerbior morte cenſeri vita debeat. Tales ſunt quorum meminit Eccleſiaſticus ca. 12. *In labiis ſuis indulcat inimicus, & in corde ſuo inſidiatur vt ſubuertat te in foueam. In oculis ſuis lacrymatur inimicus: & ſi inuenerit tempus, non ſatiabitur ſanguine: & ſi incurrerint mala, inuenies eum illic priorem. In oculis ſuis lacrymatur inimicus, & quaſi adiuuans ſuffodit plantas tuas. Caput ſuum mouebit, & plaudet manu.* De inimico amicitiam ſimulante hæc verba. cuius cùm diſtillent labia fauum, mellaque fundant, lacrymæque amorem teſtentur, hoſtilitatem facta loquuntur. de quo illud verè Prou. 25. *Dens putridus, & pes laſſus, qui ſperat ſuper infidelis in die anguſtiæ, & amittit pallium in die frigoris. Sicut enim æramentũ æruginat nequitia illius: & ſi humiliatus vadat curuus, adijce animum tuum, & cuſtodi te ab illo. Non ſtatuas illum penes te, nec ſedeat ad dexteram tuam: ne fortè conuerſus in locũ tuum, inquirat cathedram tuam.* talis etenim (Eccli. 6.) *eſt amicus ſecundùm tempus ſuum, & non permanebit in die tribulationis: eſt amicus qui conuertitur ad inimicitiã: & eſt amicus, qui odium*

Digitized by Google

& rixam & conuitia denudabit: est amicus socius mensæ, & non permanebit in die necessitatis. Excitabit etiam tribulationes, nec parcet animæ mœrenti, nec iacentis sanguini. impinguatur namque aduersis, & ridebit in interitu aliorum, omni bellua crudelior. Prou. 16. *Lactat amicum suum, & ducit eum per viam non bonam*, viam insidiarum & mortis. & dum amicum simulat, hostilia in incauto exequitur. bis sceleratus, simulatione & fine. Prou. 6. *Et sicut noxius est qui mittit sagittas & lanceas in mortem: ita vir qui fraudulenter nocet amico suo: & cùm fuerit deprehensus, dicit, Ludẽs feci.* nimirũ ludit in amico sanguine. hoc solo iudicio suo infelix, quòd cogitata ad optatum animo suo exitum deducere non potuerit. nec finem tamen improbitati, nisi in suo aut alieno sanguine statuet. Hic exitus infidæ mẽtis perit, aut perimit: & miserando exitu amici, aut infelici suo, infidũ animũ signat, Deo hominibusque iuxtà inuisus. de quo illud Prophetę Isaiæ 29. dici potest: *Væ qui profundi estis corde, vt à Domino abscondatis consilia: quorum sunt in tenebris opera, & dicunt, Quis videt nos, & quis nouit nos? peruersa est hæc vestra cogita-*

gitatio. quasi si lutum cõtra figulum cogitet, & dicat opus factori suo, Non fecisti me; & figmentum dicat fictori suo, Non intelligis. Profundi cordis omnis infidus est alieni obseruator & substructor. ac licet fraudulenta consilia sua apud homines tegat, Deum habet cordium scrutatorem, qui educet è tenebris insidias in proximorum pernicem structas. quem si cogitarent inspectorem & vindicem, non descenderent ad noxias has fraudes, tanquam si machinationum harum nullum aliquando habituri essent discussorem, nullum iudicem. audiant Sapientem cap. 1. *Benignus est enim spiritus sapientiæ, & non liberabit maledicum à labiis suis: quoniam renum illius testis est Deus, & cordis illius scrutator est verus, & linguæ eius auditor. quoniam spiritus Domini repleuit orbem terrarum: propter hoc qui loquitur iniqua, non potest latere, nec præteriet illum corripiens iudicium. In cogitationibus enim impij interrogatio erit. sermonum autem illius auditio ad Deum veniet, ad correptionem iniquitatum illius. Custodite ergo vos à murmuratione, quæ nihil prodest, & à detractione parcite linguæ. quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit. os autem quod mentitur.*

titur, occidit animam.

Remedia.

A Vitij huius fœditate & grauitate petenda: quam à communi mortalium omnium sententia mutuare possumus. qui licet proditiones nõ rarò bono suo venentur & probent, & pretio etiam parent, proditores tamen execrantur: quorum infame omni retrò ætate apud omnes nationes, omniq́ue sæculorum memoria nomen est. quoque vnaquæq; generosior gens est, hoc proditoris nomen maiore in horrore habet. venalia nimirum alieni honoris, gloriæ & commodorum mancipia, indigna quæ hominis nomine censeantur, quo magis ab omni Religione eliminanda. Monemur sic à Sapiente Eccli. 37. *Noli consiliari cum eo qui tibi insidiatur, & à zelãtibus te absconde cõsilium.* & Pr. 20. *Ei qui reuelat mysteria, & ãbulat fraudulenter, & dilatat labia sua, ne compiscearis.*

Fouendus contrà fidus animus, qui nec proposita morte alieni proditor fiet. talem quicunque nactus fuerit, inter verticis sui gemmas primam statuat, colatq́ue vt cælo datum, obseruet vt oculi pupillam, bene-

fa-

Digitized by Google

faciat vt animæ suæ, intimaq; sibi familiaritate iungat. rarissimus enim horum vsus, ac inter millia vnus aliquando, aut alter. quo studiosiùs quærendi, fouendi, tutandi sunt. vt videant qui contrario virtuti huic tenentur vitio, quanta sit fidi pectoris prærogatiua. omnibus hoc opibus regnisque præstat: parari enim hæc iuduſtria laboreque possunt; animus fidus, secreti tenax, nulla mercede aut tormentis vincendus; à solo cælo sperari debet. amicus fuit in prosperis? manebit etiam erit in aduersis. stetit inter secũdas? [illegible]tadet inter aduersantia: quin fortiùs [illegible]ibit gradum, & ostendet se non purpu[illegible]t fortunæ, sed amico natum, cum quo [illegible]duersantia lætior ibit, quàm sine illo in [illegible]ia. Serpens nimirum, sitis, ardor, arenæ, [illegible]da amori sunt. propone diademata: cõ[illegible]et, si prodendus amicus est. opes & [illegible]res: ridebit, si alieni explorator delaſ[illegible]esse iubeatur, sponde plena manu vo[illegible]es: nulla illi maior voluptas est, quàm fidei firmitate ac tuitione vitam proij[illegible]deiicere functionibus omnibus, exue[illegible]neribus, ad extrema terrarum popu[illegible]

Digitized by Google

rumque relega, indue compedibus: gaudebit, si pro fide, & negata proditione patiatur, & dulce ducet pro tam bona cauſſa pati: imò si deſtituatur ab amico, & hoſtem patiatur ex amico; ſtabit tamen in gradu, nec ſemel datam fallet fidem; & hoſtilitatem hanc errori tribuet, commiſerabiturq; amico tanquam è febribus phrenetico & mente capto: morboque inimicum hunc ex amico animum, tribuet, non homini. ac nec iniuriis quidem damniſq; prouocatus, aliud quàm commiſerationem reponet, qualem ſolemus mania laborantibus. Beatus qui hunc nactus fuerit: non enim quidquam in hac vita voueri aut concedi poteſt optatius aut maius, quam ſi nactus aliquem fueris, in cuius ſinum tutò reponas quidquid animo habes malè, quidquid benè, ſecurus de fide, certúſque de cuſtodia. Benè Sapiens Eccli. 6. *Amicus fidelis, protectio fortis: qui autem inuenit illum, inuenit theſaurum. Amico fideli nulla eſt comparatio: & non eſt digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius. amicus fidelis medicamentum vitæ & immortalitatis. qui metuit Dominum, inueniet illum.*

CA-

Digitized by Google

CAPVT XXXIV.

Ingratus animus, beneficiorum immemor.

DEo hominibuſque inuiſum malum: quod cùm in omni hominum genere deteſtandum ſit, tum multò maximè in Religioſo, & mitior longè aperta hoſtilitas eſt. Nam quid magis cũ ratione pugnat, quàm cui benefeceris, pati inimicum? & omni hoſte acerbior, ingratus eſt. nam inimicum æmulum ſuum auerſari nihil nouum; odio etiam proſequi, cùm mutua ſæpe damna data & accepta, ſat ampla odiorum cauſa intercurrant, nemo miretur. at poſt beneficia accepta dataque in beneficum largitorem inſurgere, & pro beneficiis odia detractioneſque reponere, belluæ verius, quàm hominis eſt.

Ingratitudinem verò vitia plurimùm reliqua ſequi, experientia nos docet. neque enim illa intra ſolius nudæque ingratitudinis limites ſe continet: proſilit rerè ad odia, famæque ac bonæ æſtimationis diminutionem, dictorum factorumque ſugillationes.

Digitized by Google

Semel enim verecundia exuta, ne ingratitudinis ab alijs damnemur, decurrimus ad acceptorum beneficiorum extenuationem. inde etiam damnamus donatorem, merita nostra extollimus, dona deprimimus. quòd si magnitudine sua celari dona & beneficia non possunt, aliò donatoris mentem torquemus, & suis illum commodis, non nostris dona contulisse contendimus: vt cùm rem non possumus, mentem damnemus, ita sagaci ingratitudine inuolamus in amicos. Inde iam in apertas dilabimur detractiones ac hostilitates: ac primò apud vnum alterum ve, tandemque pudore exuto palàm in omnium oculis.

Fœdum in Religione vitium. & ferè reperies pari hos ingratitudine ab alijs percuti, qua in Superiores benefactoresue suos sæuierunt: plerumque etiam mœroribus opprimi. ac melancholia quadam exedi & extingui. nam cum benefactores à se auerterint, nec quisquam se illis suaque credat, fidat nemo, imò quisque consuetudinem familiaritatemque fugiat; fit vt contabescant malis, sibi aliisque graues.

Qui

Digitized by Google

Qui si Superiores sint, non facilè suorum animos possidebunt: neque quisquam tali duce ad pericula decurret, nemo vltro labores suscipiet, nemo gaudēs sudorem fundet, quem scit ingratitudine munerandum. nulli ad ardua mens stabit, aut ad generosa manum porriget, quam didicit non vacuā tantùm remittendam, & nullo dignandam præmio, sed insigni aliqua ingrati animi testatione feriendam. hinc pro laudibus, & beneuolentiæ signis, sicciora inferior pumice, satyroque quodam dente pronuncia-ta verba referet, aut indignantem etiam orationem, factaq;, clara & illustria licet, deprimentem. quibus modis etiam probissimorum, & ad labores promptissimorum animos exasperant. Ingrato enim benefacere durum, sudoremque ingratitudine siccanti ac detergenti profundere graue est. inuitos proinde ac reluctantes suos ad ardua quæque reperiunt.

Si inferiores hoc malo tenentur, omniū à se Superiorum animos auertunt, alieniss-imosque experiuntur, ac diffidentia plenos, nec quidquam laude aut gloria dignum

Digitized by Google

magnumúe committentes: nullorum etiam consiliorum participes faciunt, nullâque familiaritate dignantur: nulla præmiorum munerumque prærogatiua condecorant. nã quis ingrato aut se, aut sua credat, aut beneficijs obstringat, quem nulla munificentia vincit, nulla liberalitas mollit? obduruit nimirum frons illius, & durior ferro beneficia repellit, & in auctorem pro munere conuitia retorquet.

Nulla deinde apud ingratum secreti firmitas. abditissima quæque propalabit. nihilque tam sanctum, à quo veneratione tactus abstineat. gaudebit etiam concreditorum sibi retectione, & inuidia duce, adrecondita quæque protendet manum, felicémque se æstimabit, si quid muneratoris sui erubescendum vulgauerit. hostem credas in inuidiæ scelere lætabundum, ac tanquam parta ex inimico victoria triumphantem. vt, si delectus detur, hostem longè præ ingrato diligas. nam vt ille acerbissimus sit, sanguinisque tui sitientissimus, beneficijs tamen vinces. nec vlla re magis crudeles inimicasque mentes, damnisque & odio efferatas,

Digitized by Google

ratas, quam beneficijs mitigabis & mollies. pergit illa exasperata furere? perge benefacere. repellit ab hostili manu munera? duplica, & vinces, sedabisque tandem sanguineam hanc sitim, frangesque inimicos animos furore licet ebrios, deducesque ad placidam quietem, inde in admirationem, in factorum suorum detestationem, tãdemq; in laudem & amorem, & cùm nolit beneficijs vinci, paria conatur reponere. quique generosa mente inimicitias fouit, odiaque sparsit; eadem mentis generositate victus, beneficia tanquam missilia iaculabitur.

Ingrato verò quanto plus benefeceris, tãto magis exasperaueris. beneficia enim illi materies odiorum sunt, non secùs ac ligna oleúmque flammarum materia. Nec domandi hoc pectus remedium vllum. subtrahe beneficia, liuore & mœroribus quidquid interni in illo roboris est, emedullabis; cõfer, insurget in benefactorem, tanquam si arma furenti præbeas; nega, in se sæuiet, nulli, ac ne sibi quidem amicus.

Contrà verò animo grato, ac beneficiorum memore nihil cuiquam iucundius gra-

Digitized by Google

riusque euenire potest. Pulchrum sanè, & cælo dignum certamen, animi grati cum munifici largitoris beneficentia: cùm nec gratitudine hic se vinci patitur, nec beneficiis ille. gaudet benefacere generosus animus, & beneficium existimat, dona posse conferre grato. & prouocat quasi nolentes in beneficia gratus. cui etiam renuenti plena manu generosior omnis munera largitur. Ingenti deinde fiducia in talem fertur quisquis animo erecto est, ambitque vltro amicitias, & felicem se consuetudine illius arbitratur. nec quidquã tam magnum est, quod non in gratiam illius lubens profundat, vitam etiam positurus, si qua grauior necessitas postulauerit. Nec minor in animo grato magnitudo est; se suaq; sanguinemq; lætus profundet in benefactoris sui causſa, nec fortunam huius, sed animum sequetur, ac in aduersis, iuxtà ac secundis fidem tenebit. Ingruunt tempestates? vltrò se illis pro benefactore inuoluet. petitur huius pectus? latus opponet suum. audit detrahentes? laudes opponet. delicta videt? excusabit, si potest, aut certè mitigabit verbis. si lenimẽ rei grauitas

uitas non patitur, ingenti animi ſenſu miſe-rabitur benefactoris ſui, & ad preces apud Deum, lacrymaſque decurret; gratâque interim memoriâ in quacunque fortuna benefactorem ſuum proſequetur: &, vbi ſe occaſio dederit, virtutes enarrabit, delicta humanæ fragilitati tribuet.

Remedia.

FVge ingratos animos, conſuetudinem deuita, contubernio repelle, nihil crede, ne te obſtrictum teneant.

Nihil quod laudem mereatur committe, vilioribus deſtina, magnorum familiaritatibus ſubtrahe, à publicis functionibus exclude.

Frequentatis ſæpe per annum ſpiritualibus exercitiis, piorum librorum aſſiduis lectionibus, fortibus Præfecti ſpiritus monitis, adiuuandus erit.

Proderit etiam ſi inualetudinis tempore pronam in ſe paternamque ſenſerit Superioris mentem. quæ res ſi ingratum illius animum non flectat, à ſolo Deo remedia poſcenda & ſperanda ſunt. cuius ſunt

Digitized by Google

non aliena abs hac re apud Lucam verba: Luc.6. *Diligite inimicos vestros. benefacite, & mutuum date. & eritis filij Altissimi: quia ipse benignus est super ingratos & malos.*

Vitij etiam huius magnitudine terreri quisque meritò debeat. describit eam paucis sed fortibus verbis D. Bernardus Ser. 51. in Cant. *Ingratitudo ventus est vrens, siccans sibi fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ.* & de ingrato Sapiens cap.16. *Ingrati spes tanquam hibernalis glacies tabescet, & dispериet tanquam aqua superuacua.* & monet Augustinus, de verbis Apost. Serm. 16. *Grati simus ex eo quod habemus, vt addatur quod non habemus, & non perdamus quod habemus.* Solet enim Deus eadem ingratis animis inferre, quæ seruo nequam suffodienti talentum domini sui: Mat.25. *Tollite ab eo talentum, & date ei qui habet decem talenta. omni enim habenti dabitur, & abundabit: ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo. & inutilem seruum eijcite in tenebras exteriores: illic erit fletus, & stridor dentium.*

CA-

Digitized by Google

CAPVT XXXV.

Nimia ad externa diffusio.

SIue illa à quadam naturæ inquietudine, & necdum in plenum domito sæculariũ affectu proueniat, siue ex tædio ariditatis interioris, dum in externis mens solatia quærit, quibus interiùs carer; non leue vtrobique malum est. Euenire enim solet, vt, dum se totũ animus in externa profundit, adhæreſcat etiam non cogitanti non parum sæcularis & mundani pulueris, quibus obtenebratur spiritualis oculus, ne ea deprehendat, quæ & ipsi & Religioni noxia sunt, quæque illum paulatim à genuino & primæuo vocationis spiritu abducunt. ita à tam paruis initiis mens tota obtegitur: minimarum nimirum arenarum congestio creſcit in montem, fertilésque etiam agros infæcundirate & sterilitate sua contegit. Bonau. de 6. alis. c. 7. *Cùm enim propter temporis breuitatẽ. & diei malitiam vix necessariis sufficiamus disponendis, si superuacuis & alienis volumus occupari negotiis, negligimus vtiliora & meliora: cùm distractus animus ad plura, fit minor ad*

singula prouidè peragenda. Inde fit aliquoties, cùm Prælati & Ecclesiastici nimis se exterioribus occupationibus implicant, ædificiorum, agrorum & vinearum & similium, quibus fructuosiùs carerent, vt non solùm meliora interim negligant, sed etiam conscientiam sæpiùs inquinent, & ex vsu exteriorum tenebrescat mentis oculus ad cõtemplationem spiritalium & internorum, & tepescat ad desiderium supernorum. Sicut enim humores noxij affluunt, vbi fuerit in corpore læsio, nisi cautè remoueantur, ne fiat ibi tumor vel vlcus: ita & negotia crescunt ad extinctionem spiritus, qui se ijs acquieuerit occupari. Super omnia verò debet semetipsum rector circumspicere, ne alijs prouidens, seipsum negligat, neúe alios saluans, seipsum in periculum demergat. Matt. 16. *quid enim prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, anima verò suæ detrimentum patiatur?*

Desipiunt etiam in dies magis magisque interna, dum delectamur externis, nec potest animus his obsessus, cælestia sine pugna admittere. Multis deinde, licet magna cautela & circumspectione vtatur, necessum est se homo implicet, quæ aut minùs vocatióni consona, aut ab illa etiam aliena: labiturque ali-

Digitized by Google

aliquando in pœnitenda, corporíque vniuerſo nocitura.

Et incredibile eſt, ad quanta damna è leuibus initiis decurratur. Guttæ nimirum & ſtillicidia tenui licet filo deſudata excauant rupes. à tam molli raroque lapſu vincuntur multorum ſæculorum opera, & quæ decumanos vicerunt fregerúntque fluctus, guttatim depluente lympha ſedibus pelluntur. Idem vſu venire videmus in Religioſo. ſteterat quaqua parte irruentibus tentationibus, dum ſe domeſticis contineret parietibus, & ſuperior etiam omnibus inferorum conatibus ſtabat interritus; vt primùm veteres egreſſus limites, pluſculùm ſe in ſæculum diffudit, cœpit labaſcere, & diſſimilis iam eſſe ſui. Nec mirum. cùm enim Religionis clauderetur terminis, perpetua quadam interni ſpiritus paſcebatur alimonia, tanquam cęleſti manna, firmabatúrque domeſtico orationis propugnaculo aduerſus procurſantes hoſtiles acies; at poſtquam deſtitutus his præſidiis, nudum expoſuit latus inimico ferro, quid niſi vulnera expectet cędemque?

Nec

Digitized by Google

Nec pessima quæque primo ingruunt prolapsu. pedetẽtim ad præcipitia ducimur, eo ferè passu, quo ad externa diffundimur. à minimis scilicet initiis, ad latissima damna descenditur. Et trahimur primò agendi quadam cupiditate: & videri Religiosus amat, quisquis sæcularibus se rebus immiscet. aut sanè è leui quadam fastidientis animi nausea, ac spiritualium lassitudine, profundit se ad externa, tãquam nauseæ aut inualetudini suę remedium aut solatium quęsiturus. Interrumpendus nimirum spiritualium ille cursus erat, ne aut contentione frangeretur animus, aut eiusdem spiritalis cibi fastidio teneretur. infelici commutatione à cælestibus ad sæcularia decurritur, quasi in medicinam ac solarium. Ex quo fit, vt quo mens profundiùs perituris illis immergitur, hoc potentiùs eripiatur æternis: pari ferè passu, vt quantum illis accessit, tantum his decedat.

Neque diu tales Deo coniunctos videas, cùm disiungantur per externa. patiuntúrq; difficultates maximas, vt ad stata orationum tempora se recipiant, & vt conatum

Digitized by Google

tum adhibeant, effunditur ſtatim omnis in iis collectus fructus, quaſi ſi demeſſam meſſem diſpergas in ventos. inde areſcunt animi, ſpolianturque ac nudantur opibus internis omnibus, vt nec ſuæ, nec propagã-dæ proximorum ſaluti aut Dei gloriæ idonei ſint. contingitque illis, quod validis fluctibus ac tempeſtatibus iactatis, vt ſtomachi patiantur faſtidia, nauſeentque ſuper omni ſpiritali cibo, viribus deſtituti. tranſeũt deinde ad carnem & corporis commoda, illiſque vicina. cumque narrationibus impleantur ingentium paſſim detractionum, facilè in eaſdem domi foriſque effundũtur. aſſurgunt exinde animi. & quo pluribus miſcentur, maioremque externarum rerum cognitionem conſequuntur, plus etiam faſtus induunt. hinc domeſticæ exurgunt æmulationes, pariaque in imitationem ſtudia. quæ res ad parum ſæpe affinia religioſæ modeſtiæ ac moderationis conſilia impellit. Nec res tegi diu poteſt. decurritur ad externos, & æmulationum ſemina latè ſparguntur, damnanturque in Religioſis ſæculares mores, partiúmque ſtudia, plurimúmque

Digitized by Google

que de ſanctitatis ac maturitatis opinione decedit: è quo ſperata multorum ſalus vniuerſa propè collabaſcit. Bene Antiochus hom. 102. *Laquei & pedicæ ſunt aſpirantibus ad ſalutem ſæcularium congreſſus, ac prolixæ eorum confabulationes mentem prorſus auocãt à Dei glorificatione & ſpirituali lætitia.* & magnus Gregorius lib. 3. Dial. c. 15. *Valdè difficile eſt, vt lingua ſæcularium mentem non inquinet quam tangit: quia dum plerumque eis ad quædam loquenda condeſcendimus, paulisper aſſueti hanc ipſam locutionem, qua nobis indigna eſt, etiam delectabiliter tenemus: vt ex ea iam redire non libeat, ad quam veluti ex condeſcẽſione deducti venimus inuiti. ſicq; fit, vt ab odioſis ad noxia, à leuioribus ad grauiora verba veniamus: & os noſtrum ab omnipotẽte Domino tanto iam minùs exaudiatur in prece, quanto amplius inquinamur ſtulta locutione.*

Quòd ſi quę neceſſitas ex obedientia nata cogat ad illa, meminerit vocationis, Deique ſui, & properantis æternitatis: ad illumque quoties per interualla licebit, eo ardentius euolabit, quo minus temporis conceditur; aſſueſcatque in medijs etiam extremarum rerum occupationibus cælum inambula-

Digitized by Google

bulare, frequentib úſq; imo ductis pectore ſuſpiriis communem omnium parentẽ pulſare, in illum denſas immittere preces, tanquam telorum ſyluam; calentia iaculari vota, tanquam nubibus cõtorta fulmina; perennes profundere lacrymas, tanquam euripi fortunata maria, beata negotiorum & lacrymarum reciprocatione. Felices occupationes, tam beatis permiſtæ animorum condimentis: ſic enim fiet, vt nec cariem ſentiant, nec putredinem metuant, nec viam ad ruinam domino ſternant. At Superiorem prudenter in hac re Gregorius in Paſt. p. 3. c. 7. monet: *Sit rector internorum curam in exteriorum occupatione non minuens, externorum prouidentiam in internorum occupatione non relinquens: ne aut exterioribus deditus ab intimis corruat, aut ſolis interioribus occupatus, qua foris debet proximis non impendat.*

Remedia.

ORationis ſtudium, conſiderationis in Superiore hora ſeriò impenſa: examina conſcientiæ non perfunctoriè adhibita: adſpirationum ad Deum frequens vſus, etiã in mediis ſæcularium rerum tractationibus.

Fre-

Digitized by Google

Frequens etiam piorum librorum lectio, actionúmque sæcularium per spiritualia exercitia interruptio.

Superfluarum rerum refectio, maximeque speciosarum, & quæ plus habent externi decoris, quàm animarum fructus.

Colloquiorum & visitationum rarior vsus, quæ si quando per alios non minori fructu peragi posse sperare licet, in alios potiùs transferantur, quò liberiùs ipse interno homini suo vacet.

Sæcularium occupationum fuga, quæ eo difficilior erit, quo mens semel tota illis immersa, altè in religiosa toga sæcularem imbibit succum. Quare nisi talis validè seipsum reprimat, propensionem domet, affectum potenter comprimat, non facilè victoriam sperabit.

Amandatio ad alias habitationes & munia, in quibus minus periculum est externæ effusionis, spéque maior spiritualis collectionis, solitudo maior, occupationes ráriores, populus infrequentior, minor cognitio.

Iteratæ per annum spiritualium exercitio-

Digitized by Google

ciorum recollectiones plurimùm hiciuuabunt: in quibus si metuenda damna periculáque, exempláque non postremorum in Religione virorum, infelici exitu signata seriò & non cursim examinentur, ingentia sperari emolumenta possunt. Frequens etiam cogitatio verborum horum, Ad quid veniſti? quid sæculum moribus facti sque repetis sæculi desertor? multum per omnem partem proderit; minæque intentantis Dei Luc. 9. *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.* & illud Mat. 6. *Nemo potest duobus dominis seruire. aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget: aut vnum sustinebit, & alterum contemnet.*

Proderit etiam nullam rem aggredi, sine præuia secum recollectione, serium que dictorum factorúmque re peracta examen instituere, sic vbi erratũ, aut à religiosa modestia, à primorum parentum maturitate, ab instituti regula decessum. proderítque in primis, si diebus singulis quadrans vnus sub noctem seponatur, quo dieī illius cum externis peracta recolamus. nullámque vniuersim omnino rem inscio Superiore suſ-

ci-

cipiamus, ac nec vltrò nos negotiis immergamus. Quòd si frequentes externorum accedant interpellationes, assueſcat eas Religioſus piis interſpargere colloquiis; vt ſi pergant moleſti eſſe, aliquid ſemper referant boni: aut tædio piarum rerum affecti interpellare deſinant.

Excitatio in ſe diuini amoris, diuinarúmque rerum, multùm in hoc genere valet. neque enim talis facilè ſe patietur ab illis deduci, ad externa duci. nã qui ad hæc ſe trahi permittit, amorem in hæc ſuum teſtatur. nõ rapietur ſi non amaret. rapitur: amoris indicium eſt. exuat hunc amorem, diuinum induat, & vicerit: memineritque verborum D. Gregorij 4. Moral. ca. 30. *Qui ad appetenda aeternitatis atria accenditur, dignum profectò eſt, vt ab hoc temporalitatis amore laſſetur, vt tanto frigeſcat à ſtudio ſeculi, quanto ſurgit ardentior in amorem Dei. quem ſcilicet ſi perfectè arripit, mundum etiam plenè derelinquit. & eo fuditus temporalibus moritur, quo ad ſupernam vitam altius afflatu aeternitatis animatur.* & eodẽ capite: *Qui in auctoris ſui amore roborantur, eo magis in concupita Dei fortitudine conualeſcunt,*

eo

Digitized by Google

eo à propria virtute deficiunt : & quo robustius aterna appetunt, eo à temporalibus salubri defectione lassantur.

CAPVT XXXVI.

Castitatis neglectus.

CVm aut fiducia nostri, aut aduersariorum contemptu, aut periculorum neglectu in præcipitia ruimus improuidi, damnáque non reparanda accipimus. hîc oculorum liberiore iactatione ludimus; ibi aurium curiosiore aucupatione vellicamur; alibi lasciuiori inuoluimur lectioni. succedit familiaritas sexus alterius, diuturniora colloquia, captata solitudo, prolixiores repetitæ & frequentatę confessiones, spiritales instructiones familiariores, munerum mutuę acceptationes, secretorum vltrò citróque consiliorum communicationes, ingens per amica silentia commissorum fiducia, officiosæ & sæculum redolentes salutationes, scriptiones comitate & beneuolentia plenæ; nec qualis inter patrem filiámque venerario, sed qualis inter sponsas sponsósq; honorum præuentio.

Inde

Inde iam prosiliunt nocturæ libertates, mutuus aspectus, exporrectæ frontes, hilaritudines, verba risum prouocantia, gestus leuior, minusq; religiosa corporis compositio, membrorum iactatio, narrationes similitudinésque è matrimonio petitæ, quibus paulatim & pudor ponatur, ac tota demum verecundia exuatur: succedunt faciliores manuum contactus, & quiantea ad vestes a vestigia propè pedum erubescebat, nunc constanti vultu & oculos intuetur lasciuientes, & labia oraque legit ridentia, & prouocantes amicat genas, nec exhorrescit ad nudatum pectus magni lupanaris anteambulum, omnisque omnino libidinis prouocatorium. Cypr. de sing. cleric. *De caminis nimirum scintillæ prosiliunt, de ferro rubigo nutritur, morbos aspides sibilant: & mulier fundit concupiscentiæ pestilentiam: in risum aliquando dissoluitur, nunc blanditias exhibet, & quod est venenosius super cuncta, psallere delectatur aut cantare, cuius cantu tolerabilius est audire basiliscum sibilantem.*

Augmenta sumunt hæc per interualla, neque quisquam repentè fit pessimus: quin imò

imò sub pietatis pallio, sub spiritalis instructionis prætextu latent & teguntur hæc nocitura, & in mortem pedetentim abitura, ac quodam quasi peremni stillicidio excauantur & exteruntur religiosa pectora firmissimæ quondam rupes, & tot antè dæmonum machinationibus, tot inferarum legionum valido procursu superiores, femineo cadunt oculo; tam molli, vt ita dicam, elemento chalybe fabricata corda, ferro cincta. ita virorum primi & maximi, & stellę solesque futuri cęlo, muliebri corruunt manu, Samsones Dalilę, Dauides Bersabeę, Salomones plurium blanditia.

Ac supina omnino opus negligentia ac spiritaliū neglectu ac tepore in eo qui post annos in Religione decursos in carnē labitur, cùm enim experientia doceamur nouitios à sæculo recentes, vix ex altissimo vitiorum oceano ereptos, madentes adhuc & criminum fluctibus non semel insepultos, ægreque caput attollentes, aut è media etiamnum prauarum affectionum fornace calentes & ambustos, necdū degustata virtutum pulchritudine, orationum robore,

Digitized by Google

mortificationum firmitate, in magna animi puritate primos Religionis annos decurrere; rara oculorum auriumq; cuſtodia, celeriq; quarumcumque occaſionum fuga, ingentiq; omnium quæ ad voluptatem quoquo modo ducũt horrore ac deteſtatione; mirum planè videri debet poſt variorum annorum in Religione educationem, labi viros religioſos, meditationum orationumque præſidiis excultos, poſt variarum virtutum documenta, poſt exercitam & ad arma ſpiritalia paratam mentem, poſt continentiæ callum, poſt corpus pœnitentijs diſſcalptum, poſt tot hoſtiles acies, tot inferorum agmina ſuperata, protritam & calcatam nõ ſemel carnem, nobiliſſimos deniq; à mũdo triumphos actos; mirum planè & prodigio ſimile labi in muliercula Religioſum, hunc laſciuiæ oculo captum, illum feminea voce deluſum, alium leui contactu tanquam cõpede conſtrictum, quin & petulantioris penicilli conſpectu tanquam à Babylonijs ignibus arſiſſe non neminem; plurimos etiam tanquam niuem ſole medio, muliebribus colliquatos radijs, aut ad domeſticas illari

nq- flam-
lliquat

Digitized by Google

flammas, tanquam à potente fulgure emedullatos, multosq; à solo petulco & ludibundo in femina calamo iacuisse prostratos, arbitreris Herculea claua aut cęstib. protritos.

Verùm si altiùs principia legamus, & præcipitij causſas propiùs intueamur, non ab vltimo illo immanis ac miserandi prolapsus momento, sed à semitis longa ad illum manu ducentibus initia sumenda erunt; à Sacramentorum nimirum, orationis, meditationis, examinum conscientię, spiritalium librorum, pœnitentiarum, manifestationis animi morborũ, sobrietatis ac modestię neglectu ac contemptu, à præsidente fiducia sui, regularum violatione, frequentatis muliebribus colloquiis, sociorum fuga, secreti captatione, otij amoris, laboris declinatione, cibi potusque commodorumque corporis prosecutione, alijsque his similibus ad infames femineos scopulos paulatim prolapsos reperiemus. Non vna hora, die, mense cecidit veteranus: anni viam ad ruinam straurerunt, & tanquam blattæ & tineæ leui licet corrosione, vniuersum paulatim robur emedullarunt. Atam paruis initiis ad

Digitized by Google

malorum extrema inuictus ille, dum Religionis amor regularumque obseruatio staret, veterani animus prolapsus est: stillicidia hæc nimirum incauto annorum prolapsu sana exederunt, tam suauis elementi guttata mollities tanquam leui spongiæ, aut amico osculo, quidquid erat saxei roboris, extriuit, ita à scintilla vrbes iam nullæ, & à modico veneno Herculeæ iacent vires ignibus pabulum.

Vitabit hæc modica quisquis salutem amat, quisquis præcipitia, quisquis exempla cogitat.

Remedia.

A Superioribus partim, partim ab inferioribus petenda sunt. proderit, si Superior in omnem occasionem intentum oculum teneat, nusquam operam suam in hac materia deesse patiatur, nusquam etiam in minimis in hoc genere parcat. parcere hîc odisse aperdisse est. excubet seriò ne qua parte regularum obseruatio infringatur, ne intepescat in orationis ac mortificationis studio spiritus, ne primus languescat ar-

Digitized by Google

ardor.initijs ante omnia occurrat, nec medicamenta differat in validiorem morbum, ne curationem inferrum & ignem reijcere cogatur: occasiones omnes ad viuum rescindat, etiam ense non damnanda, si ad dãnanda quoquo modo ducant, reuellat: queratur æger, laudabit periculis ereptus, neque prudens sublatas ægritudinum causas dolebit. peritissimus ille medicorum est, qui præprouida cura anteuertit mala. nec iustã querimoniæ causam habet, quem ad exactam regularum ac constitutionum obseruationem, vigilans Superioris solicitudo cogit. arguat in Superiore inferior diffidentiam & inanium suspicionum seriem: consultius est illum Superioris diffidentia circumuallatum stare, quàm minima illius fiducia non reparanda præcipitia pati.

Qui roborauerit ac obduruerit animum diuinarum meditationũ ac orationum studio, qui conscientiæ suæ latebras bis per diẽ diligens non perfunctorius scrutator excusserit, qui quidquid quacunque via irrepserit malorum celeri pœnitentia deleuerit, qui spiritalium librorum lectione nullo

Digitized by Google

non die pectus firmauerit, qui frequentibus per diem aſpirationibus mentem ab humanis abduxerit, ad diuina ſuſtulerit, qui ſe ſuaque omnia, animorũ in omnem partẽ affectiones, irruentiumq; tentationũ fluctus ac procellas Superiori non minùs cãdidè quã integrè, vt medico, vt patri, vt marri reſerauerit; non facilè ad erubeſcenda labetur.

A nocituris deinde magna cura animus auocandus, à quacunque feminea familiaritate, à muliebri viſitatione, à colloquijs quocunque prætextu prolixioribus, ab eadẽdem perſonarũ confeſſionibus frequentioribus, à munerum vltro citroque erogationibus, à mutuis ſcriptionibus, à mollioti cura, & patrocinijs ſubſidijſq; tenuioribus procurandis, à laſciuientium calamorũ lectionibus, à liberiorum penicillorũ circumſpectione, ab auida blandiorum verborum captatione, à diuturniore alterius ſexus preſentia & ſermocinatione, à curioſiore rerum verborumq; non caſtorum inueſtigatione. Neque enim quacunque demum ex cauſa Religioſo immorandum talibus, neque alcius veſtigia parum caſtis ſemitis imprimenda;

Digitized by Google

da; celeri potiùs hæc volatu quàm greſſu tranſcurrẽda, & vt per ardentes prunas, per inimica agmina, per aduerſariũ ferrum, per interimentia venena præpropero curſu ſaltuque tranſilienda ſunt; etiam in medijs abditiſſimarum confeſſionum diſquiſitionibus, ne aut ignorata diſcantur, aut explicata amburant, aut à penitiore agnitione altiùs imprimantur animo, quàm vt valido pòſt conatu excuti poſſint. Credi enim non poteſt, quam immania pectori incendia è minima ſcintilla ſuboriantur, quantaque vniuerſam mentem è tenuiſſimis initijs flamma depaſcat; vt ſemel curioſiores oculos conieciſſe, ſemel aures præbuiſſe, vix multorum poſtmodum annorum lacrymis eluì poſſit: quin imò non rarò non niſi cum vita, lucta è tantilla re nata deponitur.

CAPVT XXXVII.

Nimia fiducia ſui in rebus agendis, feminarúmque conſuetudine.

CVM etiam ſæculi prudentes moneant, prouidi eſſe, aliorum potiùs in cauſa

Digitized by Google

ſua conſiliis, quàm propriis niti. ferè enim labimur in noſtris, & affectu trahimur potiùs quàm ratione: neque magis obuium ac familiare eſt, quàm probare quæ placent: euenitque in his, quod nebula rectis, quibus verarum rerum proſpectus omnis intercluditur; quod per rubrum vitrum obiecta intuentibus, qui res omnes rubro colore tinctas arbitrantur, nec errorem hunc, niſi amouerint vitrum, deponunt. Vitrum hoc priuatus affectus cuiuſque eſt, qui rem omnem colore ſuo tingit, nec patitur veritatem detegi.

Quantis verò periculis fiducia hæc nimia expoſita ſit, facilè videbit, qui innumeras errorum in rebus humanis cauſas cogitauerit, maximè in rebus arduis, & quæ rempublicam, quæ Principes viros, quæ Religionis vniuerſæ nomen bonum tangunt, in quibus ſemel erraſſe, ferè perpetuum eſt. Ita nulla arte reuocari error ille poteſt, qui vniuerſam rempublicam traxit in ruinam. Grauis error, & ab ambitione natus, & plurimùm lapſui vicimus.

Audire, in deliberationem vocare, nunquam

Digitized by Google

quam non à magnis & prudentibus probatum, è quibus qui deliberationem instituit, optima seligat ac tutissima. Scio primum illum locum in prudentia tenere, qui in pectore suo senatum ac consilia, fugiendaque sequendaque reperit: proximum illi, qui ex aliorum consiliis saniſſima deligit. at quanti priores sunt? vix è millibus vnum aut alterum inuenias: & vt talem nactus fueris, sensum tamen aliorum exploraſſe, obesse non potest, prodesse potest. vt prudenter Sapiens Prou. 11. *Vbi non est gubernator, populus corruet: salus autem vbi multa consilia.*

Nec diffiteor in subitis audaciſſima aliquando, tutissima consilia esse; sed perrarò ad hæc extrema compellimur, & tutiora sequimur, dum res locusque permittunt. qui peritos audit, & rationum illorum momenta serius indagator excutit: nam vt nihil aliud, hoc sanè qui alios in deliberationem admouet, consequitur, vt tot propugnatores ferè habeat, quot consiliarios; si negligat, tot oppugnatores referat.

Neque quisquam propè est, qui non aliquid aliquando suggerat rei bonæ; vt non

Digitized by Google

rarò etiam in infimis non pœnitenda reperias. Accedit alta quædam quietudo mentis, cùm mens deliberationis conſcia, nihil temere, aut propriæ libidinis impulſu aggreſſam ſe nouit; cùm contrà in vario metu ſint omnia, ſoluſque, ſi quid aduerſi inexpectatum aduenerit, damna, variorumq; iudicia ferre cogatur, protectore deſtitutus.

Neque facilè quiſquam antè neglectus, re ad extrema, aut vltimam deſperationem deducta, manum admouebit, ne in tam dubio exitu honoris nihil, dedecoris referat plurimum. quin imò reperias non paucos, qui quòd in conſilio capiendo neglecti videantur, non improbent modò, ſed & variis ſubſtructionibus ſubdoliſque machinationibus probatiſſima etiam euertere conentur, & miſcere damnanda, qui ſententiam rogati, probaſſent. Non quòd omnes velim in cõſilium adhiberi, ſed peritiſſimos quoſque ac primos, quibus vel longa experientia, vel muneris ratio, vel ingenij iudicijque bonitas lucem ad varia præfert.

Nulla verò in re magis elucet hoc malum, vulneraque non medicanda infligit, dam-

Digitized by Google

damnaque non reparanda dare consueuit nimia hæc fiducia sui, quàm vbi de castitate agitur: & ferè cecidisse reperies, quos nimia fiducia sui longiùs à littore protexit, & maria hæc multorum mortibus infamia tentare suasit. Fiducia hæc inter hos scopulos & breuia nauiganti naufragio proxima est. enauigauit qui timuit, quique non suo solius consilio fluctibus hisce domesticam commisit ratem.

Præcipitia demum hîc sunt. Cauear quisquis salutem amat. vno leui flatu aut prolabentis in hoc lubrico vestigij lapsu, salus cõtinetur. Ne fide quisquis salutem amas. præcipitio fiducia hæc omnis proxima est.

Et sanè in labili admodum figit pedem, quicunque hunc campum impauidus calcat. Syrtes & breuia cogita, scopulos & decumanos fluctus, cùm à tirone Oceani inexperto nauigantur. tot omnium ætatum naucleri peritissimi in hoc profundo naufragium fecerunt, & in extrema senectute, post enauigata maria, torrentem non rarò repererunt, in quo perirent. tot veterani milites, post innumeros triumphos, & hostium

Digitized by Google

ſtium cædes, poſt campos cadaueribus fatigatos, ſudem inuenerunt, quo caderent: tot prudentia & eruditione clari, cano iam capite ludibrium facti ſunt, & mundo fabula. & ſperabit neſcio quis ingenti plenus fiducia ſui, medios inter femineos fluctus, tabula ſalutem? inermis inter armatas has mulierum acies illæſum corpus? effugia denique ac tuta receptacula adoleſcens inter illius ſexus inſidias laqueoſque compedeſq; medius? ingens error eſt, poſt tantorum naufragia, cædes & vulnera, meliora ſibi fatua fiducia ſpondere.

Et ſanè quiſquis non timuit, aut iam lapſus eſt, & proſtrata iacet victima infami mulicbri manu iugulanda; aut lapſui proximus eſt. vt meritò ſtolidum illum dixerim, qui poſt orbe toto magnorum ſtrages, inermis victoriam ſperat, & audet iratos hos prouocare fluctus palmari ſcaphæ confiſus, quos tot armatæ rates nequidquam integra carina tentarunt.

Et verò monent prudentes, à ſolo timore & fuga ſalutem in hac lucta ſperari poſſe: nec quemquam in hac pugna periiſſe, qui non

Digitized by Google

non plurimùm à nimia fiducia ſui, viam ſibi ad ruinam ſtruxerit. Venena cogita, nullus illa, valida quamuis manu, prudens contigit. nemo ſerpentem, frigoribus licet torpentem, impunè deliniuit. Hercules, & Sãſon, & quidquid firmum, roboriſque plenum, hîc cadit. ſuperant venena robur: at nocentior omni veneno mulier eſt: ludus baſiliſcus eſt, & nulla iam hyæna eſt, ſi cum illius oculis & voce conferatur. Timebit proinde hæc toxica, quiſquis iudicẽ Deum timet, & inferni pœnas; quiſquis ſalutem amat, & repoſita cælo præmia: nec erubeſcet audire timidus, vt ſecurè infidum hoc enatet mare, tãtorum ſubmerſionibus infame, vt turò venena hæc effugiat, tot magnorum luctuoſo exitu nobilitata; vt integro demum corpore, femineo ſe huic gladio eripiat, tot primorum orbe toto ſanguine & cædibus ebrio.

Prudenter Cyprianus monet, & fidentes inſtruit De ſingul. Cleric. *Aduerſaria eſt confidentia quæ periculis vitam ſuam pro certo commendat, & lubrica ſpes eſt quæ inter fomenta peccati ſaluari ſe ſperat. incerta victoria eſt inter hoſtilia*

stilia arma pugnare, & impossibilis liberatio est flammis circundari, & non ardere. & alius: *Expedit multo, bene timere, quàm malè fidere, & vtilius est vt infirmum se homo cognoscat vt fortis existat, quàm fortis videri velit, infirmus vt emergat.* eiusdem illa sunt: *Nemo de suo corde præsumat quando profert sermonem, nemo de suis viribus confidat quando suffert tentationem. quia vt bona prudenter loquamur, à Deo est, non nostra sapientia; & vt mala fortiter perferamus, ab illo est, non nostra patientia.* & Sapiens Prou. 3. *Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ.* & Apostolus 2. Cor. 1. *Non simus fidentes in nobis, sed in Deo.*

Remedia.

AB exemplis tutissima sunt. felix ille qui alieno periculo doctus, neminem suo docet. Percurramus humanarum propè rerum omnia. Imperatores, dum nimia fiducia roboris sui, hoste contempto, ardua petunt, vniuersam gloriam infami exitu maculârunt. Peritissimus quisque nautarum, dum nimiùm elemento suo fisus, altiùs prouehitur, naufragium passus est. Et non summi natatores, pugiles, torrentibus sorben-

tur,

Digitized by Google

rur, & imbelli ac rustico ferro cadunt? Eadem in omni hominũ genere reperies: quo magis timore armandum pectus, metu cingenda latera; tutum te hîc comites præstabunt, & inter pericula prouidum & securum.

Cogita deinde, quanti in carnem delapsi; & discesab hac fiducia in precipitia hęc turbatos, dum robori virtutique suæ fidunt: &, dum non firmant illecebris aures, non frenant oculos, linguam, manus, nec tanquam compede stringunt domesticas has feras, in medio felici cursu, ludibrium facti sunt orbi, & in exemplum iam aliorum positi. Audet Religiosus quocunque prętexru diutiùs colloqui? familiariùs, liberioreque deinde aspectu & cachinno, metuque ac verecundia exuta? etiam in contactum ibit, inde ad extrema malorum.

Vtile fuerit, nihil in eo genere aggredi inconsulto Præfecto spiritus, & aliorum potiùs, quàm suæ sententiæ niti, ac tuta quæque vereri. Prudens Imperator in alta pace bella cogitat, adeoque & bella parat, ne imparatum hæc improuidumque opprimant.

Pa-

Digitized by Google

Paret etiam ſpiritalis athleta in pace bellã: muniat pectus lorica timoris Domini: armet caput cæleſti, non ſua fiducia plenus: & quo minus ſe bellorum oſtentat, hoc præſentior ſibi magis etiam timeat, & à magna malacia magnas tempeſtates expectet. hoc propinquior periculo, quo molliùs hoc elementum ludit. Ne fide huic tranquillitati. maiora ſub hoc ridente vultu damna latẽt, voragines & ſcopuli teguntur hac ſerenitate. Nihil proinde inter omnia remedia præſentius, quam nulli fidere, vereri omnes; etiam in ſorore fæminam cogitare, & in fratre virum. Deum denique omnibus præſentem, præmiatorem & iudicem, etiam cogitationum reconditiſſimarum.

Monemur vniuerſim à Sapiente Prou. 3. *Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ, in omnibus viis cogita illum, & ipſe diriget greſſus tuos, ne ſis ſapiens apud temetipſum.*

CAPVT XXXVIII.

Feminarum familiaritas quocunque prætextu, confeſſionum, inſtructionum ſpiritualium, boni temporalis, ægritudinum.

Et

Digitized by Google

ET sanè magis periculum adit, qui dolo circumuenitur, quàm quem hostis aperto aggreditur marte, & palàm. in fraude nulla ferè virtus, aut robur iuuat, cùm incauti in insidias labamur, & antè cadamus, quàm periculum sensérimus. Et familiaritates tales minùs sunt suspectæ, minusque timentur, cùm sub ratione boni mala tegant. Ita cadunt primi parentes, & Amasa, & Abner doloso Ioabi ferro, & hominum pars magna.

Et quis inter tripudia, & lætitiæ signa ferrum vereatur, & caput Ioannis in disco, & inter oscula Iudæ Magistrum prodi? sub tã pio nimirum velamine nocitura, & perfimentia latent venena. Iam in omni Religione, omniumque hominum genere, quàm grauibus multorum lapsibus strata ad ruinam via est!

Familiare in hoc malo est, excusationes prætexere, Res leuis est; quid periculi è tantilla re? Sed & scintilla res leuis est, & tamen quam latam non vno sæculo dedit flammam? flamma, non scintilla, mulier omnis est, adeoque ignis est, quo orbis non semel con-

Digitized by Google

cõflagrauit. Et venenũ modicum, non venenum est? quàm multi vitã modico illius hausto finiuerũt? nullum muliere venenum potentius est: frons, oculi, genæ, labra, vox, risus, manus, vestes toxico plenæ sunt. & non magna pars hominum cadit hoc veneno? Vidit ille, audiuit, leuiter & fortuitò tetigit alter, & captus est. Quare monet Sapiens Eccli. 9. *Virginem ne conspicias, ne fortè scandalizeris in decore illius. auerte faciem à muliere compta, & ne circumspicias speciem alienam. propter speciem mulieris multi perierunt: & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.* ita à paruis, ab vno nimirum oculorum iactu, ad magna dilabimur.

Et non leuia sæpe sunt bellorum initia, quibus totus propè non semel exarsit orbis? Grauiora in omni muliere reperies, & intestinorum, tanquam ciuilium bellorum causas maximas. plenæ historiæ sunt. Nulla deinde res leuis dicenda, quæ ducit ad interitum, & qua primi maximique, omni historia teste, ex omni hominum genere ceciderunt. hinc illud Cypriani: *Quantos leones domuit vna muliebris infirmitas delicata! quæ cùm sit vi-*

Digitized by Google

vitiis & misera, de magnis prædam capit.

Non sentio, & roboris sat videor tot annis collegisse, quibus nullo nocumento inter illas versor. Non minimus morbus, & sine sensu irrepens, initio neglectus, interitum parauit etiam valētissimis, & annorum numero per aspera & dura firmatis? non minima vulnera, & sine sensu accepta, ad sectionem & vstionem & mortem ducunt? Noli anteactę probitati fidere. peritissimi ferè gladiatores ignauo cadunt ferro. primi natatores post tranata flumina & maria torrentibus obruuntur. Prudenter Hieronym. ad Nepotian. *Nec in præterita castitate confidas. Nec Samsone fortior, nec Dauide sanctior, nec Salomone potes esse sapientior. Memento semper, quòd paradisi colonum de possessione sua mulier eiecerit.* Et vt te concedam vacare periculo, altera fors pars non vacat. & tot exemplis docti sumus non vacasse. Benè quidam mulierem virumque sali comparat & aquæ. sal ex aqua est. iniice aquæ, redit ad amicum sibi elementum. Oleo alius molli mulierem comparat, ignibus virum: adde oleum ignibus, an extingues flammas? Tertullianus omnem

mnem virum mulieri, omnem mulierem viro gladium ait esse. Et vt vtrimque desit periculum, scandalo non vacat hęc familiaritas, & exemplo præimus iunioribus ad libertatem, inde ad interitum.

Soror est, neptis, sanguine iuncta. At quoties in talibus lusit error? quàm multi perierunt propinqua hac flamma? quoties nataruntcampi consanguineo ferro? non minus periculi à consanguinea muliere. Lot magnus vir in filiabus cadit: Amnon in Thamar sorore: Ruben, &c.

Verùm prudens & proba matrona, aut virgo est, annis prouecta, instituti nostri amans. Eo magis metue: nam hæc natura sua trahunt in fiduciam, dumque minùs timentur, occultiùs illabũtur. Dum silet mare, ac quasi ignauo sopitum iacet somno, tunc peritissimus quisque maximè inuigilat. mentitur hæc serenitas, ac de propinquo minatur. Periculosior omni Oceano mulier est: dum blanditur, sæuit, dum ridet, venena iaculatur. Ne fide iacenti huic elemento; sub hac consanguinea nube imber, grando, fulmina latent perimentia. Si instituti nostri

Digitized by Google

amans, & benefactrix: magis etiam honori illius & famæ & saluti consulendum est, ne hac familiaritate periclitetur.

Nulli timor & fugæ noxia, omnibus propè familiaritas & fiducia exitio fuit in hoc agone. Et sanè alterum è præcipitio pẽdentem pedem habet, quicunque sub hac specie boni fidẽtiùs ac familiariùs versatur. Illabitur hoc venenum incogitanti, & virus infundit incautis: eo nocentiùs, quo cautiùs: minaturque ruinam, vulnera, mortem, qui nec præcipitia, nec ferrum, nec venena sensérat. Ille prudenter rem instituit, vitamque moresque ad aliorum exempla componit, qui quæ facta olim, euenire posse arbitratur sibi, aliorum periculo edoctus.

Et verò nulli ætati tutò has necessitudines credi posse, tot in cano vertice pudibũdi nos lapsus docent: vt ausim dicere, plures me vidisse post quadragesimum adeò & post quinquagesimum annum, quàm a[illegible] illum infami & miserando exitu prolapsos; dum annis credunt, nec damna metuunt ætatis prærogatiua suffulta. Neque nouum, post sexagesimum castimoniæ annum in vtroq;

sexu

sexu erubescenda vidisse; vt tunc inciperent ardere, cùm corde fibrisque gelatis capulo proximi alterius vitæ prænuntiis premerentur.

Misera conditio, post tot annorum integritatem, ad æternùm deflenda venire. Tantum potest familiaritas, & amica muliebris veneri consuetudo: vt etiam glaciei flammas iniiciat, & arentia exhaustis medullis ossa inuerecundo impleat igne. Cauebit quisquis priorum sæculorum exempla meruit, quisquis posteritati exemplum in se statuere non volet. nulla ad peccandum ætas grandior. Quid? quòd non pauci in illa ætate peccatum amarint, cùm peccandi emortua materies effetis ignes spirarunt, cùm nullis formacibus accendi viderentur posse. Virabit proinde familiaritatem omnem, quisquis alterius vitæ memor, æternitate proposita, Deum sibi statuet inspectorem, accusatorem, iudicem, præmiaque & flammas nullo æuo finiendas.

Scrupulositas prætenditur Superiorum. ita vigilantiam ipsorum in inuidiam vocamus. Nemo nimis timuit in re salutis. Cautiùs

Digitized by Google

tiùs ambulat, rariusque cadit, cui etiam tuta suspecta sunt. Præsumptio omnis ruinę proxima est; & prudentiæ comes timor est. Tales excusatores similes iis videntur, qui phreneſi laborant, morbum non sentiunt, sanos etiam se esse arbitrantur, cùm ingenti intus ardeant flamma, & ferè morti proximi sint.

Corporalis demũ aliqua necessitas, qualis in infirmitate euenire solet, à non postremis quarundam regionum Religiosis & nescio qua veteri consuetudine adducitur. nimirum in auxilium ferendũ sexus ille pronior, ægrisq; fouendis curandisque accommodatior, ac natura quasi in solatiũ factus.

Ingeniosa omnis improbitas est. causas sceleribus inuenit, &, dum periculum suum amat, damna minuit, necessitatem auget, metum seponit; eo malo vicinior, quo securius propiusque inter flammas ambulat.

Certè si qua res alia, hæc periculorum plenissima est. virum Deo sacratum, sanctiore etiam castimoniæ voto obstrictum, muliebribus non tantum deliniri colloquijs, sed pudore posito, manibus cõponi, foueri, demulceri? & prudens credet virilẽ ignem,

se-

Digitized by Google

femineo hoc oleo iniecto non exurgere in flammas? credet veneno tangi. & innoxium illæsumque abire? aut virum morbo sexum omnem deposuisse, ac in feminam degenerasse? credet mulierculam non æstuare hoc contactu, aut hanc etiam virum factam? aut vtrumque in marmora & chalybem abiuisse, vt sine sensu ludant oculi & manus, & in mediis flammis congelascant membra saxa de carne nata?

Et vt pericula taceam, vbi pudor castimoniæ comes? nam quis nesciat multa in ægritudine intercurrere, quæ propiores liberioresq; manus & oculos poscunt; & salua castitate integris oculis, manu, pectore, ire quemquã in alienos contactus & aspectus? toties ponni componiq;, non iam lectum & stragulam vestem, sed membra & corpus, & lapidem semper esse, sensusque expertem?

At senior aliqua matrona est, ætate moribusq; matura. quasi nõ liberiùs in sene sine vteri metu peccetur: & dum timore pulso, minùs metuitur, celeriùs non labamur? & fors senior illa iuuenculam sibi sociam adiunget, vt quæ vno igne non potuit, duo-

bus

Digitized by Google

bus in viro exurgat flãma. Vna videlicet nõ satis erat ægro, & senior à valentiore iuuanda, vt mutua vicissitudine mutuos labores leuarẽt, & somno oppressa seniore, aut quacunque ex caussa absente, vicarias & auxiliares iuuencula, viridi adhuc robore & ętate, manus ægrotanti viro præberet, ac in extremis etiam necessitatibus, mater esse inciperet, quæ virum ignorabat; & materna ac sponsæ libertate, ægrienti manus admoueret, nec viriles tamen æstus sentiret, nec sexuum discrimina disceret, nec è virgine sua egrederetur, aut pudorem exueret. Nollem hæc miracula temerario ausu sperare; maximè cùm aliud omni historia sæculorum omnium doceamur. etiam in fuga pericula, quo magis in liberiore aspectu & contactu? ut eminus ignes exurgunt in flammas, de propinquo in glaciem? & in vasta eremo, Hieronymus & Nazianzenus, & tot olim magnorum millia per tot maria, & immania terrarum spatia, absentes, in longa macie, vigiliis, pœnitentiis exeso & emarcido corpore, hostiles hosce alterius sexus ignes enserunt. sed & è prima iuuenta, post qua-

Digitized by Google

draginta annorum consepultæ libidinis funera, in extremum senium, post tot intervalla, improbi ignes exsurrexerunt, idque valentiùs sæpe quàm in ipsa adolescentia: & de propinquo glaciem promittent? non veniunt hæc à cælestium amore, non ab anima diuinis ignibus calente. ab humani generis hoste veniunt: qui subdolis his insidiis quos aperto marte non potuit, in cautos, nimiaque fiducia sui laborantes trahit in interitum sempiternum.

Remedia:

AB exemplis petenda sunt, Sanctorumque monitis. Inter tot mulieres suas, solo aspectu alienæ cadit Dauid, & addit homicidium; ita non solet in vno crimine libido stare. Salomon addit voluptati idololatriam. Samson post tot fraudum exempla, sola ruina docetur. Ioannes & Paulus post quadragesimum & sexagesimum eremi annum miraculis clari in virgine cadunt; alter etiam cædem addit. & plenæ sunt omnes historiæ.

Fuga in his, & occasionum omnium vi-

Digitized by Google

tatio, certissima & tutissima victoria est.

Parcitas in loquendo, ac maturitas, ac ad severitatem magis, quàm ad suauitatem cõposita conuersatio, laudata semper à viris prudentibus fuit; & inutilium, ac non necessariorum colloquiorum resectio. priuatorumq; munerum acceptationes aut donationes, magna & prudenti circumspectione instituendę sunt: trahunt enim hæc sola memoria sui, & affectus mutua hęc donaria afflant, altiùs nõ raro, quàm vt modica cura & laboribus eruantur, imprimẽda.

Suspectissima omnia habere quęcunque hunc sexum tangunt, & minima etiam pro maximis arbitrari, leuissima pro periculo proximis, tutissimum genus est.

Nulli fidere, nulli te tuaq; credere; nihil committere, ad cuius euulgationẽ erubescas: nihil dicere, ne quidem inter confessionum secreta, quod non dictum velis, & aliquo etiam ornatu & mendacio vestiri.

Hostem si in omni muliere cogitaueris, ĩ venena, si flammas; non facilè te huic sexui credes: tange, & tanquam pice & tedio contaminaberis: intuere, tantùm non

Digitized by Google

periſti. nam ſiue vultum, oculos, vocem, ornatum, compoſitionem totam cogitaueris, inſidias & dolos & compedes & retia reperies incautis improuidiſque tenſa, quibus ſimplices animæ, & tantùm columbæ in fraudem inducantur, vt antè ſe captas videant, quàm pericula cogitauerint, & ſerò priorem libertatem circumſpectent parietibus clauſæ. Tantùm metue, & hoſtilia omnia cogita, & fraudibus periculiſq; ſuperior eris.

In Superiore maiore etiam opus eſt circumſpectione, quo huius exemplum abit ad plures, cùm licere ſibi arbitrentur inferiores quidquid in illo viderint.

In morbis maior etiam cautio adhibenda, quo ſub neceſſitatis prætextu ad nocitura deſcendimus. amputanda, ac tãquam nouacula ac falce omnis in his præſcindenda muliebris familiaritas, conſuetudo, viſitatio, colloquia. Plus enim in his periculi, quo minus timoris eſt. ille non facilè labitur, qui etiam in plano, aliorum infortunio doctus, ſcit ſe poſſe labi. temerarius ille eſt, & ruinæ proximus, qui inter pendula præcipitia tanquam

Digitized by Google

quam in humili decurrit. vir proinde viro decumbenti inuigilet, auxiliatriceſque manus, famulamque dexteram admoueat mulier nulla, ac ne ſoror quidem propiùs corpori ancilletur. quin & verecundia in Religioſo matrem ſubueretur, & vulgandi in illa pudoris ſui teſtem veretur.

Et ſanè indignum Religioſo & viro eſt, molliſſimis mulierc ularum manibus foueri. verùm mortis metus ad quæ non cogit? at conſultiùs longè mori, quàm his flammis ardere. & non deteriore morte cadit qui femineis ignibus decineratur, quã qui æſtuantibus febribus animam cõditori ſuo reddit?

Si inferior fuerit, fortiter reſiſtendum, muliebriaque hæc noxia ſubſidia validè neganda. dolet? mitius eſt dolere quàm muliebribus flammis exuri. mœrore obruitur? clementiùs hoc integitur, quàm ignibus inſepelitur. conſtanter proinde arceat hunc ſexum, nec vllis ſe precibus vinci flectiq; permittat Superior, rationem de concredita ſibi anima Deo redditurus. & non melius eſt modicum hîc ingemiſcere, quàm in æternis ignibus, nequidquam medicam diuinã ma-

num inclamare, olim mitem, olim etiã patris ac matris, nunc post muliebria hausta venena, solius in vindictam iudicis, & severi, hectiq́ue æternùm nescij iudicis? Pius sanè per omnia ille Superior, amantissimusq́ue suorum est, qui momentanea hęc feminea solatia æternùm nocitura negat. durus ille est, qui peritura hæc solatia æternùm peremptura admittit.

CAPVT XXXIX.

Frequentes & prolixæ fœminarum confessiones.

INgentium non in Religione tantùm, sed in omnibus qui excipiendis confessionibus occupãtur, malorum origo. è qua propè quidquid excogitari potest vitiorum nascitur, maximè cùm eædem frequentiùs audiuntur, plurimúmque in ijs temporis impenditur. crescit enim è consuetudine familiaritas, è familiaritate libertas; & qui priùs ad mulieris vocem erubescebat, nunc pudore sepositò, etiam intueri & arridere non reformidat, & ad liberiora etiam verba, risum iocosq́ue prouocare. sequũtur di-

Digitized by Google

eorum factorumque narrationes prolixiores, & ferè sæcularibus permistæ: ac tandem è tam crebra, frequentia, domestica quasi quædam licentia; nec iam tantùm patris, sed & fratris, & perfamiliaris amici personam induit. inde metus, omnis pudicitiæ custos, exulat; & dum pulso timore, maliq; suspicione detersa, tanquam cum filia pater, aut veriùs tanquam cum eiusdem sexus amico versatur, ferè incautus antè cecidit, quàm muliebria hæc præcipitia prospexit; anteque in feminea retia, & insidias prolapsus est, quàm pericula prouideret.

Scio sub prætextu spiritualis necessitatis colloquia primò ferè trahi, & non rarò etiam affectu pio: sed qui improuidos, zeloq; minùs prudenti ducat in ruinam. & plerumque pulchra hæc velamina improbæ rei prætexuntur. nebulæ hæ sunt, quæ diuinum solem mentium oculis excludunt, precipiuntque meliores diuinæ lucis radios, quibus & amoris & timoris diuini verior lux animis prælucebat; qua subducta, tãquã per incertũ noctis medias inter tenebras mens cõuoluitur, ignara iã sui, periculorũq; suorũ

Digitized by Google

Nam vt quis credat tam crebra prolixa
que in illo ſexu colloquia de Deo, deque ſa
lute ſola eſſe, integraque hæc caſtimoniæ &
modeſtiæ fama ſtare, ſtolidum potiùs, quàm
vanum eſt. magis etiam ſi credat, in tãta fre
quentia primam verecundiam, cautelam
prouidentiam, metúmque conſiſtere. nam
quæ primis congreſſibus modicis & rariori
bus hærebat mens dubia, pendula de euen
tu, nec ſibi ſatis fidens, adeóque & tuta om
nia timens, ea aſſiduitate & conſuetudine
damna nec videt, nec veretur. familiaria e
nim ſibi, ac quaſi domeſtica pericula cùm
fecerit, ne ſentit quidem: arbitreris occaluiſ
ſe ad hæc venena, quæ quo minùs timentur,
eo nocentiores aculeos figunt, nulla poſt
modum arte medicandos, nulla refigendos.

Accedunt aliorum in ſimiles familiarita
tes æmulæ propenſiones, cùm ſinguli ſibi li
cere arbitrantur, quod vni permittitur. hinc
frequentiſſima naſcuntur colloquia; & cõ
feſſionum ſedes, narrationum & fabularum
fiunt ſedilia: vt tales videas ab his ſedibus
redire plenos nouarum rerum, dictorumq;
factorúmque aliorum; illas etiam domum

Digitized by Google

re-

referre domesticas propè res omnes. ita mutuis narrationibus, quasi mutuę beneuolentiæ tesseris mutua necessitudo firmatur, in intimæ cuiusdam fiduciæ testationem. narrantur deinde vtrimque audita domi; illæ quæ à Confessariis acceperunt, profundunt in sociarum sinum: Confessarij in sociorum. & ne desit quod dicant, eidem singuli insistunt semitæ: nec pericula plurimis aut omnibus iam cõmunia timẽt, nisi post lapsum.

Plurimorum deinde tam externorum, quàm domesticorum suboriuntur offensiones, qui tam crebra ac diuturna earundem mulierculariun intuentur colloquia, & deteriora cogitant: & res ipsa grauem non bonarum cogitationum materiam suggerit.

Iam cùm non omnibus eadem familiaritatum officia præstentur, exurgunt reliquarum æmulationes, obloquia, suspiciones prauæ: quæ ex suo ingenio cùm alias metiãtur, perfacilè vident, ex his lignis & ignibus non nisi metuenda incendia nasci. cúmque non ignorent necessitudinum harum pericula, quæ ipsæ fortè non semel passæ, eadem in alijs carpunt: & vt naturâ in omnem de-

Digitized by Google

terrimarum rerum ſuſpicionem pronæ ſunt, factæ ex ſeipſis magiſtræ; peſſima quæque & ominantur & narrant, non ſine grauis Confeſſarij talis dedecore. quod etiã in vniuerſum corpus redundat, & vnius iam delictũ abit in omnes; cùm vniuerſim Ordini, quorundam delicta tribuuntur. neque quiſquã ſibi perſuadet, Ordinis non eſſe, quæ aut annuentibus Superioribus, aut non emendãtibus eueniunt.

Grauiſſimum verò eſt, ſi ipſi Superiores hoc malo laborent. quorum facta documẽta, ac propè præcepta reliquis ſunt, ac quaſi ad imitandum imperia. nec iam delictum putant inferiores, quod Superiore duce faciunt, nec pericula metuunt illo præeunte.

Et ferè quidquid vnquam in Religione malorum, quidquid lapſuum natum eſt, ex hac crebra diuturnaque, confeſſionis, aut ſpiritualis documenti prætextu, cum ijſdem mulierculis collocutione ortum eſt. Vt maxima eorum pars, qui deſerta vocatione ſeculum petierunt, ac in ſcelera antè, aut non multo pòſt prolapſi ſunt, ex his initiis ad extrema illa malorum deuenerint, paucíque adeò

adeò non tantùm ad carnem & ſanguinem, ſed ad reliqua vitia & ſcelera deuenerunt, qui non ex hac frequentia ad præcipitia hęc deſcenderint. nam & munera hinc originem ducunt, & variarum detractionum ingens vltro citroque materia enaſcitur. euulgantur domeſtica omnia, nec quidquam tam reconditum ſanctumque, quod mulierculæ non committatur, & inter hæc, pœnitenda non rarò, ac nulla in poſteritatem arte eluenda: ſequuntur feminarum viſitationes, & ſociorum in ijs fuga & vitatio: ſæculares deinde mores, nimiaque in delationibus credulitas, & his non inferiora plurima. quæ omnia ex hac frequentata confeſſionum prolixitate noxia fœcunditate pullulant, infelicis ſeminis infelicia germina, in Religionis interitum nata.

Et ſanè indignum viro docto, religioſo, & ad maiora nato, paucis mulierculis tantum temporis vitæque impendere, tot horas malè locare; ne aut deſtituamur illis, aut plures conciliemus, ipſi antè illaqueandi, & ſub pulcro hoc ſpiritalis auxilij velamine, muliebribus retibus implagandi. maximè

Digitized by Google

cùm alliciendi placendíque hoc ſtudium, ſine domeſticorum offenſione non tranſeat: cùm mutuæ hinc naſcantur æmulationes, metus, mutuíque ad ſe has illaſue pellicien-di conatus. quas res non infrequenter contemptus Confeſſariorum ſequitur. neque enim fieri poteſt, quin inter hos conatus, prolixáſque ſermocinationes, aliquid minùs prudens, minùs religioſum, minúſque generoſum ac virile elabatur, vicatim poſtmodum non ſine rubore effundendum.

Remedia.

A Superiorum vigilantia, & ſolerti induſtria petenda ſunt: qui ſi in omnem partem excubauerint, non magno negotio mala hæc diſcutient, maximè ſi ſeria acceſſerint monita, atque in delinquentes pœnitentiæ.

Si poſt ſecundam tertiámque monitionem emendatio non ſucceſſerit, tentanda erit loci mutatio. quòd ſi nec mutatione mores mutauerit, ab omni fœminarum confeſſione arcendus erit.

Proderit etiam tales variis occupari, & aliis

Digitized by Google

lijs potiùs, quàm excipiendis cõfessionibus distineri; aut sanè tot negotijs muneribúsque obrui, vt vel tempus desit prolixioribus hisce colloquijs.

Per Præfectum etiam spiritus tales iuuandi erunt, ac per frequentes spiritales annuas recollectiones.

Consultum etiam erit aliquoties hos in anno aliorum negotiorum prætextu ad alia loca destinare, vt aliorum moribus paulatim assuescant pœnitentes, & desuescant illius, à quibus etiam, captata occasione, pericula docenda erunt, damnáque, quæ ferè crebras diuturnasq; confessiones sequũtur.

Vniuersim etiam iuuabit, si à Superiori familiari aliquando colloquio, aut recreationis tempore exempla narrentur eorum, quæ & plurima & grauia sunt, qui è talibus initijs in grauissima quæque, ac demum ad Religionis desertionem delapsi sunt.

Iuuabit etiam cogitatio præsentis Dei, omnia intuentis, & ad iudicium adducentis. finem etiam prolixarum harum confessionum examinare. si spiritalis est, cogitet plus semper periculi his annexum, quàm spei bo-

bonæ, maioraq; vtrimq; damna quàm bona data relataq; esse. si temporalis alicuius commodi, meminerit Deum se habere patrem, qui vigiles serioſq; regularum obseruatores uon destituet in inopiam: cogitetq; plus semper maturitate morum, paucorúmque religiosorum verborũ pondere, quàm prolixis mollibúsque colloquiis parari.

CAPVT XL.

Feminarum visitationes.

QVocunque demum prætextu illæ fiãt, noxiæ in primis Religioso sunt, ac omnium etiam maximè confessario; cui modis omnibus expedit plurimum verecundiæ pœnitentibus suis ac venerationis inhærere: vt eum nulla pœnitens mulier sine rubore audeat intueri, aut sine verecund. a extra confessionis tempus adire, aut loqui: vtque eam rerum, quas in confessionẽ tractauit, memoria, perenni quadam verecundia ac veneratione, à Confessarij familiari congressu terreat. eueniet alioqui, vt familiaribus colloquiis & pudorem paulatim & ve-

ne-

neratione exuat: ac vbi quædam in Confessario, quod perfacilè in familiari consuetudine fieri consueuit, minùs aut religiosa, aut infra conceptam æstimationis spem deprehenderit, incipiat contemnere, quem antè venerabatur vt patrem.

Nec rarò euenire solet, vt familiaritas hæc visitationibus parta libertatem confitendi tollat, maximè si quid grauius, aut verecundum interceserit, cuius memoria præsentiam Confessarij vereantur; aut sanè inuerecundiam quandam ingeneret: vt quæ antè non nisi ingenti rubore in ipsa confessione, nunc etiam in familiari colloquio inuerecundè exprimant, vt meritò moneat Ecclesiastes c. 9. & ab omni familiari congressu, in quo ferè liberiùs excurrunt oculi, terreat: *Speciem mulieris aliena multi admirati, reprobi facti sunt: colloquium enim illius quasi ignis exardescit.*

Visitationes deinde illæ, quid nisi ingentium malorum materies sint, ego non video, miscentur verò vltro citróque colloquia, ridetur etiam, & liberiores decurrunt oculi, omnisque paulatim pudor detergitur;

cur, gestus solutior, cachinni, ioci, narrationésque subsequuntur minùs religiosę; pedetentim deinde socios testesque dictorum factorumque fugimus, & solitudinem amamus, ambimus etiam. prosiliunt ex hinc colloquia familiariora: nõ qualia inter patrem & filiam reuerentem & pudicam, sed qualia inter maritum & cõiugem, vt nullus iam pudor verbis, ac non multò pòst nec factis. semel verò pudore pulso, quàm grauia metuenda sint nemo non videt: quæ enim primò ad Confessarij, tanquam serij ac grauissimi parentis, vocem expauescebat; nunc in illius oculis & vultu, tanquam in mariti, aut fratris, aut sororis ludit, iaculaturque non rarò, etiam ignara, potentia fulgura, ossium medullas exedentia, hauritque vicissim non castos ignes: & antè vtrimque flammæ exurgunt, quàm scintillas senserunt. prudenter Sapiens Eccli. 42. *In medio mulierum noli commorari: de vestimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri.* & Basilius de vera virgin. *Cum femina semper esse, & feminam cognoscere: plus est quàm mortuos suscitare.*

Neque in vnius visitatione sistitur. plures

res adeundæ, ne exurgant inter non impares æmulationes, ne se deserras querantur; ne postpositę, ad alium Confessarium animum adiiciant. Ita cùm plurium visitationibus Confessarius distinetur, plurium paulatim ardet flammis, plurium perçussus vultu, oculis, gestu, voce.

Offensiones ex his nascuntur exteriorū sanè graues, & grauiores offensionibus suspiciones: ingentiaque exurgunt scandala oblocutionesque, & deteriores factis narrationes. nec auctoritati tantùm multum decedit, sed vniuersa tanquam spongia detergitur. & quidquid antè collectum boni nominis, tanquam flumine delerur: vt nulla iā verbis fides, nulla monitis auctoritas, fiducia nulla sit. omni probitatis, sanctimoniæ, castimoniæ opinione depulsa.

Domesticorum etiam aut offensiones, aut, quod deterius, imitationes subsequuntur. ita proni omnes ad deteriora sumus. & delectat sequi, ad cuius cogitationem sine exemplo perhorrescebamus. erubescebamus antè, & timore septi, nec verbo visitationem aut colloquia sustinebamus: accessit

Digitized by Google

sit exemplum, & proni in illa ruimus; lan-
demque etiam venamur, ad cuius antè no-
men rubore suffundebamur. tantum dux
potest & exemplum, maximè in iunioribus,
quibus nondum per ætatem, rerumque pe-
riculorum; experientiam aduersus has il-
lecebras robur inualuit. Nec quidquam fa-
cilius, quàm teneras ceruices, ac quasi de
matris etiammum lacte, flectere in quam-
cunque partem, rapereque ad hæc mulierũ
mollia & blanda, non vno magnorum et-
iam & primorum orbe toto virorum nau-
fragio infamia. vt nihil mirandum, si in illos
scopulos imperiti naucleri, & tempestatum
fluctuumque inexperti illidant ratem.

Serpit deinhæc visitationum frequentia
ad reliquos, ac totæ iam domus effundun-
tur ad illas, pietatis ferè aut commodi ali-
cuius prætextu: ita ferè electibilibus venena
miscentur; nemo illa absynthio aut felle
miscuit: quæ gustui in primis amica, toxico
ab inimica manu natant. facit idem diabo-
lus, spe spiritualis emolumenti ad hasce mu-
liebres visitationes inhortatur, ad epulas re-
gera basiliſci, ad venena molli sibilo tecta.

Digitized by Google

ne fide, quisquis Deum amas. altè hic serpés habitat. iaculabitur toxica opportunitate nacta. & vbi incautus fiducia tui extra omnẽ metũ fueris, altiùs venena hauries, quã vt illa vlla medica manus depellat; seroq; ingemisces, & nihil profuturas lacrymas, irritaque suspiria dabis, cũ intima depasta senties; ac nõ nisi cũ anima nocitura deuomes.

Neque consistere hoc malum in vno potest. prouocatæ enim vnius alteriusue proritamento reliquæ, ac quadam æmulatione sociarum, eadem concedi sibi à Confessariis suis poscunt, quę aliis eucnire vident, negat aliquis? deserto hoc negatore suo, decurrent ad liberalem illum visitatorem, à quo paria sperent ac consequantur. à quibus initiis ingentes animorum nascuntur dissensiones, ac in tacita quædam, ac aperta tandem odia abitur.

Remedia.

IN solidum omnes omnino visitationes muliebres secare consultum erit, nisi aut certa ægritudo, aut grauis aliqua necessitas aliud deposcat.

Propendentes in eiusmodi quà monitis, ma-

Digitized by Google

magnorumque non in vna Religione lapsibus, miserandisque in omnem posteritatem ituris exemplis, quà pœnitentiis coërcendi, loco etiam mouendi, audiendisque confessionibus excludendi.

Transgressores in aliorum exemplum & terrorem graui pœna mulctandi, nullique quacunque prærogatiua fulgeat, eruditionis, pietatis, ætatis, dignitatis in hoc genere parcendum. neque vlla nimia hîc seueritas esse potest. vt ille clementissimus censeri debeat, qui fortissimè punit, sæuitque in noxium membrum, ne contagione huius vniuersum corpus periclitetur.

In necessariis ægritudinum visitationibus, si perpetuus fidus Religioni socius claudat latus, oculosque in omnem partem intentos habeat, magno in omnibus securitati adiumento erit.

Iam vt frequentior mulierum visitatio, tanquam venenorum attrectatio, noxia est, ita sæpiùs ab iisdem visitari non minori periculo subiacet. Quare non inferior in hac re Superiorum prouidentia, vigilansque cura quàm in priore necessaria erit.

CA-

Digitized by Google

CAPVT XLI.

Sociorum fuga & vitatio.

VIa hæc est ad ruinam multorum, magnorumque lapsibus infamis in Religione scopulus, maximè cùm de mulieribus agitur: in quarum consuetudine ac familiaritate, qui sociorum vitat præsentiam, hunc ruinæ proximum esse, necessarium est. Multis hoc in omni Religione exemplis, veteribus recentioribusque doceri potest. Iam, si proba, si casta, si timore Domini munita conuersatio nostra est, quid sociorum veremur oculos? Amare potiùs debemus socios dictorum factorumque, & innocentiæ nostræ testandæ, ac vitandorum periculorum, scandalique & suspicionis in aliis auertendæ causa. Securos enim tutioresque nos reddunt ab improbis callidisque mulierum illecebris, & ab æmulorum, inuidorum, ac odio etiam Religionem persequentium liuoribus & malignitate. Quas enim non possunt, inuidia, aut nominis nostri odio flagrantes, aut alicuius priuati viri magni, calumnias struere? quibus nõ criminatio-

Digitized by Google

tionibus obruere, si innocentiæ testes absint? & quomodo innocentia contra improbitatem se tuebitur testibus destituta? Optare proinde prudens omnis actionum suarũ testẽ debet; & erubescere ac exhorrescere, quoties solũ se quocũq; locorum, muliercula, sponse an fortuitò deprehenderit.

Iam cùm nusquam aduersarius desit quærens quem deuoret, omnémque occasionem capiat; magna illi à socio remora iniicitur. nam vt flammas, & medicata libidine tela iaculetur, accendátque non casto pectus igne; non erumpit tamen flamma: cùm sociorum vigilantia, tanquam iniecto flumine restinguitur hic ardor, & quasi obiecta rupe repercutitur, foras fòrs erupturus ni repercussionem reperisset.

Quid? quòd ipsa non rarò forma, & secreti securitas nimis magna incitamenta sint ad reconditas multorum sæpe annorũ flammas excitandas. Incredibile enim dictu quantum momentum ad scelera secretum adferat; vt, si publicationis timorẽ inijcias, maxima facinorum pars corruat. neque quisquam facilè ad vulganda decurrit: se-

cre-

Digitized by Google

cretum crimina amant, quæ tamdiu appetuntur, quamdiu celanda sperantur. vt primùm vulgationis metus incussus, tanquam iniecta frigida cor gelascit.

Cùmque in omni hominum genere plurima exstent exempla non vltimorum virorum, qui ex incomitata hac fiducia, aut periculis & præcipitio proximi fuerunt, aut nulla prouidentia, ac pœnitudine reparanda damna acceperunt, nemo paulò prudentior illorum exemplis edoctus ad vltronea hæc discrimina se abiiciet, magis etiam mecùm cogitauerit, non vnum ardentis mulieris fraude circumuentum non semel, ad Iosephi illius magni necessitatem adactum fuisse: cùm etiam mentita corporis inualetudine animi morbum mulier proderet, & alliceret non ignotis huic sexui illicibus prouocamẽtis, in omnẽ molitiẽ cõpositis, cadentibus calidè crocodilæis lacrymis in interitum fusis, traherétque reluctantem, & ad periculum suum admirabundum, ac ad solitudinem suam serò propè trepidantem.

Et plures omnino spectatissimæ probitatis vidimus, quos non vnæ muliebres in-

sidiæ

sidiæ cautiores, & tuta omnia timentes dederunt. quid? quòd intentatæ non semel fraudes ab iis, quarum castimonia nulla vnquam vel tenui suspicionis vmbra notata fuerat? Quò cautiùs hîc procedendum: nec ætati, nec probitati, nec sanguini, ac propinquitati fidendum. Vbicunque solitudo est, damna metue, subduc ratem, sequentur tempestates: portumque pete, dum integra naui potes; ne dum voles, insurgentibus indignabundis femineis fluctibus, excludaris littoribus, & frustra tetram spectes, irretitus malis, vndisque immane voluentibus delassatus, & ab inenatabili hoc profundo absorptus, sera ô nimiùm pœnitudine. Prudens nauclerus subducit nauem tempestati; fatuus immittit, & in medio cursu, fluctibus ludibrium factus, sorbetur nequidquam opē socioque circumspectans: retulit nimirum audaciæ præmium, exemplum posteritati factus, temerarij ausus. nec est periti medici curationem ad extrema reiicere, dubio plurimùm euentu, certo periculo præcauere cùm potest morbum, medicáque antè currere manu prudentis est. non est generosi mili-

Digitized by Google

militis, per ludum risumque, in vltronea se discrimina conijcere nulla spe gloriæ, dubio infelicis successus metu. & quis prudens explicabit vires, vitam, sanguinem, emolumẽta si subtrahas, solaque damna miniteris? cãpum virtus desiderat, non indignum amplitudine sua. vltrò non accersit pericula sapiẽs præmio frustrandus. si se obtulerint, si incurrerint; fortiter excipiet, doctus antè animam ponere quàm cedere. Imitabitur Religiosus. non committet animæ suæ ratem infidis muliebris oceani fluctibus: nunquam certiùs sorbent quàm dum ludunt, dum serenitatem mentiuntur. auxiliaribus hîc opus est copiis. nemo se fluctibus committit solum vitæ suæ prodigus, socias adiungit opes frangendis illis domandisque: euentuque eminusq; licet minitabundo, occurret morbo, nec vulnera exspectabit in medelam: nec periculis se temerarius obiiciet, præmio nullo, damno in interitum, ingloriamque mortem ruituro.

Præbet sanè sociorum deserror iustam superiori causſam ingentis diffidentiæ. vt nihil iam illi tutò credat, qui post magnorũ

Digitized by Google

incauta præcipitia eadem aggrediatur. ſignumq; omnino eſt aliquid ipſum moliri, quod ſecretum poſtulat, publicari timeat non poteſt hoc à virtute naſci, quæ nec teſtem, nec proditorem ſuum veretur. & ſeriò monemur ab Apoſtolo Ioan. 3. *Omnis qui malè agit odit lucem, vt non arguantur opera eius: qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifeſtentur opera eius, quia in Deo ſunt facta.* non erubeſcit manifeſtari veritas, amat lucem. Fortiter idem Apoſtolus: 1. Ioan. 1. *Quoniam Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ. Si dixerimus quoniam ſocietatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus; mentimur, & veritatem non facimus: ſi autem in luce ambulamus, ſicut & ipſe eſt in luce, ſocietatem habemus ad inuicem.* Hanc ſocietatem altè imbibimus, cùm illã ſociorũ præſentia teſtamur. neq; certè talis aut offendit in tenebris; aut per nocturna præcipitia delabitur incautus, cũ diem ſecum habeat ſociũ: ſol enim cuiq; dieſq; ſocius eſt.

Et vt periculum abſit, non conſulitur ſocij integritati: cùm non vnus excluſus à ſocio pericula adiuerit, damnaque tulerit, nec quam innocentiam domo ſociatus extu-

le-

lerat, desertus à socio retulerit. vt meritò hîc illud Prophetæ dici possit: Ezech. 33. *Si speculator viderit gladium venientem, & non insonuerit buccina, & populus se non custodierit, veneritq; gladius, & tulerit de eis animam: ille quidem in iniquitate sua captus est, sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram*. Speculator omnis socius est: à cuius manibus deserti in interitum socij animam iure deposcet Dominus. Neque tot exemplis doctus ignorare pestiferum solitariæ mulieris gladium poterat. Et vt periculum vtrimque absit, mali tamen suspicio abesse non potest, quæ sola famæ lædendæ sufficit. quam quisquis sapit fugiet, memor plurimos hostium calũniis oppressos, ingrato exitu vitam finiuisse. neque se tantùm sociumq;, sed Religionem vniuersam in nominis discrimen vocat, cùm vnius delictum transeat in omnes. quid? quòd inusta semel macula, ferè æternet, nec vlla temporis aut æternitatis spõgia deleatur. Plurimũ deinde propagandæ proximorũ saluti obesse hæc res solet: cùm ex captata solitudine, sociorumq; fuga, in plurimorum animis nascãtur non castarum co-

Digitized by Google

gitationum opiniones: hinc fuga, à non castæ consuetudinis timore, vt minùs iam audenter se suaque fide talium committant.

Remedia.

A Seria periculorum consideratione petenda erunt: ab exemplis etiam nō postremorum virorum, qui pedetentim his initiis ad malorum extrema deuenerunt. Neque potest desiderata hæc cum mulieribus solitudo, ac sine teste collocutio aut carere periculis, aut ab alio animo, quàm lapsui proximo proficisci: nam qui testem refugit, aliquid necessum habeat, quod ignorari desiderat, quódq; vulgari metuit. qui enim sua omnia non veretur propalari, nec magis oculos humanos timet, quàm omnia videntis Dei; is gaudebit etiam testium multitudine, eo magis extra periculum & calumniā futurus, quo plures habuerit dictorum factorúmq; suorum inspectores ac cēsores.

Denique sociorum hæc associatio prodesse, non obesse potest; vitatio obesse, non prodesse potest. ac tuta semper in re salutis, dubijs, periculóque plenis præponenda sunt.

Digitized by Google

sunt. In rebus huius sæculi fortunæ se fòrs exponere aliquis possit; in animæ & salutis, stolidum est, intuta dubiaque sequi, tutioribus neglectis.

A Superiorum deinde vigili cura remedia petenda sunt, vt nullum incomitatum dimittat; non ætati, non eruditioni, aliisque donis præsidens sine teste quemquam patiatur: tutissima deligat; neque aut suos, aut Religionem in æstimationis discrimen adducat. Quòd si quem in hoc genere deliquisse deprehendat, det operam vt non impunitus abeat, maximè ne exemplo vnius, reliquis ad audẽda paria strata videatur via.

Consultum etiam fuerit amouere tales munere & loco, neque permittere, vt diutiùs in aliqua sede pedem figant, ne dum alicui diutiùs affiguntur loco, consuetudo & familiaritas enascatur, quã non rarò secreti captatio sequi solet, maximè in iis, quos in hanc rem propensiores experientia docuit: quo magis illis inuigilandum, & ignibus his materia subtrahenda tempori est, ne ad remedia decurramus, cùm flamma domũ occupauerit, ac possederit vniuersam. Princi-

Digitized by Google

pijs leui manu malis occurritur. quòd si inualuerint, nec toto restingui flumine, nec vlla aut arte, aut scientia auerti possunt, vt à sola demùm sectione medela sperari & possit & debeat.

Amorem in se excitet vocationis salutisque suæ, nec magno molimine femineos hos vitabit scopulos, nec allidet ad hęc breuia salutis suę ratem. solaque integritatis instituti fama, omnem Religionis amatorem ab his cogitationibus auocabit: maximè si sibi periculorum vndique circumstantium magnitudinem seriò proposuerit. in quibus à socio destitui idem est, ac si quis ingenti vndique hostili exercitu obsessus, armis ac propugnaculis se exuat, nudumque ferro latus obijciat, cùm socius cuique pro armis ac propugnaculis sit. Timeat proinde, diffidat exarmato robori suo. Eccli. 25. *à muliere* enim *initium peccati, & per illam omnes morimur.* non se suaque credat illi quisquis sapit, memor Sapientis Eccli. 9. *Ne des mulieri partem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtutẽ tuã, & confundaris*, nulla verò maior certiorque occasio in virtutem ingrediendi, ac tanquã sub

ſub iugũ mittendi, quàm cùm ſolitudo amplum illecebrarum campum præbet. cùm ſemotis teſtibus, liberiùs illices excurrunt oculi, mollia natant labia, frons in dolũ exporrigitur, tot compedes, laquei, retia, quot verba, magis etiã ſi fluãt tanquã à crocodilo lacrymę. Pr. 5. *nouiſſima* enim *illius amara quaſi abſynthiũ, & acuta quaſi gladius biceps, pedes eius deſcendunt in mortẽ, & ad inferos greſſus illius penetrant.* Careret omni hoc periculo, ſi non careret ſocio. & ipſa ſæpe ſolitudo è caſta, non caſtã dedit; nec permiſit quę intrauerat innocuã innocentiã exire. Cauebit proinde ſeriò quiſquis Deum, vocationẽ, ſe, ſociumque amat, ne vel momẽto inſociatus mulieri adhęreat: cogitet nullũ propè lapſum ſociato eueniſſe, omnem inſociatis accidiſſe. Et iã olim monet Hieron. *Si propter officium clericatus, aut vidua viſitatur aut virgo, nunquam domum ſolus introeas:* &, *Solus cum ſola ſecretò & abſq; arbitro vel teſte non ſedeas.* & Auguſtinus Epiſt. 109. *Vbicunq; ergo ſimul eſtis in Eccleſia; & vbicunque femina ſunt, inuicem veſtram pudicitiam cuſtodite. Deus autem qui habitat in vobis, etiam iſto modo cuſtodiet vos ex vobis.*

Digitized by Google

CAPVT XLII.

Indeliberata agendorum resolutio, & executio.

QVæ ferè præcipitio proxima est. lapsum sanè de propinquo minatur: neque enim præuideri res omnis tam subitò, aut illarum circumstantiæ possunt: quarum neglectu labimur frequenter in pœnitenda. Prudens omnino seriò res, & quidquid illas circumstat, discutit, propinquâ scrutatur & remota, nec præsentia modò, sed & futura, & quidquid è talis similisue rei delectu, tanquam principiis semel positis, sequi consueuit, aut probabile secuturum est. quę qui negligit, rei nominisq; sui adibit discrimina nõ leuia, cogeturque sententias suas ingenti sæpe rubore, famæque non vulgari iactura retractare, faterique errorem suum: non fuisse nimirum hæc aut illa à se præcogitata, negligentem discussionem, præproperam executionem, & vetus illud imprudentiæ, Non arbitrabar, non putabam.

Grauis hic error in Superiore est, qui & iudicis & medici personam præfert; grauiaque ex hoc damna tam vniuersim, quàm sin-

Digitized by Google

singillatim dari solent.

Exempla in omni hominum genere reperies, militiæ Ducibus, Regibus, viris magnis: quorum plerique præcipiti hoc consiliorum delectu, se rempublicamq; vna ruina sepelierunt. Nec desunt exempla in Religionibus domestica, non tantùm temporalium rerum damno, sed magnorum virorum etiam præpropero exitu, dum in ferendis sententiis præcipites Superiores innocentes, magnosque, & Religionis gloriæ natos, vno propè momento euerterunt.

Fugiet proinde prudens Superior hos temerarij ausus scopulos, & indeliberata præcipitia. Si accusator aut delator accesserit, perpendet singula, nec intactum quidquam à discussione relinquet: disquiret num quid humani hîc intercurrat affectus; num quis proprius ludat amor; num quæ inerret æmulatio; acceptáne, aut data iniuria; verbóne, aut facto læsus; num audita tantùm, & ab aliis narrata. ingenium etiam vniuscuiusque tacitus secum discutiet; num pronus in credulitatem, in delationem, augendis rebus, etiam supra fidem extollendis assuetus,

Digitized by Google

pronus ad ſuſpiciones: ſimul etiam quis ille, cuius nomẽ defertur, qua ante hoc tempus fama, qua integritate, quibus impræſentiarum moribus, qua fide in rebus verſetur: qua apud domeſticos externoſque exiſtimatione. nec erit difficile ſingula ſingulis, conferendo, aliquid aut veri, aut probabilioris rei ſagaci indagatione cognoſcere.

Illud in primis vtile, lentè in omni hac re progredi, nec quaſi vno filo rem exequi, ſed temporis aliquid intermedij concedere, ſi quo modo res moram patitur; ac per interualla ad illam accedere. Matureſcunt ſæpe res mora, & conceſſum tempus veritatem retegit: cùm multa frequenter intercurrant, quę deliberantem quaſi ducta manu ad deſtinatum veri ſcopum adducunt.

Habet hoc etiam locum in priuatis. & plurimùm callida conſilia ſæpe noxia ſunt, maximè in rebus magnis, in quibus ferè grauiſſima incommoda altiùs habitãt, ac in imo latent, quæ non facilè, niſi mora eruas. tempus depoſcunt, quę conſepulta profundiùs iacent, vt in ſolem lucemq; educantur.

Quare in omni re, quæ quoquo modo mo-

Digitized by Google

moram permittit, à præpropera ſententiæ cauendum eſt, difficultateſque ac diſcrimiña animo ſuo proponenda: & quidquid metus, prudentiæ comes, ſuggerere poteſt: pluſq; ſemper aliquid timori, quàm nimiæ ſpei largiendum. minùs enim plerumque metus, quàm confidentiæ peccatũ eſt: faciliorem q; timor veniam, quàm præſumptio meretur. ac ſæpè quam timor culpam contraxit, diligentia emendari poteſt: confidentiæ delicta perquàm rarò emendes.

Bene Sapiens Prou. 26. *Vidiſti hominem ſapientem ſibi videri? magis illo ſpem habebit inſipiẽs.* Olim hæc verba D. Bonauentura de 6. alis, c. 7. *Stultus enim ſibi non confidens, quærit conſilium à ſapientibus, ne decipiatur: ille autem de re plus quàm debet, præſumit: etiam vbi errat, rectè ſe plerumq; ſentire deceptus putat. Inter omnes autẽ tentationes, videtur iſta periculoſior cuique Chriſtiano, ſcilicet proprio ſenſui nimis inniti. Cũ enim nemo reperiatur ita perſpicacis intelligentiæ, quin poſſit in aliquibus falli; qui hoc ſolum & totum reputat iuſtum quod ipſe ſenſerit, aſtuto aduerſario ad varias ſeductiones ſub ſpecie boni, liberum aditũ pãdit. vnde cautum eſt ſemper rectori conſilia*

Digitized by Google

libenter audire, & humiliter quærere. Et in hoc triplex vtilitas consistit. Primò, si alij idem sentirent, quod & ipse, securior est quòd non decipiatur. Secũdò, quidquid fecerit cum prudentium consilio, si aliquid inde euenerit contrarij, minus ei poterit imputari, quàm si de suo tantùm sensu id fecisset. Tertiò, quòd sæpe in merito humilitatis talis Deus det ei agnoscere per se, vel alium, quod antè non intellexit. hinc Moyses, cui Deus facie ad faciem loquebatur, consilium Iethro soceri sui gratum habuit & seruauit. Sunt autem duo genera hominum, quorum consilia prudens rector non facilè debet recipere, scilicet adulatores & detractores. primi istorum seducunt eum, vt magis de se, quàm expedit præsumat, iuxta illud, Isa. 3. Qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant. Secundi inducunt eum vt peius quàm debet, de aliis suspicando sentiat, & sæpe innocentes condemnet, priusquam veritatem rei plenè cognoscat, dicente Scriptura, Aures principum simplices, & ex sua natura alios æstimantes, callida fraude decipiuntur. Et malis quorundam suggestionibus regum animi deprauantur, vt eos, qui credita sibi officia diligenter obseruant, & ita cuncta agunt, vt omni laude sint digni, mendaciorum cuniculis conentur subuer-

te-

Digitized by Google

tere. Heſt. 16. *Cùm autem tribus de cauſis ſoleas requiri conſilium, ſcilicet propter emendationem, vt diſcatur de quo dubitatur: propter auctoritatem, vt magis habeat vigoris, quod per tales conſultum fuerit: & propter pacem, ne habeant aliqui occaſionem murmurandi. propter primam cauſſam conſulendi ſunt prudentiores; propter ſecundam nominatiores; propter tertiã, ad quos negotium pertinere videtur.*

Quiſquis proinde prudenter inſtituere res volet, conſilia in re ſua aliorum ſcrutabitur & ſequetur. ſic enim fiet

Primò, vt ſententiæ ſuæ contra obtrectatores habeat propugnatores, quos fòrs habiturus erat oppugnatores. ferè enim omnes in contemptum neglectum rapiunt; & præteritos, ſpretos fuiſſe arbitrantur. quare probiſſima licet conſilia damnant, probaſſent conſulti, improbant neglecti. Quin adeò, quos aduerſarios & ſententiæ tuæ hoſtes habes, ſi in cõſilium adhibueris, flectes, & plurimùm quò voles, duces. tantum poteſt aliorum iudiciis detuliſſe. negligis? hoſtes iuratos cogita. qui ſi aperto marte aut non audent, aut non poſſunt; ex inſidiis, optima etiam ac laudatiſſima quæque, ſi alia

Digitized by Google

negata via est, structis variè calumniis subuertere conabuntur.

Secundò, ne facilè aliorsum à vero certoque labaris. cùm oculatiores ferè plures sint, resque è variorum iudiciorum concertationibus fortiùs discutiantur, certiusque cognoscantur. Nec nouum in humanis magnisque viris ab infimis profutura discere. nolle ille ab aliena manu accipere imprudentiæ summæ, solius ingenij sui viribus præfidere, arrogantiæ maximæ est. semper verò prudentes, aliena consilia in re sua probarunt. Quòd si in quibusdam, propria, & in pectore cuiusq; nata, alienis fortunatiora fuisse deprehendas; non tã ratione illa prudentiora, quàm euentu feliciora fuisse cogita. ab euentu autem res iudicare, dementiæ & plebeij per omnia ingenij est, quod fortuitis potiùs casibus, quã ratione res metitur. Fortunas aliquis suas, seq; ipsum, cùm posset naui, tabulæ in mediis furentis Oceani fluctibus commisit; ex ingenti hic præcipitio fortunata audacique volutatione terram tenuit; imperitus natandi rapidissimis alius se vorticibus immisit factus pila fluctibus;

Digitized by Google

bus; ille in vnũ aleę iactũ vniuersum patrimoniũ proiecit; inermem se non nemo armatis quaqua hostibus obiecit; solus alter temerario ausu, cum Magno Macedone, in armatã hostilẽ vrbem se coniecit; quidam mulieri arcana capite luenda credidit. & feliciter illis res omnes prosperęq; successerunt. perierunt inter hæc millia, & temerarios conatus infortunato exitu signarunt. paucis admodũ, felicioribus quàm prudẽtioribus, supra omne votũ res illæ cecederunt. non tamen ideo aut imitanda hęc aut probanda. neque laudem temeritas mereri potest. felici aliquem euentu beare potest, prudenti non potest. sed & fortunatus audire temerarius potest, prudens non potest: plus namque talis fortunæ quàm virtuti aut rationi debet, fortunataque illius felicitas laudari, sapientia non potest. & quis neget eximiam aliquando gloriam fortunæ potiùs, quàm virtutis beneficium fuisse?

Tertiò, vt in quocunque infortunato rerum successu promptam excusationem habeat. suo nimirum non stetisse iudicio, secutum aliorum. fecisse quod sapientes in re

re ſua ſolent, aliorum ſententiam ſuæ præ-
tuliſſe. Neque alia facilior venia eſt, quàm
cùm quisprudentum conſilia ſecutus, euen-
tus felicitate caruit. & magna ferè talis alta-
que pace fruitur quocunque demum ſuc-
ceſſu res euenerint, cùm habeat hũc domeſ-
ticum teſtem, Feci quod potui, quod debui,
quod aſſolent prudentes, ſapientiæ legibus
obſecutus aliorum conſiliis mea poſtpoſui.
aliter res cecidit? humana hæc ſunt. nec præ-
caueri ſemper damna, nec anteuerti fortui-
ta, conſiliis poſſunt: maximè cùm à libera
ſubdolaque voluntate alterius, quam nec
flectere, nec ſcire etiam poſſumus, non raro
res pendeant. Nihil ſanè facilius quàm pru-
dentiſſimè cogitata inuertere. ad euerſionẽ
cauſa vna ſatis, ad ſtabilienda plurima ne-
ceſſaria ſunt. cũmque innumeræ improbi-
tati pateant viæ, virtutis vna eſt. illa in pla-
no, hæc in arduis ſedem fixit, & euertere vni
facillimum, quod vix plurimorum induſtria
prudentiáque ſtabiliri poteſt: multis nimi-
rum prudentia eget, temeritas paucis.

Nihil ergo inconſultò, maximè Superior,
aggredietur, lubénſque de minimis etiam
ſen-

Digitized by Google

ſententiam aliorum diſquiret, gaudebit diſcere, & gloriæ, ſecuritatis, tranquillitatiſque ſuæ non vltimam partem ducet, aliena conſilia prætuliſſe ſuis. ita enim & meritam reprehenſionem vitabit, & tot propugnatores quot conſiliorum auctores habebit, & rutius certiúſq; res aggredietur, & in aduerſis ſolatia opémq; experietur; & ſi quando infelix, nunquam tamen temerarius audiet.

Remedia.

ANimum ad deliberationem adferre ab affectu liberum, vt nihil antè certò tecum ſtatuas; plurima tamen in vtramque partem valitura tacitus tecum cogites. Seriam deinde proponendarum rerum deliberationem, ſi tempus patitur, inſtituas, cũ moneat Sapiens Eccli. 32. *Omnia cum conſilio fac, & poſt factum non pœnitebit.* Si negata mora eſt, ac quaſi in arena conſilia ſumenda ſunt, nec dilationem res concedit; ea tamen adhibeto, quæ præſens permittit conditio rerum: nec ab impetu aut fortuitis, ſed à ratione feraris.

In conſilium adhibere propoſitarum rerum non imperitos, & dandis conſiliis aſſue-

Digitized by Google

ſuetos: ſingula dein diſcutere, quæ obuia, quæq; metuenda ſunt, quæ ſperanda commoda damnaq; , in omnem denique partem, propoſitam rem vertere. Benè Baſilius Interr. 229. *Communicandum cum iis qui eiuſdem nobiſcum animi ſunt, fideiq; atque intelligentiæ ſuæ certum documentum dederunt. vt intentio noſtra, ſi mala ſit, corrigatur; ſi bona, confirmetur.*

Sanè vt alia omittam, conſequitur ſerius deliberator, vt conſiliorum ſuorum habeat patronos, parataque hac fruatur tranquillitate, Feci quod licuit ; præter opinionem res ceciderunt; adhibui , quod in humanis ſolet, conſilia prudentum. exitum, qui ferè fortuitus eſt, damnare poſſunt; præpropera ac indeliberata conſilia non poſſunt , vbi diligens ſeriaque conſultatio præceſſit. Monet è Sapiente Gregorius, paſt. p. 3. c. 16. *Sine conſilio nihil facias , & poſt factum non pœnitebit, & palpebræ tuæ præcedant greſſus tuos. palpebræ quippe greſſus præcedunt, cum operationem noſtrã conſilia recta præueniunt : qui enim conſiderando præuidet quid facit , greſſus tendit , oculos claudit. pergendo iter conficit , ſed præuidendo ſibimetipſi non antecedit . atque idcirco citiùs corruit , quia*

quò

Digitized by Google

quò pedem operis ponere debeat, per palpebram consilij non attendit.

Huc accedit, quod in præcipiti agendarum rerum, & non deliberata resolutione, licet non infeliciter res ceciderint, eleuent tamen plerique si improbare rem non possunt, ac fortuitæ rei prosperos successus adscribunt, non prudentiæ imperantis.

Exempla sibi proponere, quibus hæc agendi ratio ingentia damna dedit, exitu ferè infortunato. plenę h s sunt omnium Regũ, Principũ, Rerũpublicarum, omni ætate & populo historiæ; quę è prępcipiti ac indeliberato consilio, regnorum meminerunt, quorũ facilius est nomina quàm cineré designare. ita temerario impulsu vno, tota totis agris consepulta iacent imperia, ignotissima posteritati, ni proditor calamus funesta nomina in exemplum prodidisset.

Remouenda denique ab omni gubernatione erunt hæc præpropera & iudicij sui ingenia, quæ magis ad obsequendum, ac imperata exequenda, quàm ad imperandum nata sunt.

CA-

Digitized by Google

CAPVT XLIII.

Diffidentia.

QVæ res vbi religiosam domum peruadit, nihil magni sperari potest: nam siue Superior diffidat suis, siue Superiori inferiores, damna sola timenda sunt; aut sanè nulla in magnis arduisq; speranda progressio est. iacent proinde domus tales, ac quasi in ignauo sopore pereunt. nec quidquam præclarum spondebunt, quamdiu diffidentia locum suum tenebit: vt frustra excelsa, aut in posteritatem abitura, aut in salutem multorum, ab his animis expectes.

Ingens omnino languor diffidentiam comitatur, ac spiritalis omnium rerum nausea: nam siue subditus Superiori, siue hic illi diffidat, siue vtrosque diffidentia occupauerit; neglectus propè omnium è timore natus sequitur, ac secretorum plerumque consiliorum captatio: nam cum in apertos non prosiliant campos, ex insidiis res aggrediuntur; doliisque, quod è virtutum plano non possunt, consiliorum studiorúmque aliorum mascuntur euersores, dum singuli indignantur,

Digitized by Google

tur, clam se quædam fieri, & tacita iniri consilia.

Diffidentia hæc, Superioris si obsedit pectus, nulli quidquam credet, quod laudem mereatur. iam cum exequi ipse omnia non possit, aliis diffidat, fit vt angustissimis terminis fructus claudatur.

Decrescit deinde etiam animus inferioribus, nec se ad magna erigunt, aut conatum rebus admouent, cùm Superiorem patiantur omnia etiam rutissima metuentem, nec se ad grandia extendentem, aut ad victura porrigentem manum.

Sed cùm neque sua credant Superiori, fit vt tenuem Superior illorum cognitionem consequatur, iacérque in his omnis conscientiæ redditio: ac si quæ necessitas eos cogat, superficiem tantùm radunt, non descendũt ad pectus, aut ad mala corrodentia: quo fit vt Superiorem necesse sit in graues errores incurrere, cùm committat ignoratione suorum non committenda, muniáque credat, quibus turò credi non possunt, nec sine discrimine sæpe suorum, nominisque boni corporis vniuersi.

Gra-

Graues deinde vtrimque naſcuntur animorum diſſenſiones, mutuæ ſuſpiciones, criminationes; clanculariæ deinde conſilia mutuam gloriam, nominis apud domeſticos externoſque æſtimationem, ad honoratiora promotionem, conatuſque omnes, ſubdolis machinationibus euertendi.

Peſſimum illud, quòd ferè è ſuſpicionibus ad aliorum damnationem decurrant. nam cùm ſibi quiſque diffidentiæ teſtis ſit, fraudumq; è diffidentia natarum; fit vt eadē de aliis ſentiant, ſuo reliquos pede metientes: è quibus deinde ſuſpicionibus nō tantum ad iudicia ferenda deſcendunt, ſed ad cogitationes ſuas opere exequendas, omne ſtudium in eo ponentes, vt ſtructis ſocium inſidijs præueniant; metuentes ne paribus aliorum dolis circumueniantur.

Aperit diffidentia hæc viam ad politiciſmum, cùm tectis omnia dolis repleantur, ſocios ſimulato verborū lenocinio demulcent, candorem ſimulantes, quo facilius ſecuriuſque venena ſua ſpargant. adulationibus plena ſunt omnia, dum amicitiam fiduciamque ſimulant, diffidentia pleni.

Naſci

Digitized by Google

Naſci hoc malum conſueuit

Primò, ex ingenti faſtu. quo qui laborat nullum ſi ſibi prudentia, rerum experientia, ingenio, eruditione, probitáte parẽ arbitratur: damnatq; in his reliquos, etiam Superiorẽ. quare cùm prudentiæ illius virtutiq; diffidat, fit vt ſe ſuaq; illi non credat.

Secundò, ex nudis ſuſpicionibus. cùm de mutua in ſe voluntate affectuq, diffidunt, de mutua ſecreti fide, cãdore, probitaté. idq; è cauſſis è ſola ſuſpicione deſumptis.

Tertiò, è puſillanimitate quadam animi. cùm non alijs tantùm, ſed ſibi, virtuti, robori, ingenio, eruditioni, eloquentiæ, memoriæ, promptitudini, dexteritati, probitati, conſtantiæ diffidunt.

Quartò, è recondito & inlatenti malo. cùm noxia quadam verecundia ægritudinem ſuam Superiori inferior detegere veretur; aut ſanè tacito quodam improbo metu, quo impedimentum timet à Superiore injiciendum, ſi detecta conſilia fuerint:

Quintò, è diffidentia quadam diuina. qui ſi Domini verbis, Luc. 10. *Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit*, fidem ad-

Digitized by Google

adhiberent, perfacilè se suáque Superiori crederent. vnde fit, vt ferè tales Deus relinquat in manu consilij sui, destituátque cæleſti sua gratia, ac ductrice manu sua in via spiritali, in qua errasse æternum est.

Quòd si labi tales contigerit, nec consulentem, nec eleuantem, nec propugnantem, adeóque nec miserantem reperient. sequitúrque ex his initiis perpetua quędam inquietudo mentis. nulla enim ibi pax, malacia nulla, sed æternæ infelices tempestates ac iactationes sunt, æternúsque naufragij metus. Miserrima omnino conditio, quibus nulli, & qui nullis amici. quales omnes illi sunt, qui hoc diffidentiæ malo tenentur.

Contingit verò non raro tales dum domestica diffidentia laborant, ad externa consilia decurrere, etiam ad muliebria: cùm ita ferè natura comparatum sit, vt in alicuius sinum nostra diffundamus. diffidimus domesticis, imus ad externos. quæres quãta secum trahat mala, nemo non videat. quòd si quem fors inter domesticos idem detineat morbus, mutua venena bibuntur, mu-

Digitized by Google

mutuo toxico perituri, quo citiùs pereant. nec res hæc tunc in paucis ſtare ſolet, plures occupat, donec totam familiam lata diffidentia occupauerit.

Remedia.

SI Superior vniuerſim hac diffidentia in omnes laboret, nec aut aliorum exemplis, aut rationibus erigere ſe poteſt; conſultius eſt talem aliis occupari, nec gubernationi admouere: ſin in vno alteroúe conſiſtit hoc malum, nec deponere poteſt, à perſonarum mutationibus remedia poſcenda ſunt.

Si laborat hac diffidentia inferior ex innato quodam naturæ metu, ab omnibus omnino Superioribus animandus erit aliorũ exemplis, quibus ea fiducia feliciſſimè ceſſit, & cedit in dies. in qua re plurimùm poteſt Superiorum exterior benignitas, fiduciæ reipſa oſtentatio, familiaritas, affectus verbis etiam adiutus, animatio rebus proſperè geſtis, ad maiora etiam prouocatio & incitatio, addituſque animus laude.

Si non vltrà vnum alterumúe Superio-

Digitized by Google

rem diffidentia hæc protenditur, postquam varia frustra remedia tentata sunt, ad locorum mutationem decurrendum erit: plurimùm tamen in hac re potest discreta Superioris charitas, fiduciæ ostentatio, blanda compellatio, animusque liberalis, & heroico similis: colloquia etiam interdum prolixiora, associatio in rebus arduis, in consiliũ etiam nonnunquam magnarum rerum euocatio, si personæ qualitas patitur.

Proderit hîc diuinæ in se fiduciæ prouocatio: qui non patietur fidẽtem in se in fraudem impelli. nunquam proinde res humana metiatur prudentia, metiatur diuina. falli hæc non potest, fallere non vult. stabit spõsionibus suis Deus: Psal. 90. *Super aspidem & basiliscum ambulabis: & conculcabis leonem & draconem.* mentiri non potest Deus. addit: *Quoniam in me speravit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognouit nomen meum. clamabit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum: longitudine dierum replebo eum: & ostendã illi salutare meum.* & antè: *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis: ad te autẽ non appropinquabit.* Quę spe-

ſperari poſſunt certiora, quæ maiora? audeat ſperare homo, non patietur ſe vinci Deus, & maiora votis dabit, docemur hoc omnium ætatum exemplis. erigat proinde ſe in ſpem magnam, & audeat ſponſore Deo in Superioris ſinum ſe ſuaq; profundere, poſita noxia verecundia. vulnera retegat. retexiſſe ſæpe curaſſe fuit. vt non tam ſequatur, quàm comitetur retectionem curatio. Et ſanè magnæ hic candor conſolationis mater eſt, trãquillitatis ac ſecuritatis magnę. facile hoc erit humili, & ſubmiſsè de ſe ſentienti. gaudet hic deprimi, & beneficium arbitratur poſſe latere. ſcit ille à ſolius Dei iudicio veram magnitudinem tenuitatemque pendere. incerta humana ſunt, & innumeris ferè erroribus permiſta. ille errare non poteſt, decipi non poteſt. quare illi ſoli innititur, certus de euentu: ſecurus de præmio.

CAPVT XLIV.

Diſſenſiones.

CErtiſſima Religionis, licet optimè conſtitutæ, pernicies. nam cùm mu-

Digitized by Google

tuo illam amore, tanquam vinculo colligari, tanquam glutino coniungi, tanquam propugnaculo roborari, nemo ignorare possit; fit vt qui illa dissoluit, quidquid in Religione firmum, solidum stabileque erat, euertat: vt nihil iam expectare debeamus, quàm vniuersæ ruinam. ita vno hoc malo mala omnia continentur.

Amore enim minima crescere, maximæ dissensionibus decrescere norunt omnes: illo stare etiam per se imbella, ac aduersantium rabiem excutere vt pilas; hac validissima, etiam quæ sæculis steterant, momento propè corruere videmus. nulla sanè tam mollis manus, quæ non ad miraculum & prodigium, amore si constringatur, perstet inuicta, minis, furoribus, tempestatibus superior. Si ceciderit, hostem mole, verius quàm robore oppressa, non cadit inulta, non ingloria, hostili sanguini insepulta: mimitantia etiam post mortem aduersa ostentat vulnera, inimico cruore tincta, ipsoque adeò emortuo vultu nusquam animos defuisse ostendit.

Nulla contrà tam firma manus, tam ro-

bo-

Digitized by Google

boris plena, armata licet ſæculorum ferro, propugnaculis cincta, ingenio adiuta, exercitatione roborata, quæ non mutuis diſſenſionibus diuulſa collidatur, & ruat nullius alterius impulſu. etiam rupes & ſaxa ſi diſiungas, ſolis imbribus colliqueſcunt; tam molli elemento tã firma validaq́; : adde calcem, molle vinculum, ſed vinculum tamen; nec fluctibus, nec irato mari cedunt: infrendeat licet, ſæuaſq́; barbaraſq́; intentet minas; rident efferam hanc rabiem, omnibuſque ſuperiorá, auguſtum extollunt vertice cedere neſcia. tantum prodeſt colligari. intuere paleam; quid fragilius? conuolue in faſciculum, nulla Herculea dextera comminuat. ſerico quid tenerius? conuolue in funem nauticum, quæ Samſonea manus cõfringat? vt iam facilior videatur columnarum eliſio, ærearum portarum euulſio, tot hominum aſini mandibula cædes, totque Herculei labores, quàm tenerrimarum, ſi ſingula ſpectes, rerum comminutio. vſque adeò conſtringi mutuoque innodari iuuat.

Sanè vt nihil in Religione nobilius amore eſt, nihil quod in omnium animis ocu-

Digitized by Google

liſque maiorem admirationem excitet, nihil quod illam validiùs firmet, nihil quod hoſtibus magis formidandam, & inuictam reddat, nihil quod ad æmulorum etiam ſtuporem & cõfeſſionem magis exornet ac illuſtret: ita nulla illi pernicioſior peſtis obuenire poteſt, quàm quæ tanquam vna falce demetit hæc magna, vna diuulſione nudat hoc ornatu & robore. euenire hoc mutuis animorum diſſenſionibus, etiam pueris decantatum. vt nil miremur inclamantem Sapientem Prou. 6. *Septimum deteſtatur anima mea, qui ſeminat inter fratres diſcordias.*

Surgunt denique ex hoc malo mutuæ æmulationes, inuidentiæ, liuores, oblocutiones, riſus, depreſſionēs, contemptus, detractiones: nec quidquam ſperari laude aut gloria dignum poteſt, cùm plus ſolis his diſſenſionibus decedat depereatq;, quam ſingulorum labor & induſtria ſpõdere audeat: pluſque diſſentientes hæ linguæ deuenuſtent, quàm ſingulorum conatus colluſtrare poſſint. neque Religio iam vlla eſt, quæ ſolo amoris quodam nexu ſtare ſolet; hunc qui ſuſtulit, illã de medio tulit: neque enim

diu

Digitized by Google

diu ſtare poteſt, quod nullo vinculo colligatur, quodque omni parte diſſectum iacet, quod armis exutum, nudum oſtentat latus inimico ferro, quod viduatum clypeo & protectrice dextera iugulum præbet hoſti, nouacula ſecandum. Habemus hæc confirmata à Domino Matt. 12. *Omne regnum diuiſum contra ſe, deſolabitur, & omnis ciuitas, vel domus diuiſa contra ſe non ſtabit.*

Contingunt hęc Religioni, mutuo amore ſpoliatæ, quo vno inuicta ſtabat hoſtibus terror, minis omnibus altior, cedere neſcia, ignara commoueri, nulli ceruicem iugo, prętęrquam Chriſti edocta flectere, nulli potentiæ decreſcere, inferorum etiam poteſtatibus timenda; cùm per ferrum & ſanguinem, perque mille pœnarum genera, ludus illi eſſet, ire ad Chriſtum ſuum: roſæ & violæ, ignis & flammæ, per quas purior iam animus euolabat in amati ſui ſinum. at vbi nudata amore, & per hunc ſpoliata armis, propugnaculis exuta, propugnantibus deſtituta, inarmatum præbuit corpus, facta eſt ludibrium hoſtibus, pueriſq; materia riſus, feminiſque adeò ingens diueſque fabularũ nar-

narrationumq; series. ſtabat amor mutuus, mutuo ſociatus nodo? ſtabat Religio orbi miraculum: periit amor? iacet illa quocunq; plebeio proterenda pede. ſtat amor? quot hoſtes, tot admiratores; quot æmulos, tot imitatores; quot amicos, tot laudatores habet: euanuit amor? tanquã leui ſpongia ruſtica manu delentur hæc magna. ſtat amor? mutuus fluit ſudor, mutuo labore prouocatus: elanguit amor? concreſcit ſudor mutua ignauia conſtrictus. & quæ fluebant flumina, vicinaq; rigabant paſcua, denſa concreſcit glacie iacent. euenitque quod in amplo hereditate, cùm diſſentientibus animis, decurritur ad forenſes rixas, certa perdendę hereditatis breuia: vt, ſicut aſciti ij ſanguiſugæ quidquid erat in lætiſſima fortuna ſãguinis boni, peſtifero ſuctu hauriunt; ita alieni cómedant robur noſtrum, animi nimirum opes, mutua antè amicitia felici euentu partas, mutuis nunc diſſenſionibus tanquam leuiſſimam paleam diſſipandas; vt qui fuimus terrori, ludibrium naſcamur hoſtibus, & victoriæ illorũ ampla materies, horreiſq; illorũ fœcũda nimiùm meſſis. Nulla iã propè

pè cura ſalutis proximorũ, dum ſibi ſtudent ſinguli, laborant ſibi, commodiſque vacant ſuis, inſidiantur alienis, mutuóſque euertũt conatus, facti mutuo domeſtici hoſtes : à quibus ne oculatiſſimus quidem, & in omnem partem annorum experientia præprouidus ſe tueatur.

Ab externo non magno ſe fors negotio quis defendat, ab eiuſdem contubernij, propè impoſſibile eſt: maximè ſi foris inimica oppugnet acies, qualis ab inferorum rabie, à ſęculi illecebris nunquam deeſt. ſemper hoſtilia ſtant foris agmina: domeſticæ ſi acceſſerint inſidiæ, mutuis animorum diſſenſionibus excitatæ; nulla iam ſpes ſuper. & concidit etiam valentiſſimi animus, vbi præter externum ferrum, domeſtica patitur tela: cũ exſiccari ſudores ſuos ſentit inuidentię panno, ne fœcundo fluxu ſuo proxima rigent prata rore ſuo deſtituta; cùm non infortunatè ſparſa, ſocuplete manu ſua ſemina in plurimarum ſalutem animarum, exuri videt æmulationis flamma; cùm in ſeriorum laborum procurſu ad viuum proſcindendo, ſubdolas ſuorum perfert machinationes?

Digitized by Google

quibus tanquam domestica falce, lætissimi culmi, diuite spica vestiti, in viridi etiamtum spe luxuriantes præscinduntur.

Et quis animus sit ad magna, aut cui tantum robur, qui, dum socios patitur hostes, in externum feratur hostem, & ad generosos ausus protendat dexteram? cùm non tãtùm domestico destitutum se sentit auxilio: sed pati hostes, quos habere debebat propugnatores, & pro auxiliaribus copiis procursantes inimicas acies sustinere: dura hæc res, & quæ mortales superet vires. Quare vt primùm se prodit interna hæc animorũ colluctatio, tanquam dissectis quaqua neruis, languescit omne robur, & generosior cuiusque mẽs tanquã fulmine icta concinerescit, abitque in vagum puluerẽ ventorũ lusum.

Iam vt primùm ad externos animorum hæ dissensiones promanauerint, quid sperari potest, quid timeri non debet? nam vt silentio diu premãtur, nec eruimpant aliquãdo foras, optari potest, sperari non potest. neque enim diu contineri hæ flammæ possunt, quin depulso cinere prorũpãt in apertum: hîc verbis, ibi signis & factis, alibi contra-

Digitized by Google

rariis ſtudiis; quanquam ſubdola primùm circuitione, inde plano quodam odio produntur: quæ res omnem omnino ſpem ſementis bonæ funditus euertit; cùm etiam eant in partes externi, ſinguliq́ue ſuos tueãtur, facti ſuorum patroni: magis etiam quãdo delabimur ad protectrices, & agmina iam mulierum pro ſuis pugnant, inſurgunt-q́ue pro innata ſibi impotentia in æmulos patronorum ductorúmque ſuorum. vnde ingentia prorumpunt ſcandala, nullo torrente, ac ne lacrymarum fluminibus, aut quacunq; poſthuma pœnitudine diluenda.

Exulat deinde omnis pietas, cùm & Chriſtus exulet ab illa domo, à qua mutua exulat caritas: neq; enim aut ille diſſentientium pater eſſe poteſt, aut hi eius filij. Matt. 5. *Beati* nimirum *pacifici, quoniam illius filij vocabuntur.* nõ ſunt ergo filij animis diſſentientes. at vbi nulli filij, nec pater eſt. Infelix cõditio, ac miſeranda familiæ conſtitutio; quę cùm ignoret Deum patrem, nec hereditatem ſperare poteſt, ſolis filiis promiſſam, ſolis largiendam. ſed neque diſcipuli Domini ſunt. cùm ipſe dicat Ioan. 13. *In hoc cognoſcent*

omnes quòd discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. neque Deum diligunt, cùm audeat discipulus quem diligebat Dominus: 1.Ioan.4. *Si quis dixerit, Quoniam diligo Deum, & fratrem suum odit, mendax est*. neque (1.Cor.14.) *enim est dissensionis Deus, sed pacis.* & 1.Ioan.4. *Mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.* additque illud testatissimum amoris diuini signum: *Si diligimus inuicem, Deus in nobis manet, & caritas eius in nobis perfecta est*. Vt enim mutuæ animorum dissensiones densam inter Deum & nos iniiciunt nubem, imò & noctem, quæ lucis illius prospectum omnem adimit: ita mutuus amor pulsis tenebris, discussaq; dissensionum nebula, prospectandum nobis Deum tradit: eo certiùs, quo potentiore mutuo ardemus igne, mutuaq; castiore ardemus flamma, diuinorum radiis excitata.

Fortiter Gregorius in Past. part. 3. cap. 24. in dissensionum auctores insurgit: *Audiant iurgiorum disseminatores, Beati pacifici quoniam filij Dei vocabuntur. atque è diuerso colligant, quia si filij Dei vocantur, qui pacem faciunt, procul dubio Satanæ sunt filij, qui pacem confundunt: quia nihil*

pre-

Digitized by Google

pretiosius est Deo virtute dilectionis, nihil est desiderabilius diabolo extinctione caritatis. Quisquis ergo seminando iurgia dilectionem proximorum permittit, hosti Dei familiaris seruit. &, ibid. c. 23. alibi: *Quòd si zelum amarum habetis inter vos, & contentiones sunt in corde vestro nolite gloriari, & mendaces esse aduersus veritatem. non est ista sapiẽtia descendens de sursum, sed terrena, animalis, diabolica: quæ autem de sursum est sapientia, primùm pudica est, deinde pacifica. pudica videlicet, quia castè intelligit; pacifica autem, quia per elationem se minimè à proximorum societate disiungit.*

Remedia.

VAlidè secare, quicquid huic animorum coniunctioni cõtrarium est: nulli & nusquam parcere. sola pietas hîc est sequi ferro & ignibus. initiis tamen maximè insistendum, seriò in omnem partem inuigilando, secãdo graui admonitione; minis ac pœnitentiis etiam terrendi auctores: spiritualibus exercitiis domandi, priuatis publicisque pœnis. interdictione etiam consuetudinum ac familiaritatum aliorũ, fortibus per hebdomadam exhortationibus, vt totis viribus

Digitized by Google

insurgatur in hoc malũ. nec quidquã in hoc genere tam leue, quod non graue habeatur.

Iuuabit in primis seria solicitudo Præfecti spiritus, qui acrioribus monitis, remediisque etiam seuerioribus sæuiat in auctores: nunc terrendo, nunc blandè etiam monendo, nihil eorum omittat, quæ ad exscindendam hanc pestem valeant.

Quòd si pergat tamen, serpátque hoc malum, ad remedium vltimũ, dimissionem veniendum erit. neq; vlli in hoc genere parcendũ. Magno sanè beneficio Religionem affecerit, quicunque à reliquo corpore dissensionum auctores secuerit. sæuit, qui parcit, beneficiũ, qui secat, præstat, bis clemens.

Qui verò in se has animorum alienationes sentit, pericula secum consideret, damna, infelicésque auctorum talium exitus. quare si quid offensæ intercurrerit, nunquã noctem nocti superinducat, memor Apostoli Ephes. 4. *Sol non occidat super iracundiam vestram.* Expressit hoc versu Orientius:

Pelle odium, contemne minas, depone rigorem,
Offensam teneant tempora nulla tuam:
Vt te sol blandæ seruantem vincula pacis

De-

Digitized by Google

Deserat abscedens, inueniat, rediens.

& Matt. 5. *Si offers munus tuum ad altare: & ibi recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduersum te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Complexus id vno versu Prudentius:

Nil placitum sine pace Deo, non munus ad aram.

Beneuolentiæ proinde studiis præueniat omnes: familiariúsque cum iis agat quos alieniores expertus fuerit. digniores illis partes concedat, bene de absentibus loquatur, ac laudet etiam: peculiaréque pro iis ad Deum preces fundat; pœnitentia etiam quoties deliquerit, vltro sibi aliqua irrogata.

Neque interim cogitandum est, omnes semper, quocunque etiam studio conatúque adhibito, futuros iudicij nostri. imò stolidum est, omnium iudicia ad nostrum transferre velle: stolidissimúmque dissentire voluntate, quia iudicio dissentimus. neq; enim sperandum est, posse omnes in humanis ad eandem iudicij normam traduci. fatuusq; illorũ error est, qui cũ aliquem viderint iudicio, & voluntate differre arbitrentur;

Digitized by Google

tur; cùm amicissimi mutuis frequenter iudiciis, in maxima voluntatis coniunctione, dissideant.

Iuuerit verò plurimùm potentem in se diuinum amorem excitare. quo tanquam ingenti supposito igne, ardentes in proximos amoris flammæ exurgant: omnesque dissensionum nubes, valido diuinorum vento pellantur.

CAPVT XLV.

Detractiones.

NAscitur hoc malum ex inuidia & odio, dum felicioribus aliorum successibus inuidemus, nec assequi possumus; atq; hinc odia, & animorum alienationes.

Ex æmulatione: dum pares esse volumus, aut etiam superiores. hinc mille cogitantur modi, paria aut etiam maiora consequendi; ac si probi probatique haberi non possunt, à minùs probatis, improbisque subsidia petuntur; & quod virtus non potuit, vitium reperit. scelera nimirum fertiliora sunt, & fœcundam hisce cogitationibus viam sternũt;

ac

Digitized by Google

ac quod non potuit pietas, improbi mores inuenerunt & dederunt, vt, si aditus omnes clausi sint probitati, tota improbitati pateãt ostia: donec tandem decurratur ad illud notum, Sociorum detractio. vt his demum gradibus semitam insternant sibi ad commoditates & nomen magnum.

Ex habitu malo prauoque, cùm maledicendi consuetudine altè hoc malum imbibimus: tunc enim etiam non cogitantibus elabitur nociturum telum, eliciturum sanguinem. grande malum, cùm quasi per iocum in consanguineo ludimus iugulo, & ridentes barbara ferocitate in propinquo pectore sæuimus. Efferum, & infra belluas id semper fuit, mutuo inter mensas fercula-que madere sanguine, & vulneribus coronata circumducere pocula, magis etiam sanguine potari. At ego nescio an immanius crudeliusque sit, inter ludicras narrationes cachinnis sæpe & salibus condítas, sociorũ famam spargere, quæ vitâ ipsâ honoratissimo cuique carior esse debeat. illa semel ponitur, semel morte vna finitur: fama cui semel calcatur, mille mortibus cadit, & ad singulos

Digitized by Google

gulos auditores noua cæde funeſtatur.

Ex iudicij ſolertiæque obtentu, dum ex dictorum factorumque alienorum ſolerti indagatione, iudicij famam venamur. hinc dicta ſæpe factaque, quæ nec dicta, nec facta, nec cogitata vnquam; dubia pro certis, falſa pro veris, coniectanea pro compertis narrantur, ſingulíque tales ſunt, quales ſibi prona fingit ſolertia: quæ dum vera non inuenit, falſa comminiſcitur, contenta læſiſſe, certa incertáque pro eodem habentur, ſi cecidit, qui patitur, quacunque ex cauſa, parta victoria eſt; & triumphi materies eſt, ſocium præueniſſe; eo ferè maior, quo innocentior cecidit: nam nocentem proſtrauiſſe, nõ magnum, & vix in tali inuidiæ locus eſt. magnum ſit oportet & illuſtre, quod in æmulationem prouocet; è qua poſtmodum tanquã è fœcunda matrice ingens detractionũ ſoboles naſcitur, nulli magno parcitura.

Ex zeli, & communis boni aut priuatia licuius p ætextu, iuſtitiæque, ac maioris etiam gloriæ Dei, ſub boni nimirum ſpecie, in fratrum ſæuimus iugulo: nec crimen arbitramur, cui præfigitur nomen honeſti, reue-

Digitized by Google

reuera proprij honoris & gloriæ aut commodi causa. tantum potest amor proprius; scelera in virtutem vertit, & illius stola crimina vestit, palla tegit, sanguinemque fudisse, percepisse est: nam cùm crudele habeatur in socium sæuire, prætexitur immanitati virtus; ita tyrannidi iustitiæ præfigitur nomen, & persecutor gladius inuenit in Christiano sanguine quod damnaret, contemptum legum & deorum. Neq; vnquam crudelissimo cuique ferocitati suæ causa defuit, nullusque in sanguinem propter ipsum iuit: nemo in famæ alterius detractionem propter ipsam; semper aliquid quod improbitati suæ obtendat, inuidentia proprij amoris soboles inuenit.

Mala, quæ hinc nascuntur, ingentia in omni Religione sunt.

Primò, pacem turbant propriam: neque enim potest in vera pace esse, qui internam circumfert turbarum & inquietudinum causam.

Secundò, alienam etiam pacem conuellunt, cùm causam præbeant aliis turbarum internarum, suspicionum, alienationum,

Digitized by Google

num, ac in varia consilia & studia impellat: nã vbi se quis sociorum inuidiis peti videt, exuit socialem animum, induit inimicum; & prætexitur hostilitati virtutis nomẽ, propugnatio nominis sui, è qua in alienam decurritur oppugnationem, tanquam propriæ tuitioni necessariam. Ex his initiis quantæ exurgant commotiones, nemo non videt.

Tertiò, charitatem, mutuamque animorum coniunctionem scindunt: quæ consistit in benè de se mutuo consentientium concordia, vt idem sapiamus, idem sentiamus omnes.

Quartò, vniuersum Religionis robur eneruant, quod in mutua animorum coniunctione consistit.

Quintò, minuitur deinde Dei & Religionis gloria: cùm enim proximis detrahitur, redduntur minùs idonei Dei gloriæ aut Religionis propagandæ. nam quis se suaque illi credat, cui quidquid erat æstimationis bonę (qua ferè sola mortalium plerique trahuntur in sequelam) vocatur in discrimen, omnisque proseminandæ virtutis (quæ fama plurimùm continetur) spes linguarum ista-

rum nouaculâ præscinditur?

Sextò, vulnerum etiam multitudine mali grauitas dignoscitur. quoties enim ad nouos semel iaculata detractio mittitur, toties pro delicti grauitate, aut vulnus retulit, aut cecidit proximus. ita omnium auribus aut cadit, aut vulnus accipit, cui detrahitur. Fortiter & verè in hac re Sapiens Eccli. 18. *Flagelli plaga liuorem facit, plaga autem linguæ comminuet ossa. multi ceciderunt in ore gladij, sed non sic quasi qui interierunt per linguam suam. Beatus qui tectus est à lingua nequam, qui in iracundiam illius non trànsiuit, & qui non attraxit iugum illius, & in vinculis eius non est ligatus. iugum enim illius iugum ferreum est, & vinculum illius vinculum æreum est. mors illius mors nequissima, & vtilis potiùs infernus quàm illa.*

Septimò, ex restitutionis dein difficultate delicti huius magnitudo crescit. semel enim opinio vagata, serpit ad plurimos, obambulat prouincias, ac non raro Religionē vniuersam, vt notissimus iam sit omnibus, cuius nec plerique capillum norunt. Laudas quem antè vituperasti? nihil agis: primæ enim validiùs inhærent, & iam abierunt ad plu-

plures; maximè cùm nocitura fœcundiùs serpant, profutura seriùs proueniant. Quòd si contingat hunc deligi in Superiorem, quàta gubernationem illius turbant prejudicia? quàm diffidentes reperit subditorum animos, ac tuta etiam omnia metuentes? quid? quòd non rarò infamia hęc eat ad externos, cum pari inter eos facilitate, qua inter domesticos parietes, euulgentur.

Octauò, auget magnitudinem mali, quòd in absentes & ignotos sęuiant hę linguę; nec tuitioni locus, cùm qui patitur non rarò vulnera sua ignoret: aut si sciat, nesciat auctorem. ita incauti & ignari obruuntur.

Nonò, crescit criminis huius grauitas, cùm non in vno, aut paucis capitibus consistat, sed ad vniuersum transeat corpus: hinc vnius infamiâ tanquam flammâ, vniuersum corpus amburitur. ita crudeles in omnes sunt, quicunque in vnum sæuiunt. nam cùm ea sit in Religione coniunctio, vt vnam veriùs animam in pluribus corporibus, quàm plures dixeris; fit vt vulnera in omnes eant, ac per vnius latus contrudicentur omnes.

Au-

Digitized by Google

Augetur improbitas, cùm sub commiserationis cuiusdam velamento nocitura venena sparguntur. vnde illud Bernardi Ser. 24. in Cant. *Detractores autem quedam simulatæ verecundiæ fuco, conceptam malitiam, quam retinere non possunt, adumbrare conantur. videas à detractore alta præmitti suspiria, sicq; cum quadam grauitate & tarditate, voce mœsta, dimissis superciliis, & voce plangenti egredi maledictionem, & quidem tanto persuasibiliorem, quanto creditur ab his qui audiunt corde non inuido, sed magis condolenti affectu quàm malitiosè proferri. Doleo, inquit, vehementer pro eo quòd diligo eum satis, & nunquam potui de hac re corrigere eum. & aliàs mihi quidem bene compertum fuerat de eo istud: sed per me nunquam innotuisset. at quoniam per alterum patefacta res est, negare non potui, reuera ita est.*

Remedia.

A Frequenti examine conscientiæ petenda.

A serijs, ante omnem congressum & confabulationem, propositis, tanquam in præcautionem animo conceptis.

Digitized by Google

A certis ſtatiſque poſt omnem linguæ lapſum vltroneis pœnitentiis.

A Superiorum vigili cura, grauibus etiam in delinquentes irrogatis pœnitentiis. Neque diffiteri poſſumus, ignauâ Superiorum conniuentiâ ea incrementa hoc malũ ſumere, vt tandem à deſperatione remedia ſumenda ſint, duriora nimirum & acriora, etiam reſectione à reliquo corpore, ne vniuerſum contagione hac periclitetur. Ita delatores falſos flagellis ac fuſtibus cædi, & in exilium pelli Veſpaſianus imperauit; viuos etiam exuri Auguſtus mandauit; neruis cædi Mauritius Imperator, capitali pœna affici M. Antoninus Pius mandauit. Et ſanè nunquam in hoc delicto parcendum. omnis hîc pietas à ſæuitia nomen ſumit. ille pius, qui vt vniuerſim proſpiceret, ſæuiit in vnũ, aut paucos huic vitio obnoxios, in exemplum aliorum, in medelam omnium.

Iuuabit etiam ex mente Sapientis Prou. 24. obnoxios huic vitio fugere, congreſſum vitare. *Cum detractoribus non commiſcearis, quoniam repentè conſurget perditio eorum.* quin etiam tales cum regio Propheta Pſal. 100. perſequi-

Digitized by Google

ſequi. *Detrahentẽ ſecretò proximo ſuo hunc perſequebar.* vultuque diſplicentiam oſtendere: vt enim (Prou. 25.) *ventus aquilo diſſipat pluuiam*, ita *facies triſtis linguam detrahentem.* & vniuerſim dicere cum nõ vno hîc poſſumus. Tolle auditores, non erunt detractores. vt pari vtroſque ſententia feriat D. Bern. in ſer. *Detractor & lubẽs auditor vterque diabolum portat in lingua. ſi pauper es, vilem & abiectum reputat; ſi diues, ambitioſum, auarum, cupidum; ſi affabilis, diſſolutum; ſi prædicator vel doctor, honoris & humani fauoris quæſitorẽ; ſi tacens, inutilem; ſi ieiunans, hypocritam; ſi comedens, voratorẽ.*

Cùm verò detractiones frequenter naſcantur, ex aduentantium hoſpitum liberiore ſermocinatione, curioſiore indagatione, mutuáque in aliorum vitia moreſque ſcrutatione; omni conatu inſudandum erit Superiori, vt non patiatur tales impunitos abire. nec in hoſpitibus ipſis à ſeria maturaque monitione abſtineat. In domiciliorum etiam mutationibus, cauendum ſedulò ne quacunq; è cauſſa in aliorum mores curioſiùs inquiramus; ne & narrantibus detractionum cauſſam præbeamus, & nos ipſi

Digitized by Google

variis postmodum circa tales suspicionibus ac diffidentijs iactemur.

Cauendum etiam, ne quas quisque patitur difficultates, etiam cõsilij & auxilij prætextu, in aliorum promiscuè sinum profundat, cùm ferè graues his rebus detractiones misceantur. quare siquæ nos necessitas premat, Superior consulendus erit, aut domesticus Cõfessarius, aut si quis vir grauis prudensque in ea familia sit, de cuius integritate, fide, secretique custodia nulla ratio dubitandi sit. in qua tamen ab omni detractionum genere abstinendum erit, maximè si Superior inuoluatur.

CAPVT XLVI.

Delationes è suspicionibus natæ.

Siue illæ verbo, siue scriptis litteris fiant, noxiæ in primis sunt. ac nescio an res vlla pernicioſior, dum è suo iudicio singuli metiuntur alios, & consequentias è mente sua nectunt è quibusdam aut visis, aut auditis, quas pro testatis verisque venditant. immanis, planeque effera in Religione con-

Digitized by Google

sue-

ſuetudo. audita plerumque ab alijs, nulla penitioris cognitionis examinatione præmiſſa, nulla narrantis ac deferentis fide, & credimus ipſi,& ſpargimus.nec auditis contenti, aliud ex alio inferimus: & quæ intulimus,tanquam dicta factaq; referimus. quæ ſi propiùs certiuſque diſquiſiuerimus, nec dicta, nec facta, ac ne cogitata quidem reperiemus.& faciles plerique ad has res ſunt, patiq́ue qua credulitate ſunt, facilitate ad ſcribendum ſunt. indigna planè res religioſo calamo, & quæ plus habet barbaræ feritatis, & gentilitiæ ac politicæ improbitatis, quàm religioſæ ſimplicitatis,aut zeli.

Neque ego video,quam in religioſa mente hæc res excuſationem admittat. nimirum, Putabam, & verebar, ne Religio in hoc viro,dicto,facto, detrimentum pateretur. volui occurrere damnis venientibus. Excuſationes ab odio, & impijs æmulationibus,vel ab inſigni ſtolidaq́ue impudentia natæ. Sanè in rebus potiſſimùm grauibus, & quæ famam nominiſq́ue exiſtimationem tangunt, non niſi certa teſtataq́ue dicenda eſſe, Chriſtiana caritas monet. nam quis

Digitized by Google

vel Sanctorum innoxius habebitur, si è suspicionibus ad delationes procurrendum erit? & quisnam delatorum horum est, qui sibi hoc euenire gaudeat? imò quis non ad similes delationes suspicionibus natas perhorrescat? quis non inclamet, dignissimos hosce narratores scriptoresque omni pœna esse? & quam veniam merebimur, qui quod in alijs damnamus, concedendum nobis arbitramur? & qua conscientia audet Religiosus non antè certissima & compertissima sibi, vulgare? aut socij sui, ac non rarò Superioris famam nomenque in dubium vocare? imitantur hi religiosam vocem, hyænæ sunt, & omni adeo Bonaso venenosiores, qui fœcundissimos sociorum agros, & horreo Dominico natos, fœda oris calamique egerie sua, in steriles vertunt arenas, cineremque vento dispellendum.

Et hi non rarò sub sanctimoniæ quadam specie, boniq; communis, in falsissimas delabuntur narrationes & suspiciones. & impingunt alijs crimina, errores, mores, quos nulla sæpe ætas, nulla postera virtus eluet. eoque magis nocent, quo speciem aliquam

Digitized by Google

ſanctimoniæ, ac religioſæ modeſtiæ præferunt. Hæc enim ea ſunt, quæ fidem verbis ſcriptiſque faciunt. pulchra nimirum velamina, quibus nocentiſſima teguntur venena, nunquam virus poſitura. dirę Religionis peſtes: quibus maximi quique viri, omni ætate, etiam in probatiſſimis Religionibus perierunt: cùm fidem apud alios narrationibus ſcriptionibuſque ſuis à ſuſpicione promanantibus perperiſſent, maximè ſi apud Superiores.

Et ſanè nullis hæ accuſationes è tam dubijs incertiſque initijs prognatæ, elui lacrymis aut pœnitentijs poſſunt. faciliorq; in omni propè ſcelere venia, quàm in his delationibus eſſe debeat. fragilitate namque quadam humana reliqua propè perpetrantur; ſcriptiones narrationeſque hæ, non niſi aut ex aperto; aut è tecto proſiliunt odio, æmulaque virtutis aut dignitatis alterius improbitate. noſtra omnia probatiſſima vellemus; aliorum, niſi è mente ſint noſtra, damnamus. ſi quid factum inconſultis nobis, improbum eſt, aut ſanè minùs probũ, probiſſimum licet reipſa fuerit: ſi quid nobis

Digitized by Google

auctoribus, ſtolidiſſimũ quamuis, ac minùs probum, prudentiſſimum ac probiſſimum continuò erit. Vt ad probitatẽ ſapientiamq; ſatis ſit, venire è mente noſtra; ad fatuitatẽ & improbitatem, venire è mente aliena.

Quæ res eo grauior eſt, quòd incertis ferè auctoribus, ignoratis ſaltem, vulnera hæc dentur: nec tueri ſe quiſquam poſſit. nam ſi auctor innoteſceret, ſæpe, imò plurimùm, ad calumniam detegendam, ſolius auctoris cognitio ſatis foret. qui priuato non rarò emolumento, aut è re quapiam ſubtracta, aut negata, è ſeriis aliorum monitionibus, è ſuſpicionibus neglectæ aut præteritæ dignitatis, è priuatorum commodorum fruſtrationibus ducuntur, indeque ad narrationes, & ſcriptiones proſiliunt. Non vocaſti in conſilium, ne ſecutus ſententiam es, alium prætuliſti, inopinanti illi hæc, aut præter ſpem euenerunt, alia omnia ſibi ſpopõderat, pollicebatur magna, excidit ſperatis. hinc illæ animorum tempeſtates & fluctus, quæ in illarum rerum auctorem tota deuomunt naufragia.

Infelix maximè Superiorum conditio. Con-

Digitized by Google

Concedis quidquid hoc hominum genus poſtulat? grauis plerumque ſequitur offenſio multorum, & in omnem prudentiam peccaſti. & nullo propè beneficio hos vinces, niſi omnia conceſſeris. omnia concedere nec tutum, nec Religio permittit. negas? fulmina tibi, & iaculatæ calamo rupes metuendæ ſunt.

Infortunata etiam inferiorum ratio, ſi quando in Superiorem facilem ad ſuſpiciones, aut delationes è ſuſpicionibus natas, inciderint: qui nec narratores, nec ſcriptores hoſce comprimit; nec antequam ad fidem & monita proſiliat, accuratiùs rem diſquirit, aut facilis ipſe ad ſuſpiciones, inferiorum dicta & facta in deteriorem ſemper partem interpretatur. è qua re præter perpetuam mentis anxietatem, ingens diffidentia naſcitur. è quo illud etiam prouenit, vt cùm fidem apud Superiorem inferior non inueniat, animos ad magna properantes deponat, laborem fugiat, ignauumque otium ſectetur, alienaque à Superiore mente, etiam in obedientia tepeſcat, amore omni ac reuerentia pulſa. vnde magna oblocutionũ

Digitized by Google

porrigitur materia, indignationum, æmulationum, contemptus, odiorumq; tandem, ac immanium vbique detractionum, nulla habita ratione conscientiæ aut Dei. insidias nimirum, fraudibus, credulitate nimia, opinionibus falsis, ementitis commentis structas, paribus artib. propulsare conatur.

E qua re omnium succedit turbatio, miscentur infima summis, ac quasi in domestico ferro ac veneno, intuta infidaque sunt omnia; metu, terroribus ac solicitudine plena. nulla quies animis, nulla fides vlli, trepidatio ac dolí omnium mentes occuparunt; & ille iam solertissimus, prudentissimus ac felicissimus habetur, qui quacunq; demum arte socium prostrauit. veris an falsis, iuxtà habetur. satis est vicisse, hostẽ strauisse. quod vbi euenit, non tam iam Religio, quàm gentilitia quædam Principis aula est: in qua ille primus maximusque, qui per calcatos plurimos deuenit ad summa, ipse fòrs non multò pòst calcandus, ea ferè in his dolis vicissitudo rerũ est. non perennant hæ machinatiònes. & plerumque socij talium in mutuam insurgunt per-

ni-

Digitized by Google

niciem. neque enim diu in malo ſtare ſocietas ſolet: & quos coniunxit, diſiungit improbitas, eadem vtriuſque cauſa.

Eſt autem hoc vitium eo deterius quo latiùs patet. vt audeat Hieronymus in Epiſt. ad Celantiam: *Pauci admodum ſunt, qui huic vitio renuntient: raroq; inuenies qui ita vitam ſuã irreprehenſibilem exhibere velint, vt non libenter reprehendant alienam. tantaq; huius mali libido mentes hominum inuaſit, vt etiam qui procul ab alijs vitijs receſſerunt, in iſtud tamen quaſi in extremum diaboli laqueum incidant. Tu verò hoc malum ita effuge, vt non modò ipſe non detrahas, ſed nec alij quidem detrahenti aliquando credas.*

Remedia.

A Superiore màximè pendent: qui ſi difficilis ad fidem præſtandam delationibus fuerit, non magna delatores hi damna dabunt; minora etiam, ſi ſeriò narratas res examinauerit, & vbi falſa deprehenderit, non patiatur impunitos abire auctores. cuius rei ſi exempla aliqua illuſtria dederit, nemo facilè è ſuſpicionibus ad accuſationes deuolabit: at vbi viderit, non tan-

Digitized by Google

rim impunitos, sed & prę̃mio quasi decoratos delatores hos abire, facilesq́; illis aures animumq́; præberi, fidemq́; adhiberi, acoptimos quosq; falsis his delationibus circũuentos iacere inglorios; ad ea mẽtem calamumq́; applicant, ad quæ serio, maturo, seueróq; Superiore nunquam descendissent.

Quòd si Superior ipse malo hoc laboret, naturáque feratur in suspiciones nulla ratione firmatas, fidat nemini, ac ne familiarissimo quidem, ipsáque iam illi probitas prospecta sit, iamétque ambiátque hos scriptores narratorésque; nihil reliquum est, quàm vt tales aliis quàm Superioris functionibus distineantur. quòd si in supremo capite resideat hoc malum, ad preces ac Deum confugiendum erit, qui solus huic malo remedium adhibere potest.

Proderit in primis, si in omni delatione, tacitus apud se Superior consideret, eadem grauioráque è paribus initijs ac suspicionibus de se dici posse. se proinde si delatiloco statuerit, cogitauerítque quid in simili causa concedi sibi vellet, non magno negotio remedium malo reperiet.

CA-

Digitized by Google

CAPVT XLVII.

Credulitas nimia in delationibus.

INgens, maximè in Superiore, malum, cũ facilis in delationes, credulus in narrata, descendit in executiones falsis sępe delationibus innitentes. præproperum vitiũ, quo non pauci magnorum circumuenti, exercitus, respublicas, regna & imperia in vnam secum ruinam traxerunt, omnibus ipsi, ac vita demum exuti. Cadunt hoc malo primi exercituum ductores, primi in toga, primi in muneribus, & à purpura primi: cũ faciles in criminationes Principes, antè perimunt, bonis fortunísque exuunt, exilio dámant, quã ex vero rem intellexerint; luúntque pòst præpropera consilia ex credulitate nata, sera & non reuocanda, nec remedianda pœnitudine.

Eadem in omni hominum genere reperies. quod non in vno aliquãdo resedit Religioso, viro magno. grande malum, & Religioni in primis noxium: hoc enim vno primi non rarò virtute, ingenio, eruditione, rerúmque agendarum dexteritate, inglo-

Digitized by Google

riam viram ducunt, & à quibus sperari poterant maxima, iacent neglecti, & ignauos transigũt annos, quos rara felicitate, & Religionis bono decurrere poterant. & secuta non rarò mors in primis ingeniis, dum neglectum hunc è falsa denũciatione narum, credulitate fotum, superare non potuerunt, indignitate victi; maximè dum innocentia tegerentur, animusque sibi constaret recti boniq; conscius: nec purgandi locum relictum viderent, Superioris animo delatione præoccupato & obsesso.

Comes deinde credulitati temeritas est, prorumpitq; quicunque illa tenetur, in temerarios plurimùm ausus; & nonnulli magis quàm ipsi pœnitendos; vt nihil aberrarunt si præcipitio non tantùm proximam, sed è præcipitio pendulam credulitatem dixero, minimo motu in præceps agendam.

Malum supra quàm credi potest, vt omni reipub. sic Religioni noxium. neque magni quidquam sperari iam potest, postquam animum credula hæc facilitas occupauerit. nam vt in omni propè contubernio non desunt, qui Superiorum venantur aures in-

ge-

Digitized by Google

gerunt placentia; si propensos in delationes sentiant, proniiam ipsi ad hæc mala totis viribus ruunt in gratas Superioribus delationes, & materiam credulitati suggerunt fœcundi flammarum harum incentores, ab omni meritò Religione eliminandi. nam quę tuta innocentia erit, cùm delatoribus Superiorum credulitate vltro ostia aperiantur, prouocenturque illorum facilitate in malofidas plurimùm narrationes? aut quis cuique animus ad magna, si & hæc patere calumniæ viderit? continebit se quisque deteriorum metu, nec vires in apertum diffundet, stringet potiùs, quas plurimorum bono laxare posset, habenas; & inter ignauas cogitationes vitam transiget, multorum alioqui saluti impendendam.

Cùm deinde credulus omnis facilis sit in suspiciones, maximè siniſtras, & timoribus plenas, suspectaque habeat omnia, & in minimis maxima perhorrescat; fit vt inquietā vitam transigat, nulli fidus, nulli fidat: atque hinc perpetuis agitatus animorū fluctibus, continuis tempestatibus iactatur: nulloque certo stabilique littore constitutus, in om-

nem partem pulsatur, ignarus cui stationi adhæreſcat, cui credat, quam rem longiſſimè ab omni Religionis tranquillitate, portúque illius abeſſe nemo non videat.

Neque tamen nimia in alios eſſe confidentia conſultum eſt; ſed neque diffidentia nimia. non obfirmet animum ad omnem delationem, non aperiat ad omnem; vt nec omnia, nec nihil credat: medius inter Charybdes Scyllásque has tutus enauigabit; tétabit vtrimque breuia prudentiæ ſuæ bolide, vitabítque prouida circumſpectione ſua, quidquid quaqua parte naufragio timendum. nam & nulli fidem adhibere, ſolíſque oculis ſuis credere, pertinacis ingenij eſt, ſibíque potiùs quàm publico nati; omnia credere, ingentis plena periculi res eſt, & imperio imprimis noxia. vt meritò dicat Sapiens Eccli. 19. *Qui credit citò, leuis eſt corde, & minorabitur.* &, *Audiſti verbum aduerſus proximum tuũm? commoriatur in te, fidens quoniam non te dirumpet. à facie verbi parturis factum, ſicut quam geminus partus infantis.*

Re-

Remedia.

MOram dare, certúmque ſibi tempus præſcribere, vtiliſſimum erit; ſerè enim callida in his delationibus conſilia ponitenda ſunt.

Nunquam ad ſententiam, quacunque etiam in re deſcendere parte inaudita.

Reo potiſſimam ſemper aurem præbere, plúſque huic, quàm accuſatori indulgere.

Suſpectum omnem delatorem habere, ne qua auerſionis, æmulationis, inuidentiæ, aut odiorum cauſa intercedat. Cõditio dein illius perpendenda, vita, mores, ingenium: num conſuetudine, aut natura facilis ad delationem, pronúſque ad ſuſpiciones, & res ſupra fidem augendas. examinandi etiam ſigillatim ſi qui verbis factiſue interfuerint, ponderandaque ſingula. circumſtantiæ etiam accuratè diſpiciendæ, & quidquid fidẽ facere ac derogare poteſt. conſiderandum etiam, audierítne delator, an aliorum ore referat, aliorum oculis, an ſuis: conſiderabit proinde prudens gubernator ſingula, audiet omnes, repellet neminem, credet paucis, ac non niſi longo vſu probatiſſimis: diſ-

Digitized by Google

discutiet narrata, personam intuebitur deferentis & delati; num quæ odia & æmulationes intercurrant, num quæ animorum commotiones, aut nocendi studium; quibus rationibus delatæ res firmentur, quibus testibus, qua ex causa dicta factaq; qua mente. vitam etiam intuebitur vtriusque præteritam, moresque præsentes; plusque semper reo tribuet, quàm accusatori, in rationum maximè personarumque paritate, aut non magna imparitate. Deo seriis precibus, tacitisque, etiam in rebus secretis, aliorum orationibus res commendanda.

In omni delatione cogitare, posse subesse falsum, posse falli delatorem, posse affectu in transuersum duci, posse aliud interceßisse, quod aut delictum minuat, aut vniuersum tollat; aliaque huius generis.

Prudenter monet Hieronymus in Epist. ad Celantiam: *Nec obtrectatoribus auctoritatem de consensu tribuas; ne eorum vitium nutrias annuendo. Noli, inquit Scriptura, consentaneum esse cum derogantibus aduersus proximum tuum, & non accipies super illum peccatum.* & alibi: *Sepi aures tuas spinis, & noli audire linguam nequam.*

nihil

nihil enim tam inquietat animum. nihil est quod ita mobilem mentem ac leuem faciat, quàm facilè totum credere, & obtrectatorum verba temerario mentis assensu sequi. Hinc enim crebræ dissensiones, hinc odia iniusta nascuntur. hoc est quod sæpe de amicissimis etiam inimicos facit, dum concordes quidem, sed credulas animas maleloqua lingua dissociat.

CAPVT XLVIII.

Nimia commendationes & depressiones.

SVspectum dicendi genus, & quod fidem verbis adimit, eleuatque omnia propè rationum pondera & momẽta. nimis enim propensam in alterutram partem voluntatem ostendit. quare suspicionem non tam rationis, quàm affectus ingenerat; facitque vt etiam rationibus, alioqui solidis, non parum derogetur. priuata namque aliqua talem necessitudine, cęco quodam amoris affectu, aut speratis emolumentis, & dignitatum ac commodorum suorum accessionibus, duci auditores arbitrantur.

Inde grandia nascuntur præiudicia, a-

mo-

Digitized by Google

moris aut odij, & neutri fides adhibetur, vtrique abrogatur, cùm in illo rationem ab amore, in hoc ab odio vinci arbitrentur. temperabit proinde dictionem, & plus illi modestię, quàm caloris interſparget quiſquis apud viros rerum intelligentes fidem ſperat. in populo plebeque infima, plus ſæpe poteſt calor, & verborum, tanquam fluctuum congeries & conuolutiones. cùm impetu ferè potiùs, quàm maturo rerum verborumque pondere ducatur; modeſtiam, compoſitoſque ad maturitatem mores pro tarditate, & ingenita naturæ lentitate numerat: æqualitatem verò ac dictionis quandam malaciam in ignauo pectore, & ingloria mente ponit; ventis gaudet, & pleno grauidatis Auſtro velis; vt qui impetu, ac quaſi vorticibus magis feratur, quàm ratione.

Hoc interim certum, non eſſe religioſi candoris, res verbis augere, & illarum tenuitatem auguſto ornatu veſtire, aut inſpe meritam laudem ponere; aut debito ſpoliatas cultu, naufragas, ac tanquam fluctibus excuſſas in mediis arenis deſtituere.

Sed nec Chriſtianę ſimplicitatis eſt, men-

da-

Digitized by Google

dacio amorem odiaque iuuare, & infra supraq; verum res tollere, aut deprimere. Neque de bona conscientia veniunt hæc placentia verba, & ad gratiam mendacio vestita: nascuntúrq; ex his maiora damna, quàm quisquam prima fronte arbitretur. Sæpe enim Superiores in functionibus dispertiendis fidem commendationibus adhibent: & dum sequuntur cæcos hosce laudatores & ductores, non rarò in præcipitia scopulosq; plurimos impellunt. si verò nimiis depressionibus aures mentemque admouerint, in pœnitenda labuntur, dum idoneos in primis, & ad magna natos, muneribus exuunt, aut non admouent, vano hoc metu, ex improbo commento nato, repellente. Ita fit, vt indignissimus quisque ad clauum sedeat, in Syrtes & breuia nauem daturus; arceanturque à gubernaculis, quorum industria tutò per decumanos etiam fluctus, sæuientibus Austris nauigari poterat.

Quòd si Superior hoc malo teneatur, perit omnis illi apud suos fides. nam & dum verissima narrat, in neutram partem librato affectu, semper aliquid aut profusæ, ac supra

Digitized by Google

pra verum prodigæ laudis, aut infra verum auaræ ac æmulæ tenacitatis ſubeſſe ſuſpicẽtur: neque fides iam tantùm illi in augmento aut decremento adempta, ſed in omni omnino re; cùm tam facilè illi eſſe arbitrentur, vniuerſam rem, quàm illius partem mẽdacio aut tollere, aut eleuare. Imitatur verbis paternum affectum? pulchris verbis alienum? nimium tegi ſuſpicantur. promittit ſollicitudinem diuino orationis fluxu, & vbera quædam oſtentat matris? inopiam his tegi rerum, & mentiri vbera veterumq; matrum putant. fidem addicit, & in fiduciam ſuos locuplete ſponſione pellicit? opes exteriùs oſtentari, egeſtatem intus habitare ominantur. ſinceritatem & candorem oratione ſpondet? plus etiam verentur, quo plus ſpondet. Neque quiſquam huic ſe ſuaque credet; verebitur ſecreti fidem: cùm ferè tales pronos ad quæuis effutienda reperiamus. quàm enim faciles ad augmenta ac decrementa rerum ſunt, tam plurimùm faciles in omnium narrationem reperies. continebit enim difficilè rem ipſam, qui intra veri terminos continere illas neſcit.

Digitized by Google

ſcit. indeiam illa naſcuntur inferiorum de Superiore dicta, Antiquum obtinet, ne crede. creſcit illius aut decreſcit oratio ab affectu, res alia eſt. facit more ſuo, & pro inueterata conſuetudine pulchra veſte deformem ſtatuam induit, aut vili palla pulchram tegit. alius dixiſſet, crederemus: nam verba rebus aptari, tãquam ſtrictam veſtem corpori, à qua nullus huic decor, ſed roboris ac venuſtatis expreſſio eſt, arbitraremur. at in huius ore & ornamenta & res figulantur; & quæ nuſquam ſunt, eſſe incipiunt. Omnis deinde veneratio in Superiorem perit: nam cuius ſemel orationi fides detracta eſt, etiam veneration i cultus omnis ademptus eſt.

Multum deinde illi, quicunque hoc vitio laborat, apud externos de fide, de ſanctitatis opinione, adeoque etiam de ſperato animorum fructu decedit: nam vbi ſemel hęc de illo opinio inualuit, quod ferè euenire ſolet; omnia propè illius dicta, aut ſupra aut infra verum eſſe, non immeritò ſuſpicantur. laudat? creſcere credunt rem dictione. vituperat? detrahi fidem laudémque re-

Digitized by Google

rebus, verbis arbitrantur. exempla adfert in terrorem, in diuini nominis amorem impellentia? plurimum hîc additicij subesse coloris putant; nec tam rem ostendi, quàm ornatum, remque ipsam cultu tegi. omnia denique eiusdem generis dicta illius esse, etiam dum testatissima, & ab omni fuco alienissima narrat, sibi persuadent, è consueto nimirum illius more omnia metientes. Et dum prodesse aut obesse student pro vario suo affectu alijs; apud cordatos carent sæpe effectu sperato: cùm nullam in laude fidem, nullam in vituperatione inueniant, & contrariam non rarò aliorum animis opinionē ingenerant; vt quos laudant, vituperatione dignos; quos vituperant, laude dignissimos alij arbitrentur.

Remedia.

EX crebris ferè serijsque Superiorum monitis petenda sunt. vt quos viderint hac ægritudine teneri, quoties labentes repererint, toties seriò moneant.

Iuuerit, illis etiam aliquem è magis serijs maturisque Patribus designare, quem non

Digitized by Google

non illibentes audiũt: qui si quid in hoc genere monitione dignum obseruauerit, non parcat. proderitque publicis nonnunquam monitis ab his terrere.

Sin ipsi Superiores obnoxij malo huic sunt: videndum an aliquem habeant, quem pro priuata necessitudine non grauatè audiant, cuique ad religiosè monendum non desit animus; si modo sperari prudenter emendatio possit.

Ipsa denique consideratio labantis apud omnes fidei, & Superiores & reliquos meritò terrere ab hac consuetudine deberet; eo magis quòd semel imbibita haec ratio, vbi inter domesticos conualuerit, abeat etiã ad externos: vt qui his moribus domi fuerit, ijsdem extra domum futurus sit, etiam in concionibus ad populum, in priuatis colloquijs, in ipsoque adeò sancto confessionum audiendarum munere. quod vbi fit, omnis necesse speratus spiritualis fructus collabascat. semel enim extincta protritáque fide, spei nihil reliquum esse potest.

Proderitque priuatim hac de re examen instituere, ac in rerum narrationibus, fami-

Digitized by Google

miliarique colloquio attentum in omnem partem animum habere, verbisque suis præsentem, ac quasi monitorem sui certis etiam sibi pœnitentiis in omnem manifestum lapsum propositis.

CAPVT XLIX.

Apprehensiones, suspiciones.

PEriculis hîc omnia plena sunt, & magnorum etiam infelici & præpropero exitu comprobata. Hinc enim mœrores cor exedentes, ipsaque adeò ossa emedullantes, sequuntur animorum alienationes, ac in vltimam sæpe desperationem vergentia mala: spiritalis dein quædam succedit nausea, & ab omni omnino munere auersiones, laborum fuga, piarúmque exercitationum neglectus; ac quasi quidam languentis animi contemptus, inquietudo insuper quædam mentis: & iam omnis illi locus, socij, munia molesta sunt; ac leuissima quæque grauissima, mollia dura, suauia acerba videntur: monita deinde, blandæq; Superiorum aut aliorum compellationes, dolo

&

Digitized by Google

& fallacijs plenæ. ſi benignè omnia pollicearis, rideri ſe arbitrantur; ſi maturiùs egeris, indignantur; ſi fortiùs, exurgunt in iras, ac vix niſi cum vita deponunt hoc malum, vbi ſemel inualuit, ac radices egit.

Accedit, tales in perpetua quadam mentis inquietudine viuere, in perenni nocte dieque animorum iactatione, vt nulla illis quies menti, nulla animo pax ſit, ſed æterna quædam lucta, & ærugo pectoris, cordis contortiones, ac intima quaſi mentis euiſceratio; dum continuis doloribus, tanquã immaniſſimis furentis Oceani fluctibus in omnem partem iactantur, omni interiori malacia ac tranquillitate pulſa, ac quaſi in exilium miſſa. Pro. 25. *Sicut* enim *tinea veſtimento, & vermis ligno, ita triſtitia viri nocet cordi.*

Neque ſoli impotenti hac inquietudine aguntur, ſed & alios in naufragij ſui partem ſecum trahunt, malorum maximè & Oceani illius inexpertes, qui fluctuum illius rabiem nunquam tulerunt: vt non mirum ſit, in ſuſpicionum aliquem ſcopulum illidi; illos maximè quos aliqua animorum ſcabies tenet; cùm minimo affrictu exaſperatur,

Digitized by Google

ratur malum, & vulneri locum præbet. Periculis planè res pleniſſima, quando mutuũ exacuunt morbum. nam & in murmurationum, & latiſſimum detractionum campum excurrũt: dãnant omnia; nec ingenio quiſquam illorum facit ſatis, dum nulli fidunt, diffidunt omnibus, tuta etiã omnia timentes; cùm fraudibus doliſq; plena arbitrẽtur omnia; nullius amicitiam veram, nullius fidem ſecuram, nullius ſponſiones certas ſibi perſuadeant. hoſtium illis loco omnes, & in omnium frontibus inimica legunt arma: in omnium verbis hoſtilia reperiunt agmina, in omnium oculis ſtructas vident inſidias: ſocia & amica illis conſilia pro aduerſantibus & perimentibus; auxiliares copiæ pro oppugnantibus habentur. nuſquam deniq; illis fides, nec in optimo, probiſſimo, ſanctiſſimo. adeò remedium propè omne, malum hoc ſuperat, cùm medicam nullius admittat manum, aſpernetur omnium, ac tanquam hoſtilem fugiat.

Si Superior ſuſpicionibus hiſce teneatur, vniuerſam domeſticam gubernationẽ euertet, inuiſus grauiſque ſuis. neque apud ta-

Digitized by Google

talem ſubditorum virtus probitaſque annis plurimis teſtata, nec probata innocentia, nec ratio locum habent: ſed ex altè impreſſarum ſuſpicionũ vmbris, omnis inferior fit nocens, omnis reus. cumque perpetuò tanquam fluctibus mentis iactetur anxietate, mille ſe ſuoſq; cogitationibus rebuſq; cruciat, & vt ingenioſa ſuſpicio eſt, in vna mille difficultates inuenit, quibus & ſe ſuoſq; inuoluat. Sed neque ad magna conatum extendet, & impedimento etiã erit alijs, nè generoſo auſu ad magna tendant: cauſſamque ſæpe dabit ad præclara & illuſtria natis, vt in ignauo otio decurrant annos, excludanturque ab ijs muneribus, in quibus ingenti nominis diuini propagatione, proximorũque ſalute occupari poterant. Si inferior his laborat, omnia Superioris conſilia etiam amiciſſima & à paterna manu profecta, vt inimica & hoſtilia auerſabitur. Naſcuntur inde ſubdolæ vtrimq;, in mutuam euerſionem molitiones, cùm perire cupimus, aut ſpe excidere, aut ſanè ad maiora non contendere quos aduerſarios arbitramur. hinc mutuarum offenſionum validæ exur-

Digitized by Google

gunt cauſſæ, nulla arte & induſtria ponendæ. erumpúntque hæc facilè ad externos, magno familiæ damno, & conceptæ opinionis bonæ graui iactura. Ingens malum. quod aut è puſillanimitate profectum, aut è tacito faſtu, aut alienæ virtutis inuidentia, aut ex indignatione, è negato aut fruſtrato munere, concepta, maximè ſi aliorum conſiliis ſtudioque impedimentum iniectum; aut ſanè, falſis licet nixa principiis, ſuſpicio talis, nata fuerit.

Tollitur denique domui libertas omnis, cùm nemo tutò audeat illis præſentibus ſermonem miſcere, veritus ne quid ſiniſtræ opinionis naſcatur, ne malignior interpretatio. fugiunt proinde talium conſuetudinẽ, apud quos vident, non dicta factaque dicta factaque eſſe. è qua re ingens familiam turbatio occupat, quæ ſolo auctore ſemoto conquieſcit.

Remedia.

QVòd ſi quis ſuſpicionibus his agatur, & in aliorum moribus vitaque tanquam in Oceani fluctibus iactetur; cogitet quàm

Digitized by Google

quàm falsis aliàs suspicionibus, quàm ingeniosis,& ad fidem faciendam aptè excogitatis,certoque sibi persuasis, in errorem inductus fuerit: quàm fortiter sæpe tanquam ab oculatis testibus narrata dies detexerit, & victrix simplex veritas subdolam improbitatem prostrauerit. eadem in præsentiarũ aliisque suspicionibus euenire posse arbitretur. iam si quales in se reliquos insurgentibus ex quacunque causa suspicionibus esse optauerit, talem se præbuerit aliis; non magno negotio, suspiciones reponet. cogitet quid incursantibus illis statui in se vellet; quantam fidem adhiberi,quę consilia iniri, quid decerni.eademque ipse in alijs statuat. prudens regula est,quæ ab animo suo in paribus constituto,aliquid in aliis decernit.

Si è nulla certa causa natæ noxiæ hæ apprehensiones sunt;magis à medico quàm aliunde remedia poscenda,aut speranda sũt, & à locorum muniumque varia mutatione. forte enim hac quasi iactatione leuabitur æger, incidétque in Superiorem naturæ suæ conuenientem.

Si mala hæc quis patiatur ab alijs, quod

Digitized by Google

frequenter euenire ſolet, ex diſſentientium iudiciorum varietate, vel ex ſiniſtra aliorum de nobis opinionum formatione, ex muneris priuatione, ex neglectu, aut nominis detractione, falsò plurimùm irrogata; armandum pectus his ſimilibúſq; cogitationibus malum lenientibus erit: Chryſ. ſuper Matt. *Omnis homo ex ſe eſtimat alterum. fornicarius neminem putat caſtum, caſtus de fornicario non facilè ſuſpicatur: ſuperbus neminem putat humilem, humilis neminem putat eſſe ſuperbum.*

Libera hominum ingenia & iudicia ſunt, & ferè tot in his diſcrimina, quot capita. quid te torques in non emendanda varietate, & quæ non eſt in manu tua? quæ flecti imperio & voluntate poſſunt, tua ſunt: in alieno ſperanda potiùs, quàm cogenda emendatio eſt; coactio in proprio valet, ſuaſio in alieno. neque prudens ſperare debet aut poteſt, aliorum omnium iudiciorum cũ ſuo conſenſum; maximè cùm pars maxima nudis plerumq; opinionibus à ſuſpicione natis moueatur, à quibus ob innatam iudiciorum tenacitatem, nõ facilè pleroſque dimoueas. feret ergo prudens quę emẽdare aut

Digitized by Google

aut mutare non poteſt, nec mœrore ſe macerabit in ijs, quorum euentus ab alieno imperio & voluntate pendet.

Cogita, ſi calumniator eſt, errore duci. quid faceres aberranti? non in viam reduceres? facies hoc in iudiciorum errore: reduc aberrantẽ factis è virtute natis, vt videat aliũ te eſſe, quàm errore ductus arbitrabatur. & teipſum intuere: vide quoties hoc æſtu abreptus fueris, quam fœcundis ingenioſiſque in aliorum factis ſuſpicionibus in errorem inductus. nec miraberis alios paribus iactari, tuo malo aliis mederi diſce.

Cogita talem morbo laborare, & miſereberis potiùs, quàm indignaberis. quis indignatur febricitanti, & maledicenti ac cõſpuenti? abſtergit potiùs hæc ſputa beneuolentiæ etiam aliquando oſtentatione, quaſi ex iniuria beneficia acceperit, mulcetque eo magis ægrum, quo ille furit magis. febris, adeoq; phreneſis calumniatorem occupauit; comparere, & morbo calumniam tribue. Vis vinci? ad ima calumniam demitte, & tanquam ignauo mœrore protritũ te calumniator videat. Sed grauis calumnia

Digitized by Google

est, non melius innocentem, quàm nocentem pati?

Vis calumniam vincere? contemne. maior omni contumelia qui contempsit est: nec vlla re alia nobiliorem de calumniatore triumphum duces, quàm cùm te viderit generoso calcatu transeuntem hæc vt folia vento rapta, vt stillicidia vanè sparsa, vt grādinem tecto illisam. nec grauior vlla vindicta est, quàm cùm se calumniator viderit solo contemptu superatum. Vis etiam triūphum illustriorem? beneficiis calumniatorem obstringe: nulla re magis etiam barbarum pectus franges. Monuit hoc olim Sapiens Prou. 25. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitierit, da ei aquam bibere. prunas enim congregabis super caput eius, & Dominus reddet tibi.* & Apostolus, 1. Pet. 3. *Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed contrà benedicentes, quia in hoc vocati estis.*

Percurre quotquot orbe toto fuerunt magni, & intuere num quem à calumnia reperies immunem: neminem inuenies tantà innocentia, vitæque sanctitate, quem nō hac grandine, tanquam saxeo imbre videas com-

Digitized by Google

complutum. & ferè quo quisque maior, eo pluribus fuit iactatus. Quanta regna iacent, è nudis suspicionibus calcata? quanti Reges ductoréque exercituum hostibus inuicti, ad hos suspicionum scopulos illisi, naufragium fecerunt? Magna etiam necessum est esse, quæ æmulationem & odia prouocant. humi iacentibus nemo inuidet, ad alta consurgimus, & cùm non possimus paria, deiecta & prostrata cupimus. Non egrediamur Religionem. quanta primi omnium Ordinum parentes tulerint, nemo ignorare potest; vt audeã dicere, Da mihi virum in Religione magnum, dabo tibi calumniis non semel tantum non oppressum.

Cogita euenire hæc tibi à Domino ad expiationem culparum; & hilari oculo atque animo suscipies, agésque ingentes Deo gratias, pro tam suaui pœnarum in inferno aut Purgatorio debitarum, in calumnias commutatione.

Cogita à Deo hæc immitti aut permitti, vt variarum calumniarum iactatione durioribus assuescas: vt difficultatum harum consuetudine, ac quasi familiaritate discas mi-

Digitized by Google

nima dedignari, ad magna assurgere. ita leo vulpeculam, aut ouem contemnit: at si elephas contrà steterit, excutit generosas iubas, tanquam lætitiæ imbribus de cælo perplutas: gaudet enim magnis magnus animus componi, vilia dedignatur. facit hoc mens omnis incommodis & aduersitatibus roborata, & quæ assiduitate ac frequentatione callum obduxit. Et sanè neglexisse, ac quasi ignauum trãsisse videtur Deus, quem non dignatus est durioribus ad maiora parare. de cuius virtute magna sibi promittit, illum audet componere magnis. ita militiæ duces ad difficillima quæque promptissimum quemq; vocant, ignauos in medium coniiciunt agmen, aut sarcinis destinant.

Permittit hæc Dominus, vt in animi submissione nos contineat. ne muneribus, ne felicioribus rerum successibus, populi fauoribus, ne cælestibus gratuitis donis, eruditione, prudentia, eloquentia extollamur.

Docemur hîc decurrere ad Deum, illi soli fidere, in eo spem omnem reponere, humana contemnere, vt incerta, intuta, infida, fraudibusq; etiam in fratribus obnoxia; cũ

ab

Digitized by Google

ab vno vtero ſæpe inſurgunt calumniæ, etiam ab amiciſſimis. quare nemo paulò prudentior ad ea deſcendat, quorum propalatio noxia auctori eſſe poſſit. ille ſecurus degit, qui nihil pœnitendum committit, quique ea etiam coniũctiſſimo credit, ad quorum euulgationem non erubeſcit.

Plerumq; etiam Dominus, quos gubernationi deſtinauit, antè per aſpera & aduerſa roborat. nã quid faciet tempeſtatũ inexpertus fluctibus inſurgentibus? quę conſilia aut remedia dabit malis properãtibus? eueniet illi quod militiam inexperto, pugnã aggredienti, trepidabit ad omnem hoſtiũ occurſum, & antè corruet, quã cõſilia explicabit.

Et ferè duriſſima, durioribus non aſſuetorum, imperia ſunt: qui cùm non didicerint pati, nec compati ſciũt. ille ſuauiùs plurimùm imperat, qui in ſe aduerſantium rabiem expertus, periculo ſuo aliena didicit metiri, magnorumq; etiamnum vulnerum cicatrices circumfert: quique non alieno tantùm exemplo, ſed & ſuo didicit quid poſſint calumniæ. ille enim experientia didicit, quæ occurſantibus his malis remedia

Digitized by Google

admouenda ſunt, inexpertus miſcebit omnia; experiri in vnoquoque remedia volet, quid poſſint, aliorum nimirum edocendus malo. ille ſecurus manum admouet, qui longa experientia vim mali didicit, & mitioribus primùm inualetudinem tentare, nec ad duriora, niſi in extremis, & quæ reliqua omnia aſpernantur, deſcendere.

Cogita demum præmia cælo promiſſa, ſi forti animo calumniam tuleris. nulla re alia magis miteſcit labor, adeóque dulceſcit, vt & ipſa iam verbera molleſcant, ſi præmia adiunxeris: quæ qui cogitat, hilari vultu calumnias & aduerſantia quæque amplexabitur, vt ſemina fructuum cęlo reponendorum, vt meſſem Dominico horreo inferendam, vt diuinæ in nos beneuolentiæ ſigna. memores illius, Quos pariauit cæleſtis Pater Filio, laboribus, calumniis, verbere, ſanguine; hos etiam, quantum humana cæleſtibus componi poſſunt, pariabit & præmiis. nec certior in hac vita diuinæ in nos beneficentiæ teſtatio eſt, quàm ſi variorum in hac vita iudiciis, linguis, calamis iactari nos permittat.

Iuuabit,

Digitized by Google

Iuuabit, se suspicionesque suas, pulsa simulatione, candidè Superiori, & domestico Confessario aperire. nihil deinde in hac vita ab humana manu ambire, nihil sperare. non timuit qui non sperauit: necabreptus suspicionibus est qui non timuit. semper enim mistus suspicioni metus est, dux illi & perpetuus comes. humanas verò laudes ñegligere. cùm deterrimi ferè ampla harum materia sint. sanè nec optimus, nec prudentissimus ad magna tollitur: vltima ferè in humano delectu prudentia est, fauor & propensio quædam animi primum locum tenent. beatus qui hæc risit, & humanis omnibus maior sola cælestia sperauit, sola amauit: cõtempsit reliqua, vt indigna cælis Deoque, cui natus, & cui vni omnis viri prudentis, viri boni labor desudat, felixque fœcunduque sudor profunditur.

CAPVT L.

Pusillanimitas.

VArijs è causis hæc nascitur: naturæ tamẽ plerumque vitium est, omnia metue-

Digitized by Google

gunt cauſſæ, nulla arte & induſtria ponendæ. erumpúntque hæc facilè ad externos, magno familiæ damno, & conceptæ opinionis bonæ graui iactura. Ingens malum. quod aut è puſillanimitate profectum, aut è tacito faſtu, aut alienæ virtutis inuidentia, aut ex indignatione, è negato aut fruſtrato munere, concepta, maximè ſi aliorum conſiliis ſtudioque impedimentum iniectum; aut ſanè, falſis licet nixa principiis, ſuſpicio talis, nata fuerit.

Tollitur denique domui libertas omnis, cùm nemo tutò audeat illis præſentibus ſermonem miſcere, veritus ne quid ſiniſtræ opinionis naſcatur, ne malignior interpretatio. fugiunt proinde talium conſuetudinẽ, apud quos vident, non dicta factaque dicta factaque eſſe. è qua re ingens familiam turbatio occupat, quæ ſolo auctore ſemoto conquieſcit.

Remedia.

QVòd ſi quis ſuſpicionibus his agatur, & in aliorum moribus viraque tanquam in Oceani fluctibus iactetur; cogitet quàm

Digitized by Google

quàm falsis aliàs suspicionibus, quàm ingenioſis,& ad fidem faciendam aptè excogitatis,certoque sibi persuasis, in errorem inductus fuerit: quàm fortiter sæpe tanquam ab oculatis testibus narrata dies detexerit, & victrix simplex veritas subdolam improbitatem prostrauerit. eadem in præsentiarũ aliisque suspicionibus euenire posse arbitretur. iam si quales in se reliquos insurgentibus ex quacunque causa suspicionibus esse optauerit, talem se præbuerit aliis; non magno negotio, suspiciones reponet. cogitet quid incursantibus illis statui in se vellet, quantam fidem adhiberi,quę consilia iniri, quid decerni.eademque ipse in alijs statuat. prudens regula est,quæ ab animo suo in paribus constituto,aliquid in aliis decernit.

Si è nulla certa causa natæ noxiæ hæ apprehensiones sunt;magis à medico quàm aliunde remedia poscenda,aut speranda sũt, & à locorum muniumque varia mutatione. forte enim hac quasi iactatione leuabitur æger, incidétque in Superiorem naturæ suæ conuenientem.

Si mala hæc quis patiatur ab alijs, quod

Digitized by Google

frequenter euenire ſolet, ex diſſentientium iudiciorum varietate, vel ex ſiniſtra aliorum de nobis opinionum formatione, ex muneris priuatione, ex neglectu, aut nominis detractione, falsò plurimùm irrogata; armandum pectus his ſimilibúſq; cogitationibus malum lenientibus erit: Chryſ. ſuper Matt. *Omnis homo ex ſe æſtimat alterum. fornicarius neminem putat caſtum, caſtus de fornicario non facilè ſuſpicatur: ſuperbus neminem putat humilem, humilis neminem putat eſſe ſuperbum.*

Libera hominum ingenia & iudicia ſunt, & ferè tot in his diſcrimina, quot capita. quid te torques in non emendanda varietate, & quæ non eſt in manu tua? quæ flecti imperio & voluntate poſſunt, tua ſunt: in alieno ſperanda potiùs, quàm cogenda emendatio eſt; coactio in proprio valet, ſuaſio in alieno. neque prudens ſperare debet aut poteſt, aliorum omnium iudiciorum cũ ſuo conſenſum; maximè cùm pars maxima nudis plerumq; opinionibus à ſuſpicione natis moueatur, à quibus ob innatam iudiciorum tenacitatem, nõ facilè pleroſque dimoueas. feret ergo prudens quę emẽdare aut

Digitized by Google

aut mutare non poteſt, nec mœrore ſe macerabit in ijs, quorum euentus ab alieno imperio & voluntate pendet.

Cogita, ſi calumniator eſt, errore duci. quid faceres aberranti? non in viam reduceres? facies hoc in iudiciorum errore: reduc aberrantẽ factis è virtute natis, vt videat aliũ te eſſe, quàm errore ductus arbitrabatur. & teipſum intuere: vide quoties hoc æſtu abreptus fueris, quam fœcundis ingenioſiſque in aliorum factis ſuſpicionibus in errorem inductus. nec miraberis alios paribus iactari, tuo malo aliis mederi diſce.

Cogita talem morbo laborare, & miſereberis potiùs, quàm indignaberis. quis indignatur febricitanti, & maledicenti ac cõſpuenti? abſtergit potiùs hæc ſputa beneuolentiæ etiam aliquando oſtentatione, quaſi ex iniuria beneficia acceperit, mulcetque eo magis ægrum, quo ille furit magis. febris, adeoq; phreneſis calumniatorem occupauit; comparere, & morbo calumniam tribue. Vis vinci? ad ima calumniam demitte, & tanquam ignauo mœrore protritũ te calumniator videat. Sed grauis calumnia

Digitized by Google

est, non melius innocentem, quàm nocentem pati?

Vis calumniam vincere? contemne. maior omni contumelia qui contempsit est: nec vlla re alia nobiliorem de calumniatore triumphum duces, quàm cùm te viderit generoso calcatu transeuntem hæc vt folia vento rapta, vt stillicidia vanè sparsa, vt grādinem tecto illisam. nec grauior vlla vindicta est, quàm cùm se calumniator viderit solo contemptu superatum. Vis etiam triūphum illustriorem? beneficiis calumniatorem obstringe: nulla re magis etiam barbarum pectus franges. Monuit hoc olim Sapiens Prou. 25. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitierit, da ei aquam bibere. prunas enim congregabis super caput eius, & Dominus reddet tibi.* & Apostolus, 1. Pet. 3. *Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed contrà benedicentes, quia in hoc vocati estis.*

Percurre quotquot orbe toto fuerunt magni, & intuere num quem à calumnia reperies immunem: neminem inuenies tantā innocentia, vitæque sanctitate, quem nō hac grandine, tanquam saxeo imbre videas

con-

Digitized by Google

complutum. & ferè quo quisque maior, eo pluribus fuit iactatus. Quanta regna iacent, è nudis suspicionibus calcata? quanti Reges ductoréque exercituum hostibus inuicti, ad hos suspicionum scopulos illisi, naufragium fecerunt? Magna etiam necessum est esse, quæ æmulationem & odia prouocant. humi iacentibus nemo inuidet, ad alta consurgimus, & cùm non possimus paria, deiecta & prostrata cupimus. Non egrediamur Religionem. quanta primi omnium Ordinum parentes tulerint, nemo ignorare potest; vt audeã dicere, Da mihi virum in Religione magnum, dabo tibi calumniis non semel tantum non oppressum.

Cogita euenire hæc tibi à Domino ad expiationem culparum; & hilari oculo atque animo suscipies, agésque ingentes Deo gratias, pro tam suaui pœnarum in inferno aut Purgatorio debitarum, in calumnias commutatione.

Cogita à Deo hæc immitti aut permitti, vt variarum calumniarum iactatione durioribus assuescas: vt difficultatum harum consuetudine, ac quasi familiaritate discas mi-

Digitized by Google

nima dedignari, ad magna assurgere. ita leo vulpeculam, aut ouem contemnit: at si elephas contrà steterit, excutit generosas iubas, tanquam lætitiæ imbribus de cælo perplutas: gaudet enim magnis magnus animus componi, vilia dedignatur. facit hoc mens omnis incommodis & aduersitatibus roborata, & quæ assiduitate ac frequentatione callum obduxit. Et sanè neglexisse, ac quasi ignauum trãsisse videtur Deus, quem non dignatus est durioribus ad maiora parare. de cuius virtute magna sibi promittit, illum audet componere magnis. ita militiæ duces ad difficillima quæque promptissimum quemq; vocant, ignauos in medium coniiciunt agmen, aut sarcinis destinant.

Permittit hæc Dominus, vt in animi submissione nos contineat. ne muneribus, ne felicioribus rerum successibus, populi fauoribus, ne cælestibus gratuitis donis, eruditione, prudentia, eloquentia extollamur.

Docemur hîc decurrere ad Deum, illi soli fidere, in eo spem omnem reponere, humana contemnere, vt incerta, intuta, infida, fraudibusq; etiam in fratribus obnoxia; cũ

ab

Digitized by Google

ab vno vtero ſæpe inſurgunt calumniæ, etiam ab amiciſſimis. quare nemo paulò prudentior ad ea deſcendat, quorum propalatio noxia auctori eſſe poſſit. ille ſecurus degit, qui nihil pœnitendum committit, quique ea etiam coniũctiſſimo credit, ad quorum euulgationem non erubeſcit.

Plerumq; etiam Dominus, quos gubernationi deſtinauit, antè per aſpera & aduerſa roborat. nã quid faciet tempeſtatũ inexpertus fluctibus inſurgentibus? quę conſilia aut remedia dabit malis properãtibus? eueniet illi quod militiam inexperto, pugnã aggredienti, trepidabit ad omnem hoſtiũ occurſum, & antè corruet, quã cõſilia explicabit.

Et ferè duriſſima, durioribus non aſſuetorum, imperia ſunt: qui cùm non didicerint pati, nec compati ſciũt. ille ſuauiùs plurimùm imperat, qui in ſe aduerſantium rabiem expertus, periculo ſuo aliena didicit metiri, magnorumq; etiamnum vulnerum cicatrices circumfert: quique non alieno tantùm exemplo, ſed & ſuo didicit quid poſſint calumniæ. ille enim experientia didicit, quæ occurſantibus his malis remedia

Digitized by Google

admouenda ſunt, inexpertus miſcebit omnia; experiri in vnoquoque remedia volet, quid poſſint, aliorum nimirum edocendus malo. ille ſecurus manum admouet, qui longa experientia vim mali didicit, & mitioribus primùm inualetudinem tentare, nec ad duriora, niſi in extremis, & quæ reliqua omnia aſpernantur, deſcendere.

Cogita demum præmia cælo promiſſa, ſi forti animo calumniam tuleris. nulla re alia magis miteſcit labor, adeóque dulceſcit, vt & ipſa iam verbera molleſcant, ſi præmia adiunxeris: quæ qui cogitat, hilari vultu calumnias & aduerſantia quæque amplexabitur, vt ſemina fructuum cęlo reponendorum, vt meſſem Dominico horreo inferendam, vt diuinæ in nos beneuolentiæ ſigna memores illius, Quos pariauit cæleſtis Pater Filio, laboribus, calumniis, verbere, ſanguine; hos etiam, quantum humana cæleſtibus componi poſſunt, pariabit & præmiis. nec certior in hac vita diuinæ in nos beneficentiæ teſtatio eſt, quàm ſi variorum in hac vita iudiciis, linguis, calamis iactari nos permittat.

Iuuabit,

Digitized by Google

Iuuabit, ſe ſuſpicioneſque ſuas, pulſa ſimulatione, candidè Superiori, & domeſtico Confeſſario aperire. nihil deinde in hac vita ab humana manu ambire, nihil ſperare. non timuit qui non ſperauit: necabreptus ſuſpicionibus eſt qui non timuit. ſemper enim miſtus ſuſpicioni metus eſt, dux illi & perpetuus comes. humanas verò laudes negligere. cùm deterrimi ferè ampla harum materia ſint. ſanè nec optimus, nec prudentiſſimus ad magna tollitur: vltima ferè in humano delectu prudentia eſt, fauor & propenſio quædam animi primum locum tenent. beatus qui hæc riſit, & humanis omnibus maior ſola cæleſtia ſperauit, ſola amauit: cõtempſit reliqua, vt indigna cælis Deoque, cui natus, & cui vni omnis viri prudentis, viri boni labor deſudat, felixque fœcunduſque ſudor profunditur.

CAPVT L.

Puſillanimitas.

VArijs è cauſis hæc naſcitur: naturæ tamẽ plerumque vitium eſt, omnia metue

Digitized by Google

tuentis, omnia viribus maiora arbitrantis. hinc in ignauo quodam timore consenescit animus, nec ad magna aut ardua, extendit manum, semper pauidus; generosa & excelsa nec auribus quidem admittit vilissimis se pascēs. siquid in aliorum gratiam agat, contentus rem proposuisse est: vt si excitet, & ad grandia prouocet ac inflammet, viroque ac posteritate digna meditetur; frustra speres. vt verò difficultates perfringat, obices repellat, arma armis pulset, ferroque ferrum excutiat, sudorem fundat, sanguinem gloriæ in posteros semen spargat; nequidquam exspectes. amat infima cùm desperet magna, deligitque sordescere in illis, ne in his laborum miles vias patiatur. hinc etiam viribus suis non rarò inferiora, ne attingit quidem, & oblata ac vltro obtrusa magna negligit, desperans de consecutione, omniaque tuta timens, ad sola ignobilia, timorique suo inferiora, aut vt summum paria dexteram extendit.

Prouenit sæpe pusillanimitas hæc ex innato quodam fastu & arrogantia. dum enim aut nomen venamur, quod non consequi-

Digitized by Google

quimur, aut dignitatibus inhiamus negatis, aut antelatum alium cernimus, aut ſperatis fruſtramur opibus, aut à cogitato munere repulſam patimur, aut denique à quo laudem exſpectabamus, dedecus referimus; labimur animo, ſucciduntque tanquam laſſato genua, & aut ab indignatione non conſecuti voti, ab ignominia relata, à concepta acerbitate, à reportata verecundia, ab ipſa denique deſperatione, ſimilibuſque à ſuperbia natis, totis animis corruimus; vertunturque deſiderata in timorem, mœrorem, ſuſpiciones varias, temeraria iudicia, animorum alienationes, in quoddam mentis frigus, vt tanquam glacie conſtrictus, aut quodam pigro torpore perfuſus, totus ignaueſcat animus.

Exoritur ſæpe eadem è melancholia quadam altiùs impreſſa & fota, quàm vt leuibus remedijs diſcuti poſſit; dum quædam præter ſpem obuenientia, aut opinionibus noſtris aduerſantia, aut cum iudicio noſtro pugnantia profundiùs demittimus: & nudis ſæpe mœrores illi opinionibus innituntur, quæ maximarum intus turbarum cauſ-

Digitized by Google

cauſſam probent. videmus tempeſtates & pluſquam decumanos fluctus pectori obuerſantes, & cauſſa nulla, totque procellarum fluctuumque cælo propè minitãtium, ſola è ſuſpicionibus opinio nata cauſſam dedit. nec eximendi illam ſpes vlla, nili qui patitur iactationum ſuarum cauſſam prodat, & ferè ſeriùs ſe retegit, malaque quibus opprimitur & ſorbetur. antè nimirum oportuit, & principijs occurrendum fuerat. fruſtra medicina extremis ſeruatur, cùm inualuit ægritudo, & intima depaſta eſt.

Nec rarò hæc à concepta quadam animi indignatione originem ducit. benefecit aliquis amico, quantaq; potuit in eum beneficia contulit, vt natare poſſit in immenſo quodam beneficiorum Oceano; & poſt tot benefacta ex amico inimicum patitur. Alius pectoris ſui intima alterius commiſit fides, vt nihil celauerit, nihil clauſerit, recluſerit omnia, & tanquam cũ mente ſua prolocutus omnia reſerarit clauſtra; & pòſt patitur infidum, & ſanctè commiſſorum violatorẽ. Tertius eduxit, ac quaſi manibus ac genibus ſuis alumnatus eſt aliquem, parens illi

Digitized by Google

illi & mater, nec non nisi multorum inuidia protrusit ad magna; consequitur deinde hunc Superiorem & simul hostem. Dura omnino conditio, & quæ satis sit ad valentem & robore plenum deturbandum & eneruandum.

Sunt harum rerum innumera passim exempla, & subita sæpe morte, aut lenta ac miseranda tabe confirmata: è quibus initijs in vnoquoque hominum genere cecidisse vidimus primos in omni fortuna viros, meliori exitu dignissimos: quos concepta mētis ægritudo, dum ad repellenda procursantia, aut calcanda aduersa non satis fuit animi, præpropero casu, infelici fine, vitam robore adhuc & annis plenam intempesta morte præcidere fecit, totasque familias inexspectato lapsu funestauit.

Expectari ab his magna poterant, & ingeniorum prudentiæque raræ dotes summa spōdebant: gratia & eloquentia, totiusque corporis habitus, ac in agendo solertia dexteritasque indefesso studio coniuncta, nihil non promittebat. accessit animi quidam mœror, è quacunque caussa vera an fal-

Digitized by Google

falsa natus, & tanquam vna falce vniuersam spem secuit: aut tanquam venenaria pruina, aut inimicum frugibus gelu, diuitem messem fœcundo solo ridentem penitus decoxit, solaque expectatione sua locupletem dominum frustratus est. Et ille non vna in aduersis victoria illustris animo fractus corruit, tantasq; spes ad summa surgentes, momento protriuit, fabulaque iam factus orbi est, qui miraculum fuerat. & cadit ille non rarò totius Religionis damno, totius familiæ interitu, secumque trahit vna nimirum ruina domum totam. crederes Philistæa agmina roboraque vna columnarum concussione corruisse, cæcoque Samsone pusillanimitate è mœrore quopiam nata, tantam cælo surgẽtẽ molẽ vno impulsu decinerãte.

Innumeræ propè rerum harum causæ sunt: Superiorũ imprudentia, seuerior correctio, credulitas à falsa delatione nata, diffidentia, amicus infidus, dolosa circumuentio, obtrectationes, suspiciones altiùs depressæ, inopinata infelicium euentuum successio, inexspectata secundorum in aduersa commutatio, è digniore gradu deiectio, inimi-

Digitized by Google

mici ad maiora euectio, maximè si illius potestati submittatur; innocentia calumniis petita, fides criminationibus habita, defensioni locus negatus, inauditi damnatio, ingratus animus, beneficiorum immemor, qui pro benefactis hostilia reponat; cùm remunerare debuit, & grata beneficia prosequi memoria, inimicum ostendit pectus: secreti criminis insperata retectio, innumeráque propè, pro cuiusque ingenio alia atque alia: quæ cùm in animum non omninò prævalidum inciderint, aut in pectus aduersantibus inassuetum, aut secundo lætóque perpetuò prosperioris fortunæ successu elatum & assuetum; facilè ad mœrores & pusillanimitatem mœroribus comitem propellunt, inde in malorum vltimum desperationem.

Languet in talibus primò animus, tepétque, vt arbitrari possis alto quodam sopore depressam mentem iacere, putes lethargo oppressam; fastidit deinde omnia, ac spirituali quadam nausea delassatus, dormienti, somnóque è diuturna vigilia prægrauato similis, in supina quadam ignauia procumbit: abhorret à lætioribus, delectatur tristi-

Digitized by Google

ſtibus, amœna refugit, ſectatur horrida, cõgreſſum aliorum auerſatur, amat ſolitudinem, labores refugit, captat otia mœroribus amica: mille ſuſpicionibus diem noctẽque fatigat, nulli magis quàm ſibi grauis. ſi quid benefeceris, fraudem veretur: ſi ſerias admonitiones adhibueris, hoſtem arbitratur. læta narras? rideri ſe putat. triſtia? ab inimico pectore profecta credit; vt à ſolo propè Deo remedia ſperanda ſint.

Si Superiorem puſillanimitas hæc tenet, miſerationibus vbique digna res eſt. ferè enim talis concreditum ſibi munus vniuerſum negliget, & è timore faſtidio plenus, nauſeabundoque in omnibus ſimilis, ingẽti in res omnes fertur diſplicentia. nihil ſerium magnumque aggreditur, nullamque rem poſteritate laudeque dignam, nihil denique quod animos generoſos præferat, cùm omnia viribus ſuis maiora arbitretur. quare nec ad ardua aut victura dexteram audet extendere. ſimilis illi quem Sapiens mittit ad formicam.

Ac licet digniſſimus munere ſit quod obit, nec quidquam illi neceſſariarum rerum

ad

Digitized by Google

ad magna desit; minùs tamen idoneum metus facit, & conceptus semel animo timor, & diffidentia sui, vt vix quidquã à tali sperari possit: tanquam si quis viribus diffidens, abiectis armis, inermem se nudumque imbelli aduersario obiiciat. facit hoc omnis pusillanimus, præsidiis licet maximis suffultus, omnibus vltro se exuit, spoliatque.

Quin & nescio quid diffidentiæ in Deũ pauido semper pectore circumferat quisquis hoc malo tenetur. neque enim fieri potest, vt qui spem suam in illum coniecit, tot vndiq; timoribus circumsepiatur; cùm dubitare nec prudenter nec christianè, de illius potentia, ac in nos omnes affectu post tot diuites sponsiones, totque testatissima amoris signa, tot pro vberibus vulnera, prodigumque pro lacte sanguinem, quisquam possit. Iam cùm post tot tantaque perstet in vano Superior metu, perpetuoque timore pulsetur, plurimum necesse de diuinarum sponsionum fide, déque fiducia innumeris Deo nominibus debita, remiserit. aut sanè occulto aliquo quicunque hoc malo possidetur, fastu rapitur. cum enim res viribus tan-

Digitized by Google

tantùm ſuis metiatur, videátque has impares rebus magnis; de felici executione deſperat, ſpémque omnem abiicit, corpóríque indormiens, in ignauo imperio conſeneſcit, vitámque in inglorio otio tranſigit, omnium domi foríſque libertatum, diſſolutionum, morúmq; à Religione alieniſſimorũ cauſſa. qui ſi tot diuinis ſpõſionibus oneratus, tot maximorum omni æuo exemplo prouocatus, Domini potentiæ innixus ad impoſita ſibi dexteram protenderet; non magno negotio, fortunatiſſimo ſucceſſu concredita ſibi perageret. nunc proſtrata miſerè iacent omnia. nullus, pulſâ in ſolidũ vigilantiâ; diſciplinę vigor, nulla regularum obſeruatio, nuſquam æmula piarum exercitationum ſe oſtendit cupiditas. frigent omnia, calor nullus, pulſóque pio internorum æſtu, congelaſcit animus, & in Superioris tepore ignauęſcunt domeſtici, in illius metu timoribus pulſantur, & ad ſolum magni nomen cum duce ſuo perhorreſcunt; quaſi ſi quem fulmine percuſſeris, aut immani rupe oppreſſeris, arbitreris in Superiore ſuo mente deſtitutos: ita inter ignaua animæ illius

lius deliquia, fastidio metuque plenam vitam trahunt, lentóque infamique concharum more vestigio terram signant, pigra vbique post se signa ignauissimi pectoris relinquentes, ad omnem magnitudinem pauidi, ad omnem illustrium molitionem trepidi; è quibus ignauissima Religioso vita moresque vomitum Domini prouocantia nascuntur. ac tandem è religiosa disciplina, in perpetuum spiritualium neglectum prolabimur, infelici plurimùm exitu bene inchoata, æternùm deuenustaturi.

Remedia.

SVperiorum industria plurimùm in hac re iuuabit. credi enim vix potest, quãtos animos suggerere valeant, quàm validè iacentem mentem erigère, dum magnis ipsi animis audaciæ viam sternunt, lætóq; hilarique vultu suos ad magna prouocant. etiam tirones & bellorum inexpertes, inassueti armorum, veterana perferunt arma, ferrum, impetum, duce præeunte. audax nimirum ductoris animus, metum trepidantibus excutit; & experiri cominus iuuat, cuius vel solum nomen latè terrorem incutiebat.

Pro-

Digitized by Google

Proderit deinde, si in Superiori patrē sen-serint, matris viscera, si sollicitam vigilem-que in suorum necessitatibus, in ægritudine potissimum curam: si liberalem manum, si vltrò suos in fiduciam prouocantem, si expandentem pectus, si remotam à politica & aulica rationem, si plura rebus præstantem, quàm verbis spondentem.

Occupandi tales ac varijs distinendi, ac à minoribus paulatim ad maiora audenda propellendi, laudandi, factáq; eorum mediocria in maius extollenda, consiliis vltro admouendi, magnánimis adiungendi, vt horum consortio audere incipiant, timere desinant.

Spiritalibus exercitationibus, piorúmq; librorum lectionibus iuuandi, locorum etiam ac munium mutationibus, maximè si in familiam aliquam munúsque propendeant, è quo meritò dāna timeri nō possint.

Gregorius Magnus modum ingenia hęc pertractandi præscribit Past. p. 3. cap. 9. *Pusillanimes ampliùs ad iter bene agendi reducimus, si quædam bona illorum ex latere requiramus, vt dum in eis alia reprehendēdo corripimus, alia am-*

ple-

Digitized by Google

plectendo laudemus : quatenus eorum teneritudinem laus audita nutriat, quam culpa increpata castigat. plerumque autem vtiliùs apud illos proficimus, si & eorum gesta memoramus; & si qua ab eis inordinatè gesta sunt, non iam tanquam perpetrata corripimus, sed quasi adhuc ne perpetrari debeant, prohibemus. vt & illa quæ approbamus illatus fauor augeat, & contra ea quæ reprehendimus, magis ad pusillanimes exhortatio verecunda conualescat.

Ingens in hoc malo certúmque remedium à diuinæ bonitatis ac potentiæ consideratione, ac à validis illius promissis, & testata omnibus retrò sæculis in sperantes in se munificentia, adeóque à prodiga illius in fidentes manu, peti potest. audeat proinde sperare homo, maiora largietur Deus. nescit enim ab homine vinci Deus, omni humana confidentia & spe maior. prouocabit ergo se quisquis malo hoc tenetur, diuinæ bonitatis ac potentiæ immensitate, profusáque in supplices fidentésque sibi largitate.

In Superiore verò fortiter iuuabit, si certò sibi persuaserit, munus sibi à Domino impositum errare autem, aut fallere, aut

Digitized by Google

falli non posse in delectu suo Deum, nec in interitum sed in salutem imponere, tãtumque semper virium concessurum, quantum oneris imponit; nec munificam antè dexteram contrahere, quàm benignitatis ac potentiæ suæ diffidentia laborare viderit hominem. quod vbi senserit, auxilia retrahit, quibus indignam diffidentem mentem, & de diuina potentia, aut promissorum certitudine dubitantem, in quam aut non possit Deus, aut datam fidem fallat, arbitratur. cùm vtrumque alieniſſimum à bonitatis ac potentiæ infinitate sit. quo fit vt iustam illius iram, auxiliorúmque destitutionem meritò prouocet. medebitur huic malo pusillanimus, si in magnam se spem potentiæ ac diuinarum sponsionum erexerit, tam certus de consecutione, quàm fortis de fiducia fuerit.

Dicet fors ex hoc numero Superior aliquis, cùm se vndique senserit innumeris propè difficultatibus circumsessum, ac tantùm non insepultum, Quis tantis vno tempore occurrentibus, cùm noua veteribus secundo malorum germine innascantur, suf-

ſufficiat? mille modis temporalium ſollicitudine diſcrucior, menſque ſpiritalibus intenta in diuerſum & ad orationum alieniſſima, rapitur. additur comparandarum facultatum ſollicitudini, amittendarum maior etiam metus. ſed & domeſticæ non rarò anguſtiæ implexam mentem tenent, ſemper dubiam, ſemper incertam, pendulam, & ad non pauca minùs religioſa impellunt. potēs ſuada neceſſitas, fortis oratopia eſt, nec minor egeſtatis metus. Accedunt priuatæ difficultates: multorum à recto bonoque, veterique inſtituto, moribuſque, & à primæuo maiorum ſpiritu deflexio. hic iudicem ignemque ferumque etiam in extremis & perimentibus perhorreſcit: ille medicam omnem Superioris manum auerſatur: iſte nō tantùm medicam, ſed & clementiſſimi patris dexteram indignabundus repellit, non vinum, non oleum à Samaritano propinatum admittens. alius nec matris quidem vbera ſolo lacte manantia ſuſcipit. ſunt qui manſuetudine iuxtà ac ſeueritate indureſcant. exaſperantur nimirum in his à quacunque manu vulnera morbique.

Digitized by Google

Quid agat Superior tot vno tempore malis obsessus, cùm in triginta inferioribus triginta diuersorum morborum genera numeret? quis vnus tot mutuò aduersantibus medebitur, aut in tam pugnantes se formas vertat? hîc hilaritatem, ibi mœrorem, alibi maturitatem, seueritatem, & exinde amœnitatem ac lepores præ se ferat? mollia duris, læta tristibus, calida frigidis, amara suauibus, mella nimirum felle, quis docta malis mederi manu misceat? aut adeò inuicem aduersantium quis vnus vno non rarò die horáque conditiones induat? quis verò nō indignetur tot sæpe laboribus, vigiliis, monitis, studiis, precibus, lacrymis, optatos speratósque non respondere euentus? è semente bona tot zizaniorum aceruos, tot è cultissima vite labrusca, tot è fœcundo germinis boni trunco spuria vitulamina non actura radices, nec in posteritatem itura, sed & infortunato ferè exitu fusos labores claudi? & ingratissima spongia detergi? nullóq; spiritualium emolumento annos annis tanquam infelicis matris infortunatam sobolem succedere? & cùm in orbem recurrant

rant labores, frustrari semper optatis? toties eadem inculcari, mollibus, acribus, lenibus, fortibus nec meliore euentu, quàm si Æthiopas laues? Adde, post hæc omnia, pro messe horreo Dominico inferenda, pro laude, & gratiarum actione, pro gratulatione, & mutui amoris ac beneuolentiæ redhibitione, oblocutionum ac detractionum plena plaustra, animúmque ingratum, odióque, dolo ac maleuolentia plenum, inuidiáque natantem.

Grauia hæc sunt, si se viréque suas Superior intueatur. vt non immeritò desperet de euentu, & pòst nequidquam tentata remedia, deponat ægri sui curam, committatque fortuitis naturæque morbum, nec vltrà manum extendat in curationem: seque etiam adeò, si alia omnis elabendi via desit, in alta recondat eremo, vt sibi Deoq; viuat.

Verùm si oculos coniecerit in Deum, pudebit illum cogitationum harum. conferat proinde sudores, lacrymas, Christi sui sanguinem cum suo. videat quàm prodigè illa Christus fuderit, quoties calcata ingrato humano pede, quot millibus frustra fluxe-

Digitized by Google

rint, quoties totis regnis irrita crucis vulnera fecerint.

Seipsum deinde Superior intueatur, adolescentię, ac fòrs maturioris etiam ætatis crimina, teporem, ignauam negligẽtiam, prostratamque ac supinam socordiam; quoties pulsantem monentemque Dominum neglexerit; quàm male innumeris in se nullo suo merito collatis beneficiis respondrit; quoties illius immemor sanguinis per varia vitiorum genera volutatus, nequidquã minitante, increpante, inuitanteque ad meliora Deo, promissis etiam nouis vetera dona sua onerante, surdas aures præbuerit; & erubescet ad ingrati animi sui, cælo terrisque testata documenta. & non mirabitur suorum ad monita sua ignauum neglectum, qui durã toties ceruice Dei monita excusserit.

Cogitet etiam nihil sibi de labore deperire. sequantur, impugnẽtue monita inferiores; manet Superiori cælo merces reposita magna nimis, tantoq; manet maior, quanto difficilioribus colluctatur. neque enim ab euentu, sed à voluntatis & amoris magnitudine merita donaque metitur solet Deus.

De-

Digitized by Google

Denique magnam se in spem erigat bonitatis diuinæ, certus pro fidei ac spei magnitudine cogitationes cessuras. gaudet humana fiducia Deus, & complacet etiam sibi in illa, delectaturque prouocari in dona, & munificentiæ suæ nubes magnæ fiducię impulsu concuti, quò illas resoluat in imbres, & lata liberalitatis suæ maria.

CAPVT LI.

Impatientia in aduersis.

Siue è laboris tædio, ex innata ignauia & torpore, siue è mali magnitudine, aut è desperatione profectus ac felicioris exitus, aut victoriæ consequendæ, siue è fiduciæ in diuites Dei sponsiones languore; aut virium denique suarum, aut cælestis auxilij diffidétia nascatur; non vltimum malorum est. Hinc enim indignationes exurgunt, odiaque siue in eos quos scimus, siue quos auctores arbitramur, & sæpe innocentiam impetimus, & ea in innoxia capita struimus, quorum meritò æternùm pœniteat. qui error nulla plerumque industria corrigi po-

Digitized by Google

teſt, cùm damna ea data ſint, in quibus ſera omnis emendationum cogitatio eſt, quæque nulla pœnitudine ac lacrymis elui, nullo pretio reparari poſſunt.

Iam ſi damni illati auctor innotuit, grauiùs etiam inſurgimus. nec iure an iniuria acceperimus, examinamus; ſatis in vindictã & fouenda odia eſt accepiſſe. ita ferè omni ratione viduata impatientia eſt. atque hinc temerarij proſiliunt auſus. pericula damnaque nulla ſunt, ſi vindictæ locus cõceditur. etiam per latus proprium, quiſquis hoc malo tenetur, gaudebit alterius peri poſſe: & ſuaue illi ferrum eſt, ſi eodem cadat hoſtis; molle telum, ſi vtriuſque configat pectus.

Quid? quòd furori proxima omnis impatientia ſit, & belluarum veriùs more quã humano fertur in præceps, vt præcipitia & ſurgentia cælo ſaxa planities illi ſint, ſi hoſtẽ in valle viderit; maria, torrentes, ſi in litore aduerſarius ſteterit: ita non ſuo ducitur, ſed alieno rapitur impetu: neque talis in aduerſarium it, ſed ventorum more cæco prorumpit impetu.

Accedit impatientiæ non rarò comitem eſſe

Digitized by Google

esse pusillanimitatem. cùm enim aut mali magnitudine vincitur qui patitur, aut ignoratus damni illator, aut vindicta maior, aut nullus vindictę modus; labimur ferè in męrorem & languorẽ, in vitæ tædium, in mortis cupiditatẽ. mori enim delectat, cùm viuere pigeat: hinc morbi intima quæque & robustissima depascentes. sed neque ferro parcimus, bis impij. aut sanè contabescit homo, & nullum iam corpus, sed corporis sui vmbra quædam est.

Perpetuis deinde cor pulsatur anxietatibus, hærętque ad omnia pauidus animus, & ad tutissima quæque contremiscit. nec sibi satis fidit: carissimos quosque & antè amicissimos inter hostes numerat: vt nusquã tuta sit illi fides, nulli se credat, cùm in omniũ oculis fraudes legat, in omnium ore venena, in omnium manibus ferrum, in omnium fronte hostem.

Perit exhinc illi omnis meriti corona, omnis præmij brauium, omnis triumphi gloria. æterna an peritura proponas, iuxta habet. mercedem sponde; mercedis omnis contemptor est, æternatura propone gaudia;

Digitized by Google

dia; somnium illi gaudia sunt, & omnes cælestium diuites sponsiones: cùm nihil videat præter malum suum, nihilque cogitet præter vindictæ modum. quin adeò, propone Deum, credes maioris illum facere grauitatem qua premitur mali, quàm aut illius offensam, minas, pœnas; aut præmia & gloriam. Imò cùm è re nulla alia maior honor quàm ex aduersantibus paretur; quod illi in salutem cælitus concessum erat, vertit in interitum, medicamenta in venenum. misera omnino conditio, cùm quæ in vitam diuite Dei manu porrecta erant, in mortem commutantur.

Omnis etiam se talis prudentia spoliat, prouidentia nudat. neque enim statui prudenter prouideque aliquid potest, quàm diu impatientia occupauit mentem; nõ anteuerti mala, non præsentia executi, non futura præcaueri possunt. quare in mille se talis conijcit discrimina, quorum fuga & euitatio compositam præsentemque sibi animum iactationibus vacuum deposcit.

Digitized by Google

Remedia.

PRoderit in primis frequẽter ſecum meditari, magna illum ſperare aut promittere non poſſe, quem aduerſa non erudierunt. lecto, puluinaribus, mollibuſque aſſuetus, mollia dabit, nec manum ad magna extendet. ardua virtus poſcit, & extritum per aduerſa pectus. vis viro & cælo digna? duris, inamœnis, difficilibus aſſueſce. callum nimirũ antè per aduerſantia obducat quiſquis mœnatura cogitat. adeoque quiſquis pacatam vitam deſiderat, durioribus antè mentem exerceat, ne fortuitis turbetur, ne incurrentibus obteratur, ne cedat malis, ſed contrà audentior eat. vt nimirum animos ab aduerſis mutuetur, audeatque vltrò prouocare fortunam, ab amica illa, aut inimica manu veniat. nam quid refert ad gloriam & laudem, hoſtis oppugnet apertus an tacitus? qui inimicitiam factis verbiſq; , an qui amicitiam verbo, hoſtilitatem rebus profitetur? vtrimque vulnera ſunt, fluit ab vtroque ferro ſanguis. niſi quòd grauiora ex inſidijs, & amica manu cadant; quia inopinata, & inermi ferè pectore accepta. eo laudis & me-

Digitized by Google

riti materies maior. Nam illa, Non putabã, non exspectabam ab hac manu, post tot amicas dexteras inimica exurgere arma, hostilia tela ab amica pharetra; ab ignauo pectore & ore veniunt. & quid refert à qua manu veniant mala? animum antè para, & cogita ab omni posse euenire quod ab hoste venit, posse tibi accidere quod Amasæ Ioabi ferro, & quotiam inde à Iudæ osculo in Domini iugulum surrexerunt?

Quid si Superior sit qui infert, quid si inferior? à patre in filium, à filio in patrem? & quoties à primordio creaturę in creatorem insurgunt? quoties tu in Dominum, Iudicem, Regem, Patrem? in Conditorem, Redemptorem, in Deum? ipsum proinde intuere, post tot beneficia creantis, cõseruantis, redimentis, sanguinem fundentis, amãtis, adoptantis, cælorum hereditatem spondentis Dei: post omnibus retrò sæculis pœnas minitantis, & æternùm interperennãtes flammas minitantis Dei. post cælorum excidia, ignium sæuitiam, dæmonum carnificinam nullo æuo ponendam, nullo mitigandam. & insurgis tamen, & ferrum audes

strin-

Digitized by Google

stringere,& iterum flagra, columnam, spinas,crucem,clauos,vulnera intentare. facit hoc quisquis calcata Dei voluntate, imperio spreto,letali se scelere inuoluit: & toties facit quoties se illo inuoluit.

Quid si Superior sit qui patiatur, à quacunque manu; cogitet illud Bonauenturæ de 6 alis.c.5. *Per has aduersitates Prælatus à pulvere peccatorum purgatur,quem contraxit ex humanæinfirmitatis surreptione.* Iac. 3. *In multis enim offendimus omnes, & in pluribus negotijs,plures negligentia sæpe fiunt, à quibus necessum habent hic purgari Prælati, ne illic duriùs puniantur; iuxta illud:* 2.Re.7. *Si iniquè aliquid gesserit,corripiam eum in virgâ virorum,& in plagis filiorum hominum:per has etiam dum deprimitur,à tumore superbiæ custoditur :quæ potentibus periculosiùs insidiatur,dum & sublimitas officij, & libertatis licentia,& boni operis placentia,facilè mentem eius extollerent;nisi aduersitatis iugum collum præsumptionis eius humiliaret,& sic à superbiæ voragine defensaret.custos enim salutis & profectus boni rectoris est humiliatio aduersitatis, sine qua ei successus prosperitatis citò eleuasset in ventum præsumptionis. Vnde Dauid secundùm cor Dei electus,*

Digitized by Google

quando premebatur aduersis, deuotissimus fuit & humilis; quando autem extollebatur prosperis, incidit in culpam elationis, ipso attestante, cùm dicit. Psal. 112. *Bonum mihi quia humiliasti me, vt discam iustificationes tuas.*

Si inferior est qui impugnatur, cogitet Primò, per hæc viam sterni ad magna. Secũdò, parari animum in aliorum subsidium & mœrentium solamen, iacentium ac prostratorum erectionem. Tertiò, magni meriti materiam subministrari. Quartò, magnam animo tranquillitatem ac malaciam parari, dum per has iactationes roboratur, & assuescit duris, & vsu ac consuetudine quædã paullatim familiaritas cum aduersantibus intercedit. Quintò, crescere his tacitè spiritum ac roborari, iuxta illud Mat. 4. *Sic est regnum Dei, quemadmodum si homo iaciat sementem in terrã, & dormiat, & exurgat nocte & die, & semen germinet, & crescat dum nescit ille.*

Iuuerit verò plurimum, Christi, Diuæ Virginis, Sãctorum cælo asscriptorum mores vitaq; sæpiùs repetita. hæc enim animos firmabit, & aduersantibus maiores dabit. sperata etiam promissaque cælo præmia.

qua-

Digitized by Google

quare cùm aut aduersi aliquid intercurrerit, aut impatientiæ motus insurrexerint, Christi tui fusum pro te sanguinem, verbera, vulnera crucemq; cogita; & non magno negotio sæuientes animorum fluctus compesces: maximè cùm ab orbe toto delectam tibi gentem tot beneficiorum prærogatiuis, iam inde ab exordio cumulatam, crudelissima pati videris. quin adeò, post tot beneficia in te manu collocata, vt opprimi ac insepeliri beneficijs portueris, non cessas diurnis diuinorum mandatorum transgressionibus, vindicem in te Dei dexteram prouocare; & parcit ille tamen, & perfert scelera, nec iudicem statim manum extendit. miseretur potiùs, & meliora exspectat parcere facilis, ac maioribus etiam post seriam pœnitudinem bonis exornat.

Consultum fuerit sæpiùs illud memoria repetere. Paral. 15. *Confortamini, & nõ dissoluãtur manus vestræ: erit enim merces operi vestro.* Quę manus, Bonauen. de 6. alis, c. 5. teste, *instantia sunt in agendo, & patientia in sufferendo quod grauat. quæ si non dissoluantur per desidiam seu intoleratiam, merces eterna ei cumulabitur.*

† Re-

† *Referendum hoc caput ad librum secundum post caput* 2. folio 190.

Curiosior inuestigatio imperfectionum Superiorum.

QVę res magnam animi inquietudinem ingenerat, ingentium turbarum causa; cùm curiosior hæc inuestigatio, tanquá validis aduersantibusq; ventis, mentis malaciam ac tranquillitatem euertat, perpetuisque quibusdam flatibus fluctibusque serenitatem turbet, ac è sede sua depellat; neque enim stare in illa mente tranquillitas potest, quæ perennibus iactatur motibus, curiosioreque inuestigatione continua iactatione concutitur. vt taceam contemptú paullatim Superiorum nasci. Nęque enim fieri potest, quin aliqua nonnunquam minùs per omnia laudanda, quædam fòrs etiá damnãda solers disquisitio, ingeniosa semper in malum, repertura sit. neque enim adeò numeris omnibus quemquam absolutum reperias, quin aliquid emendandum deprehendas. vt nulla fuerit ætas, quæ non [illegible] aliquid semper pu-

Digitized by Google

tauerit ignoſcendum, tanquã in medio die pertenuem ſubterlabentem ſoli vaporem qui nec illius repercutiat radios, nec lumen obnubilet. Nam illam omnium perfectionum accurationem quæ nullam veniam mereatur, nulloq; næuo aut puluere aſperſa ſit, vouere poſſumus, ſperare prudenter homines non poſſumus, & alterius illa, non huius vitæ exempla ſunt.

Iam ita ferè natura comparatum eſt, vt cùm è curioſiore indagatione, in intima Superiorum adyta aſſidui ſcrutatores deuenerimus; plus poſsint ad contemptum modica vitia, quàm magnæ ad venerationem virtutes: cùm ferè deterrima quæq; fortiùs oculos repercutiant, altiuſque in animum dimittantur.

Ac primò, aliquid antè conceptæ veneationis deponimus, inde auguſtiſsimæ priùs laudata, tenuiter ac quaſi per capillum tangimus: ad aliorum exinde laudes ſilentio mentem prodimus, damnamus denique, & in apertas prorumpimus detractiones. ita non contenti ſumus improbanda vidiſſe, ſpargimus, adeoque ſub lingua calamiſque cref-

Digitized by Google

crescunt vitia, & in elephantem culices abeunt, in gigantes exurgunt pygmei. Vnde fit vt omnis Superiorum auctoritas corruat, & pro veneratione contemptus sequatur, pro obsequendi studio, quod plurimùm opinionibus innititur, obedientiæ neglectus suboriatur. cumque nihil tam potentes obedientiæ stimulos addat, quàm altè imbibita animo Superiorum veneratio; hanc autem nihil adeò minuat, atque curiosior abditissimarum imperfectionum perscrutatio; fit vt hac vna obedientiæ nerui penitus secentur, vtq; sua iam cuique voluntas pro maiorum imperio sit. quod vbi fit, quidquid in Religione summum erat, & obedientiæ viuentis, in mutuum robur contra procurrantes inimicas acies stringebatur ac firmabatur, dilabitur, & magnum illud Religionis propugnaculum, tanquam diffractis geribus, diffluit. Sed neque domestici parietibus continentur, cùm nihil promptius elabatur, quàm si quid imperfectionis in Superiore notatum fuerit: & gloriamur etiam interdum, tanquam solertes vitiorum quæ alios latuerant, repertores. præmiúmque

que noxiæ huius indagationis, euulgatio vitiorum est: quæ vniuersæ familiæ quantum damnorum adferat, nemo paullo prudentior non videt. cùm æstimationis famæque in Superiore diminutio, omnia simul metuenda secum trahat. Nam vbi quæ latebant, aut magnarum virtutum vmbra vitia tegebantur. produntur, & in omnium ore calamoque incrementa sumunt; nequidquam magna speraueris, cùm opinionibus ferè humana peragantur: quam qui sustulerit, proditor factus secretorum, omnem bene feliciterque agendæ rei occasionem ademerit; cùm fidem, auctoritatem, venerationem, prosperioris imperij fulcimenta, tãquã vna falce demetat, spemq; in his omnẽ non in herba tantũ, sed in radice pręscindat.

Huc accedit quædam in Superioribus animorum deiectio, ac pusillanimitas. cùm enim minutissima abditissimaque sua solisque parietibus nota obseruari studiosiùs vident, ac in ingentes montes tenuissimas attolli verrucas, virtutes tegi, aut æmula simulatione transiri, ingentiaque naturæ ac Dei dona æmulationibus liuoribúsque insepeliri,

Digitized by Google

sepeliri, minima vitia in immensum supra verum tolli, perque omnium linguas chartasque spargi, infelicibusque augmentis in densa nemora, noxiorum zizaniorum more, raros frutices succrescere; cadunt animis, concreditaque sibi domestica externaque negligunt, ac in ignauam quandam, ex alacri accensaque degenerant vitæ ratione sibi iam ipsis dissimiles: vt prior ille ignis pectoribus clausus, magnarumque cogitationum succentor concrescat in densam glaciem, in Noricum quoddam frigus: & prior illa animorum alacritas, fortes ausus, mentis erectio, generosi pectoris flammæ, in ignobiles delabantur cineres, in languidum teporem, in vmbras, in fumum, & pro dignissimis posteritate cogitationibus, ingens animi mœror & melancholia succedat, illustrium inimica moliminum, qua quidquid generiosioris erat mentis emedullatur, ac tanquam succisis ad viuum neruis delumbatur.

Grauia hæc sunt, & ad vltima vltimæ desperationis recta via impellentia. è tam tenuibus initijs tam magna, tam Religionibus noxia

Digitized by Google

noxia, tam nulla postmodum arte emendanda. nihil hîc nouum. nam & vulpeculæ paruulæ demoliũtur vineam Dei Sabaoth, & validissimarum fundamenta vrbium nõ semel à muribus euersa legimus, etiã à formicis. & tineæ quanta robora exedunt? ærugine sanè ferrum exeditur quod ignibus stabat illæsum. ita à minimis maxima corruunt. à molli stillicidio ingentes fatiscunt rupes, à tam lenta mollitudine Oceani propugnacula & claustra. quis credat, ni res ipsæ loquantur? quare nisi curiosiores hi minutissimorum in Superiore scrutatores, in robustissimum inciderint, & Hercule aut Samsone natum pectus, quod aduersantibus indurescat, roboretur, ac seipso fiat maius, quodque in non postrema felicitate ponat, tales nactum se fuisse, acuendis viribus cotes; quod deniq; ita mores vitamq; omnẽ composuerit, tanquam in solis inimicorum oculis, ac inter hostilia arma viueret; omnis omnino magnarum rerum spes funditus euanesceret. Tales verò quanti sunt? nescio an centesimus quisque cõtemnat scorpiacas has caudas, viperarum ex insidijs dẽtes;

tes; aut arborum inſtar aquilonibus hiſce firmetur; aut prævalidarum rupium more irata hæc contemnat maria, & procurſantes fluctus, cogatque interritus iras minaſque ſuas bibere. rara ô nimiùm in humanis pectora, chalybe aut adamante nata! cùm plerumque omnes æmulis his obſeruationibus, proſtratis prolapſiſque in ſolidum viribus, corruant, ac animam etiam mœroribus tanquam torcularibus expreſſam, per ignaua veſtigia ponant. adeò nec robore pleni, viridi etiamnum iuuenta, aut ætate & prudentia firmati, his optimorum quorumcunque blattis actineis diu reſiſtere poſſunt, aut ſtare incolumes; ac inambuſti, integraque fama & pectore per calcatas haſce venenarias curioſitates vitã tolerare. eo magis quo curioſi hi diſquiſitores plerumque de corde & cerebro ſuo mutuentur quod Superiori adnectant. premuntur occultis vitiis? iiſdem teneri Superiorem quia vellẽt, arbitrantur: innatant abditis animorum imperfectionibus? iiſdem innatare fluctibus quia vellent, putant Superiorem. infelices natatores ſocios ſibi quia vouent, inueniſſe credunt: at

in

Digitized by Google

in nullos magis quàm in Superiores ferun-
tur; excusatione nimirum digni, si suis vitijs
Superiores inuoluerint. Et cùm non rarò
quæ præferuidè valideque facta vellemus, e-
uenisse credamus; fit vt vitia nostra in Supe-
riorum frontibus legamus. non quòd inse-
pulta illi sint vestibulo, sed quòd è nemo-
re nostro decerpta, in alienum agrum zizá-
niorum talium inassuetum, noxia hæc semi-
na transferamus. quod si quæ externa in Su-
periore licet tenuissima vitiorum quorun-
dam domestica nobis signa vidisse in ani-
mum induxerimus; á decem passuum milli-
bus damnanda euocamus, & è nostro illos
ingenio moribúsque metimus. quid? quod
frequenter in sinistram omnino partem &
alienissimam ab auctoris mente verba résq;
flectamus. ita in alieno ore, manu, sangui-
ne, vita, fama ludimus, & quidquid vel ca-
pillo vitia nostra refert, in testatissimam a-
lienorum vitiorum seriem transcribimus.
Grauis omnino res, molestiarúmque ac pe-
riculorum pleniſſima, quæ ingentes depos-
cat animos, ac humanis propè maiores, ac
non nisi prævalida Dei manu suffultos.

Re-

Digitized by Google

Remedia.

NOn hominem in Superiore vitijs obnoxium, ſed Dei cuius vices gerit perſonam intueri. hanc in illo venerari, & hãc ſolam. Qua in re imitandi ſæculi mores. neque enim in regio legato priuata vitia quidquam de veneratione adimunt: cùm in hoc non Petrum aut Paulum domeſticis vitijs inuolutum, ſed Regem intueamur, cuius vicarias vices cùm obeat, regio illum cultu & obſequijs dignamur.

Hominem illum cogitare, errare poſſe. neque dignitates vitia minuũt aut tollunt, augent magis & oſtentant quæ antè latebant. nam quæ priuata vita tegebat tanquã abdita aut altè recondita terris, ea publica omnium oculis proſpectanda proponit. quin imò ipſa munia amplã vitiorum materiã ſuppetunt: & quæ in ſemine ſuo mortuis ſimilia torpebant, aut ignauo quodam ſopore eliſa iacebant; accedente dignitate exurgunt in herbam, in frutices, in arbores, in plenam patulamque vitam.

Ad omne Superioris vitium, ſua propiùs in-

Digitized by Google

intueri grauiora diligens seriusque disquisitor reperiet domi suæ: quæ fors si composuerit cum illius, festucas in illo, trabes in se reperiet.

Statuat apud animum suum vnusquisq; in Superiore, quod ab alijs in re sua vellet ignosci vitijs suis desiderat: eadem vtatur regula in Superiore: maximè cùm maior dignitas ac potestas maiorem malorum materiam suggerat. ferè enim plus potuisse, plus feciſſe fuit.

Nisi apertissima in Superiore viderit, nunquam sinister iudicium; ac illa ipsa in benigniorem semper partem interpretetur. cùm plurima in humanis occurrant prima frõte damnanda: quæ si penitius depositio in alteram partem affectu introspiciantur, probanda non raro erunt; aut sanè clementiore longè censura notanda; si non crudè dicta factaque, sed auctoris mentem intueamur. quòd si res excusationem non admittat, ad humanam naturam pronam ad vitia decurrendum; & è nostra ad varios lapsus facilitate, aliquid indulgendum alijs: dignissimi futuri cui reliqui ignoscant, si nos erro-

Digitized by Google

ribus ignoſcamus aliorum.

In teſtatis Superiorum vitis, ad Deum per frequentatas calidaſque preces decurrendum, vltroneis etiam ſibi irrogatis pœnis illi placendo, vt pulſis vitiorum errorumque tenebris, veris ſolidiſque mentem illius virtutibus ornet illuſtretque, totúmque hominem zizanijs in plenum radicitus euulſis, melioribus cæloque ac munere quod tuetur dignis inſtruat.

Cogitet deinde quanta Superior in illo perferat, quanta molliſpongia eluat, quanta prudenti ſimulatione tranſeat, quanta leui manu tangat, quanta mitiget & eleuet; cùm hominibus imperare ſe ſciat non angelis. maiore etiam facilitate in Superiore vtatur: cùm æquius ſit filium parentum ignoſcere erroribus, quàm parentes filiorum indulgere vitijs.

FINIS.

Digitized by Google

Errata sic corrige.

p.40.v.7. obiectum *lege* abiectum. *p 75.v.pen.* qua *lege* quæ. *p.84.v.1.* ordinatur *l.* ordinatum. *p.117.v.7.* malis *l.* mali. *p.147. v.5. à fine* Sgargitur *l.* spargitur. *p.194.v.11.* via *l.* viæ. *p.eadem v.3. à fine* inferior *l.* inferiori. *p.278.v.6.* Celentiam *l.* Celantiam. *p.195.v.4. à fine* reluctantur *l.* reluctanti. *p.392. in titulo deest* &. *p.396.v.1.* audiat *l.* audeat. *p.490.v.4. à fine* noxiam *l.* noxium. *p.508.v.3. lege* solius. *p.533.v.15.* periculum *l.* periculorum. *p.557.v.3. à fine* rerè *pro* ferè. *p.572.v.4.* refectio *l.* resectio. *p.638.v.9.* ille *l.* illa. *p.648.v.8.* deffidentia *l.* diffidentia. *p.656.v.13.* amplo *l.* ampla. *p.712.v.1.* probent *l.* præbent. *ibid.v.6. à fine* fides *l.* fidei.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google


Digitized by Google